

TORTURA TORTI:
SIVE,
AD MATTHAEI TORTI LIBRUM
Responsio, qui nuper editus
contra APOLOGIAM

SERENISSIMI POTENTISSIMIQUE PRINCIPIS,
IACOBI, DEI GRATIA,
Magnæ BRITANNIÆ, Franciæ,
& Hiberniæ REGIS,

PRO
IURAMENTO FIDELITATIS.

(auctore Lancelotto Andrews








LONDINI
Excudebat ROBERTUS BARKERUS,
SERENISS. REGIÆ MAIESTATIS
TYPOGRAPHUS.
ANNO 1609.



SERENISS^o. ^1 POTENTISSIMOQVE PRINCIPI, *AC DOMINO NOSTRO*, IACOBO, DEI GRATIA, Magnæ BRITANNIAE, Franciæ & Hiberniæ REGI, FIDEI DEFENSORI &c.

SERENISSIME POTENTISSIMEq; REX,



QVod *pro suo iure Rex quiuis faceret, vt Suorum animos, qui iustam suspicioni causam dederant, nouâ Iuramenti religione exploratos Sibi redderet: cùm causa* Ma^ti.T. *subesset iustissima, ex Scelere post homines natos atrocissimo, & id nuper facere tentares: intercessum est à Papâ* Paulo, *atq; incursio facta in Ius* Tuum, *nec* Tuum *modò, sed cõmune Ius Regum omnium. Ea enim in* Te *vnum experrecta iam, mox & in reliquos omnes conualescet. Agitur ergo communis Regum causa; cúmque in Regibus, Rei Christianæ præsidij plurimum sit, cum Illis, cõmunis etiam Rei totius Christianæ.*

Iam, vbi in discrimen adducta causa Communitatis, Spectator nemo sit, Actor quisq;: Ex communis enim Officij nexu, cuiusuis tum interest de Communitate, communis Militiæ Sacramento obligare se statim: & vbi res omnium agitur,

omni ope, atq; operâ, omni ſtudio, atq; officio ſtrenuè pro eâ dimicare. Atque hoc, quacunque demum ſtatione ſit, Chriſtianus modò ſit: At eſt Eorum tamen hîc cauſa potior, quibus, præterquam quòd Chriſtiani ſunt, Sacrorum quoque procuratio commiſſa eſt; quorum, id ex Munere præſtare munus eſt, vt Regum Iura, quæ Iuris Sacri ſunt, ita vt ſunt pro Sacroſanctis habeantur, neue quis ea violatum veniat.

Eorum ego me in numero indignum profiteor qui ſint: cùm ſim tamen, ſi cauſæ huic tam & communi & ſacra operam meam negare nolui, nemo id mihi (ſpero) in crimen poſiturus eſt. Equidem, non amo de Noſtris, quibus ita refrixit zelus omnis, vt in tanti non dicam momenti, tantæ Molis *cauſâ tepidi & tacentes ſedeant, nec ſtringant calamum, cùm ex earum genere hæc cauſa ſit, in quibus,* qui *cũ Chriſto* non colligit, diſpergit *cum Chriſti Cõtrario, vbi, ſuam niſi fidem quis liberet, nec* animam liberabit.

Qui verò ſic animum haberem, alterutrum hîc mihi faciendum fuit: vel enim, dum ſubduco me Certamini huic, deſidis animi: vel cœpti fortè temerarij nota ſubeunda fuit, dum infero me in cauſam, cui melior debetur defenſio, quàm

quæ

quæ mearum est virium. Et est quidem vbi virium habenda ratio: Est vt in hâc causâ vbi malis vires quàm voluntatem, facultatem quàm fidem desiderari. Inde adeo factũ, vt quanquã mihi inaßueta scriptioni manus, tamen sic vt erat inaßueta, scriptioni admouere quàm Causæ huic ita iustæ, publicæ, Christianæ deeße maluerim.

A Causâ ipsâ, hæc mihi causa fuit; maior adhuc à Personâ Tuâ: Et quidem vt quod res est fatear, vicit hîc amor Causæ, peruicit Personæ Tuæ. *Nec illa tamen hîc dico, quæ propria mihi sunt à* Ma^te. Tuâ, *nec exiguo numero, nec exigua benignioris affectus Testimonia, pro quibus, quicquid vsquam possum in Tuâ re vllâ, plus etiam multò quàm possum, debere me lætus lubens agnosco.*

Etsi enim illa me, propria, vt par est, mouent; at Publica hæc, quem non magis moueant, videre Te *Regem Tantum, in primâ acie stantem,* Tua *ibi, nec minus aliorum omnium quàm* Tua *Principum iura, ita Regiè & egregiè propugnantem? Intererat certè Rei, simul Regiæ, simul & Christianæ, (vtriq; credo & in votis erat,) vt Causa hæc tanta, idoneum, nec nisi Regem Tantum vindicem haberet. Iam*

 cuius

cuius Tu *Belli Principatum fers, quis non in eo ambiat scribi Miles? Nefas enim Regem non sequi, vt alijs, cum ad* Martis illa, *sic nobis, cum ad* Mercurij hæc, *animus* Tibi *fert descendere, & militiam hanc, operis* Tui *dignam ducere. Quàm vero indignum, hîc in tam honoratam militiam nomen non dare, in quâ,* CHRISTO DOMINO Auspice, CHRISTO DOMINI Duce *præliandum sit?*

Accedit, quòd iam pugnæ pars melior depugnata est TUIS *viribus,* TUIS *telis, Rex Magne:* TUIS *insistere tantùm,* TUA *tantùm premere iam opus est. Tam est enim à* TE, *Causa hæc tota tractata copiosè, ingeniosè, neruosè; vt nec Papæ iam valde libeat, nec Cardinali (vt videtur) animus sit, redire in prælium: pedem retulerit vterq;, res iam redierit ad Sacellanos. Cedente enim in deterius re,* more *(vt est in Prouerbio)* Mandrabuli; *primò Pontifex apparuit: Dein prouênit nobis Cardinalis: vltimò iam Sacellanus submissus est. Nec dignus ille, qui —* Æneæ Magni dextrâ cadat.

Hunc igitur ego, (quod M^tis.^ TUÆ *bonâ cum veniâ sit) excipio Sacellanum, qui & ipse sum à Sacellis, quique Sacris* Tibi *quotidie operor,*

ror, & pro TE. *Experiri autem volui, si, qui* Tortum *se dicit, vnâ plus syllabâ facere possem, vt Retortus esset.* Tu *verò quàm multos habes de* Tuis, *qui meliùs hoc multò exequi poterant; poterant, & verò facturi erant. Mihi tamen haud quisquam vitio vertet, qui propiùs absum à* TE; *si primus ad Vexilla fui. Quod verò illi tum erant, facturi etiam sunt dehinc, si iustum prælium sit, si melior isto Miles succenturiatus venerit. Nam est nostra hæc velitatio modò, vtpote, cum isto, non nisi leuis armaturæ Milite.*

Qualiscunq; ea est, Serenissime Rex, *ambit fieri tua, & vt ei* AVGVSTVM Nomen Tuum *præscribere liceat, ex eoq; Authoritatis sibi gratiam conciliare, supplex veneratur* Maiestatem Tuam. *Vtinam digna, quæ tesseræ loco sit summæ obseruantiæ meæ in Nomen ipsum Regium,* Tuum *inprimis, vel potiùs ante primos, qui Reliquis antistas, Regum Præses, & Assertor. At* Tu, *faue ei benignus Censor, opere* Te *magno rogatum volo,* Tuoq; *præsidio tege. Tegere enim eam Charitate,* Te *dignum, quæ quicquid peccauit, in Charitatis partem peccauit, dum chara adeo res præstare*

hanc

hanc operam, vt existimationẽ contra non cara.


Perge autem Calamo suadere, Sceptro vrgere Rem istam, quam cœpisti. Ad antiquum decus Regium *vindicandum annitenti non deërit* DEVS, *non, qui à* DEO *sunt. Erit verò gloriosum* Tibi *in præsens, in posterum; nec vltimum hoc inter Decôra, quæ Diuinitùs* Tibi *multa contigère, quod Calamo iam fecisti; idem porrò Gladio facturus, vbi iam non Cuneis hijs literarijs, sed militaribus illis agenda res. Pòst verò ita dicatũ* Tibi *hoc quicquid est operis, meq́ ipsum pariter cum ipso:* ne peccem in publicum, non moror tua tempora: *Vota tantùm addo, vota mea, vota publica ex eodem Poëtâ* — Serus in cœlum redeas, diúque – lætus intersis Populo Britanno. – *Quod ille, velit iubeat* SVMMVS DEVS, *diu vt Saluus sis, diu Superstes* GLORIAE *huic* Tuæ, *cum nouâ indies* HONORVM, *&* DECÔRVM *accessione, quæq́ huius seculi iam sunt, quæq́ alterius seculi æternùm futura sunt. Amen.*

SERENISS. MAIESTATI TVAE
à SACRIS, ab ELEEMOSYNIS,
Subditus, Seruus que Deuotissimus,

L. CICESTRIENSIS.



AD M. TORTI *LIBRUM* RESPONSIO.



UDAX sim si dixero; Edidit nuper libellum *Matthaeus Tortus*: Illud dicam; Editus est nuper libellus *Matthaei Torti* nomine. *Nomen* enim hoc *Torti ignotum planè*, vel Typographo ipsi suo *Politano*, (cuius è typographiâ liber nobis prodijt, post direptam scilicet primo intuitu *Coloniensem* editionem) *nomen*, inquam, *Torti planè ignotum*, & *Matthaeus aliquantulum obscurus Author* primò; pòst, *perquisitione factâ*, compertus est tandem *Papiensis Presbyter*, *Cardinalis à Sacellis*. Praefat. Politan.

Fortè autem illusum est Typographo; (nihil enim praeter auditum habet) nec desunt quibus suspecta haec fabula de *Sacello Cardinalis*; spirat enim iste, qui à Sacellis dicitur, plerísque in locis maius quiddam, & maiore cothurno incedit, quàm par est simplicem Sacellanum, qui nec Domino ipsi suo honorem habet vsquam, aut alio nomine compellat, quàm *Bellarmini*: Quin loquitur interdum non vt *Papiensis Presbyter*, sed vt *Papa* ipse, [a] *Decernimus*; vox haec *Sacellanum* non sonat. a Pag.63.

At etiam à suspicione non abest, quòd imposita illi persona haec, vt sit *Cardinali à Sacellis*. Ambigua vox erat in vulgus sparsa, qui Apologiam scripserat, à Sacellis fuisse Regi: Age ergo; respondeat huic alter, qui à Sacellis sit Cardinali. Sentias ex composito rem geri; vt qui Cardinalibus à Sacellis sunt, & qui Regibus, pari passu ambulent; quò deinde pari passu, etiam Cardinales & Reges. Superbia, quò ascendis? Nam fuit tempus, cùm nec Cardinales ipsos dedeceret Regibus à Sacellis esse: at iam, postquam è mediocri fortunâ ir-

Præfat.Colon. repſerunt in purpuram, extemplò faciunt ſe non modò *Magnates Eccleſiæ*, vt in Clericis dominari, ſed etiam *Gentium omnium Proceres, & Orbis Principes*, vt Regibus ipſis æquiparari poſsint. Tum, nequid plenæ menſuræ deſit, quod per ſe puduit, & ore ſuo, id per Ciues & Bibliopolas *Colonienſes*, non pudet diuulgare; ſe iam non ſuppares, ſed planè *inſtar cœli ſyderum, ſplendore* inſtar, *ſerenitatis influxu* inſtar, nihil vt iam planè reſtet, quàm vt caudâ Draconis detrahantur in terram. Quodſi iſti, qui ſic iam *caput inter ſydera condunt*, paulùm modò oculos adijcerent ad titulos ſuos, & in illis legerent originem ſuam, (origine enim Parochi tantùm ſunt, manipulus Curatorum modò) & quàm ab humili initio humandi mortuos, & curandi baptiſteria, ad oſtrum ſuum peruenerint; quàm ſerò admodum petaſum ſuum ab *Innocentio 4.* lacernam à *Paulo 2.* & mulam ſumpſerint; næ illis non magis petaſus ruberet vel lacerna, quàm frons & genæ, quòd ſic Reges laceſſunt, quòd ita ſubmittunt Sacellanos ſuos, in eos reſpondendi laborem reijciunt, quaſi impar congreſſus ſit, Rex Cardinali.

Verùm de Cardinalis Sacello, penes Typographum *Politanum* fides eſto. Siue autem rectè rem referat ille, ſeu ſecus; ſeu verum eſt nomen, ſiue eſt fictitium *Matthæi Torti*, nomen accipio atque omen: tortus enim certè eſt, quiſquis eſt.

Nec enim equuleo ſolo, irâ etiam torqueri homines, olim Poëta cecinit,—*Vino tortus & irâ*. Quòd autem irâ *Matthæus* tortus ſit, vide mihi, quàm ab ipſo ſtatim exordio bilioſus, quàm totus in fermento! Inuolat primò in libri *frontiſpicium*; poſt illud leuiter demorſum, arripit *tres cuneos*, & arrodit illos parùm: nec mora; fertur ex abrupto in Authorem, eúmque dicit, *neque Iuramentum, neq; Breuia, neque Epiſtolam intellexiſſe*. Triplex verò hæc deſtomachatio, vix tertiâ periodo. Pòſt autem, per librum totum ita petulans, ita immodeſtè immodeſtus, ita totus in conuitijs, etiam vbi cauſa nulla; etiam vbi ſi cauſa, bacchari non oportuit; facilè vt quivis *Matthæum* tortum eſſe, poſsit agnoſcere.

Quæro igitur, Quis torſit *Matthæum*? Primùm, hoc illi ægrè eſt, quòd *prodijt liber ſine nomine Authoris*. Quòd ſi ille ſine nomine prodijt, prodit & hic fortè ſine vero nomine; quid intereſt? Verùm *Regiâ* tamen *auctoritate* prodijt: Et annon *Au-*

ctori-

ctoritatis illius nomē pluris est quàm Authoris vllius? Nomine haud opus, vbi auctoritas illa præscripta est; scitis inde quis Author fuerit; & hoc scire vos, omnes sciunt. Et quidem eo ipso, quòd ita *Regiâ authoritate prodijt*, si omnino respondere voluit Cardinalis, sine personâ respondisset: Si verò sub personâ respondere voluit; at magis auspicatum nomen, quàm *Torti* induere par erat, & conditionem certè meliorem quàm *obscuri hominis* (si Typographo credimus) *& Sacellani*. At iam nomen etiam Authoris in fronte fert, vt scias eum operis sui non pœnitere; vt & temeritatis tuæ pœnitere te posſit, & *Authori* dehinc deferre discas, qui *authoritati* non detulisti.

Fronte ipsâ libri pòst tortus est. Num quidnam verò ibi, quod noluit, vidit? Ibi scriptum [*Populi clamauerunt, Magna est veritas & præualet.*] An hic eum clamor offendit, & in hoc se torquet, quasi nec veritatem præualere æquo animo ferat? Nequaquam: non eo torquetur; sed quòd inibi posita est sententia hæc vbi minimè oportuit, quasi *triumphus ante victoriam*. Itáne? Veritati bene ominari, hoc est apud vos, triumphū canere? aut qui liberè vsurpat sententiam, quam omnes semper adamârunt qui veritatis studiosi sunt, statim triumphalem currum conscendit, & pæana canit? Illud fortè erat: Verecundus homo, & modestus, non fert triumphum canentes, nondum partâ victoriâ. Mos hic non est apud *Papienses*, qui sine cantilenâ vincunt, & omnino nolunt, pro suâ victoriâ, vel *populum clamore* raucescere, vel *inani sonitu aërem* vapulare.

Quid ergo ille ipse, eandem ipsam sentētiam, eodem ipso in loco, (in ipsa libri sui frōte scilicet) vsurpauit? Nam ibi, in ipso Frontispicio suo scriptum gerit, *Tunc omnes populi clamauerunt & dixerunt, Magna est veritas & præualet*. Cur triumphū canit ipse ante victoriam? Cur idem ipse peccatum peccat, quod reprehendit? Ille verò non peccat: Titulus enim hic, si nescis, ad *Matthæum* spectabat; illi seruatum oportuit; quare eum, quasi surreptum sibi vendicat iam postliminiò. Nulli ergo hominum dehinc liceat *populis acclamare*, nisi huic; huic liceat: nec populis modò acclamare liceat, sed ipsi Typographo suo quoque succlamare; quod facit statim in capite libri, En *libellum elegantem*, en *opus eruditissimum*. Qui *Papienses* sunt, hoc gaudent priuilegio; Triumphum canere possunt ante *Præfat. Politan.*

victoriam; Transalpinis non licet esse tam gloriosis, quorum *inanes conatus* sunt, quique domi apud se veritatem (vt *Matthaeus*) *triplici funiculo colligatam* non habent. Tu verò vide, *Matthae*, quanto nos hîc æquiores futuri sumus: De sententiolâ hac bellare tecum, vel litigare nolumus; non inuidemus eam frontispicio tuo: Quacúnq; stet veritas, quacúnque vincat parte, tuâ an nostrâ, nec tuâ minùs quàm nostrâ; Faustus hic nobis clamor erit, & vel vinci, gloriosum in hac victoriâ. Sed læti tamen ominis est, quòd rediit denuò iam, Titulus ille, *Magna veritas*, ad locum suum, Regij libri frontem, quæ illi sedes prima fuerat, & natiua: redit verò tertiâ iam vice, *ternarij* vice & numero, numero semper auspicato, quo *Deus gaudet*, quo & ipsa *veritas*. Quod faustum itaque sit, & Ipsi *Magno Regi*, & *Magnæ* (quam *praualere* vult) *Veritati*.

Tum verò torquet eum *Triplicis* etiam *cunei* titulus, & illudit de eo Authori, *quòd cuneos ad nodos suos non rectè applicuerit*. Vereor autem, ne nimis rectè. Cui enim rei *elegans* hic tuus *libellus*? aut quid tibi eius editio est? Quid in eo ita laboras, æstuas, sudas nitendo, si tamen nodus nullus fissus est? Quorsum ita tortus es, vt cuneos retundas, si nullus hæret? Scopus à te cur toties transfertur? Cur opus tibi confugere ad misellas illas responsiones, Est, sed *aliquo modo*; Est, sed *non propriè*;
Pag.21.22. Est, sed *non absolutè*, si omnes cunei aberrârunt à nodis? Quare assimilas tibi passum, & detorques omnia cùm potes; cùm non potes, non potes tibi temperare, quin erumpas mox in
Pag 43. conuitia, *indigna* (vt ais) *graui Theologo*, qualem te perhibet Typographus tuus? Certè, vt torti corporis indicia, clamores & eiulatus: ita torti animi, maledicta & contumeliæ. Animus tuus alicubi in torturâ fuit. Hærent verò etiam, mali illi cunei, nimis altè impacti, nimis tenaces, eósque *Matthaeus* cum *triplici* suo *funiculo* vellet euellere; vellet, nec posset; è re nomen sumpsit, & cùm tortus esset, *Tortus* dici meruit.

Sed iam *sine ambagibus* loqui vult (qui verba tamen tam pauca fecerat, vt *ambages* dici non possent) Authorem Apologiæ, *neq; Iuramentum, neque Breuia, neque Epistolam intellexisse*. Dixin' ego vobis, Sacellanum hunc non esse? Vox quidem hæc, non Sacellani alicuius, quin *illius, qui cùm esset Pon-*
Ioh.11.49. *tifex anni illius, dixit eis, Vos nescitis quicquam: Non Iuramentum,*

non Breuia, non Epistolam, nihil planè intelligitis. Non Sacellanum aliquem *Caiphæ*; *Caipham* ipsum loqui putes, præter quem nemo quicquam intelligit, qui solus omnia. De *Epistolâ* & *Breuibus*, pôst videro; At verò non intellexit *Iuramentum?* Quis verò, cui paululùm modò bonæ mentis esset, tam petulanter obijceret ei ignorantiam hanc tam crassam? Quis ferret obijcientem? Satin' sanus, qui hæc effutias? Scilicet, vt tu, homo Italus, adeo ignarus idiomatis nostri, aut quid verba sibi velint, vt ex alieno iecore sapias, & paulò pôst metuas, *ne te fallat translatio*; tu, vt iuramentum intelligas ad amussim; Author, qui idioma callet, vt suum, natiuum, proprium, non intelligat? Quàm temerè hoc? Pag. 19.

Verùm, etsi verba Legis non calles, mentem tamen & intentionem. Poteram dicere, Vnde tu nobis nouus legum interpres? Theologus es, nec in iure professus: Vnde verò legum nostrarum, quas non condidisti? Quorum autem est condere, eorum est, interpretari. Non dico tamen: sed hoc, Ergóne *Matthæus*, ergóne quisquam mortalium intelligat intentionem legis; Legislator ipse (idem enim legis author, qui libri, nec tu scilicet hoc nesciebas) Legislator (inquam) ipse, vt non intelligat intentionem suam, de lege suâ? Efficies fortè, quid Papa sibi vellet in *Breuibus*, quid Cardinalis in *Epistolâ*, illum vt lateat: quid sibi vellet Ipse, cùm legem, cùm *Iuramentum* conderet, id verò vt lateat, nunquam efficies. Intentionis suæ, Ipse sibi optimè conscius: Intentio autem Eius, vt de fide, & constantiâ suorum securus esset: sola autem intentio. Nec *Papiensis* vllus, nec Papista, nec Papa ipse hoc sciuerit; (corda enim hominum non nouit) solus ipse, qui legem sciuit, scit quid requirat lege suâ. Quàm ergo & hoc sine fronte, sine mente, in præsentiâ Legislatoris, de mente Ipsius, quàm Ipse fuisse asserit, quòd non fuerit, disputare? At tu pôst, cùm locus erit, & se res dabit, faxo vtrámque in aurem audias, quàm temerè multa, quàm turpiter hallucineris de linguâ, literis, legibus nostris, quámque in rebus nostris facias, næ intelligendo, vt nihil intelligas.

Qui Apologiam scripsit, idem Iuramentũ condidit; Iuramentum condidit, nec tamen intellexit: quàm hoc stolidè neget (Lector) vides. Ecquid affert, cur neganti quis credat? Solet enim

enim graue crimen (quale hoc quidem est) vix cuiquam obiji sine ratione graui. An vlla hîc ratio grauis? Ne leuis quidē: Nulla omninò est: Assertio *Torti* nuda, & nuda non magis ratione quàm veritate. *Affirmat enim Iuramento fidelitatis solam ciuilem obedientiam contineri. Addit, Breuibus Pontificijs & Cardinalis Epistolâ ciuilem obedientiam prohiberi. Neutrum verum.* Satis & hoc pro imperio; quasi senex Samius sit. *Neutrum verum:* dixit enim *Tortus*. At nos contrà, Vtrumque verum. Verum primò, *Veram obedientiam* ibi in Iuramento *contineri* totidem syllabis, non autem sacram vllam obedientiam Regi; quare *solam ciuilem*: fidem etiam, non autem Catholicam Regi: quare politicam modò. Verum & illud; Prohibito per *Breuia* Iuramento, *prohiberi & ciuilem obedientiam*, quæ Iuramento ita continetur, vt caput sit ipsa Iuramenti. Mentem Legislatoris, id est, Regis mentem, mentem legis esse; nec aliam, vel Regis mentem, vel Legis esse ibi, quàm vt Rex securus sit de suorum ciuili obedientiâ, politicâ fide; vtrumq; hoc si neget *Tortus*, si dicat, *Neutrum verum*; vtrumq; illi, & cerebrum laborat & cor, neutrum sanum.

Verùm enim id ita esse, *paulò pòst apertissimè demonstrabit.* Paulò pòst ergo hoc diceret, cùm demonstrâsset iam; priùs demonstraret, vinceret: dein diceret, triumphum caneret. Nec ordo fert, nec ratio, priùs sententiam ferre, pòst in caussam inquirere. Sustine verò tantisper, dum aliquid probaueris: nam quæ hæc festinatio est? quàm verò te, *Torte*, non decet? Quâ fronte enim ipse iam facis, quod paulò antè in fronte libri non ferebas? Tua hæc regula (*priùs vt vincas*) tua turpitudo, qui committis in regulam tuam: idem peccas quod culpas; faciendum negas, & facis ipse. Paulò verò pòst, cùm demonstrare nititur *Tortus*, de quo hîc multò antè gloriatur, haud aliud demonstrabit, quàm se, vt hîc, præproperè insultare, ita ibi præposterè demonstrare: Apertissimè gloriari posse, apertissimè demonstrare non posse, nec quicquam demonstrare ibi, nisi inscitiam suam summam in demonstrando.

Nec sese tamen sistit hîc audacia hominis; pergit porrò; & postquam quod Author ipse sciuit *Iuramentum*, id nescire eum dixit; fingit etiam, adeo rei Dialecticæ imperitum, quasi

si ei

ſi ei probando, formet argumenta, quod nuſquam in *Breuibus* negatur, vel *Epiſtolâ*. Ita illi (homo inſulſus) penitus detrahit ſcientiam omnem. At aliquid ei ſaltem reliquum faciat, quo ſuæ laudi nonnihil conſulat. Quæ enim illi laus, ſi vincat in tali congreſſu?

Quid verò ei argumenta peccant? *E Scripturis, Concilijs, Patribus format argumenta varia, quibus probet, deberi Regibus obedientiam ciuilem à ſubditis.* Non id tantùm, *Torte*; plus etiam probat; deberi eam Regibus, Pontifice vel inuito; nempe ita deberi eam Legis diuinæ tabulis, vt *Breui* aliquo Papali ſubditi eâ liberari nequeant. *At hoc in Breuibus, in Epiſtolâ non negatur.* Negatur verò hoc. Tuum illud fortè non negatur; deberi eam, quoad id ita Pontifici viſum: at vbi eos debito hoc ſuo, & quaſi ære ſoluerit, negatur à vobis vlla tum deberi. Quod ni ita ſit; fatere tu, vel inuito Pontifice, deberi Regibus obedientiam, & obtinuit Author Apologiæ in cauſâ: obtinuit, inquam, nec iam argumenta eius à diſparatis; reſponſio tua potiùs & cauſa tota deplorata, & deſperata eſt.

Vide ergo, quàm hîc infœliciter rem geras: vide retortam in te ignorantiam tuam. Nam hoc quidem, Vtrum negetur *Breuibus* illis, illâ *Epiſtolâ*, quæ Regibus debetur obedientia (ſaltem quanta debet, & quoúſque) hoc ipſum controuerſum eſt; quin cardo ipſe totius controuerſiæ. Ait ille; negas tu; lis adhuc ſub iudice. Hoc tu iam quod controuerſum eſt pro confeſſo ſumis, quod nemo facit niſi qui plumbeus eſt in dialecticis. Ita tu, tam magnus ſcilicet dialecticus, parum dialecticè in elenchum incidiſti. Miſeret me tui, *Matthæe*, qui denuo iam recidiuam pateris in illam Doctoris ſummam turpitudinem, vt tua te culpa redarguat. Talionem hîc iuſtè refers, conuictus in eo craſſæ ignorantiæ, cuius alium tam cupidè conuincere voluiſti.

Sufficeret hoc (inquit) *generatim admonuiſſe.* En, vt illi citò confecta res eſt; ſimul vt vidit, vicit. Sufficeret quidem, ſi aliquis hæc nobis *Apollo* de tripode diceret, vel etiam ſi Papa de Cathedrâ, quæ tripodis illius iam inſtar eſt. Sed nec *Apollo* eſt, etſi ille λοξίας hic *Tortus*, (nec abludit nomine) nec Papa; ſed *Papienſis* modò, & haud ita pridem obſcurus author: quòd niſi diligentiùs rem perueſtigâſſet Typographus, nec

nec noti iam nominis, nec fortasse noscendi. Vidit verò non sufficere hæc *Tortus*, saltem non tardioribus; vult sibi porrò molestus esse, *vt tardioribus fiat satis*: & quidem *tardiores* sint oportet, quibus suis hijsce satisfaciat.

1. Meditatur autem (si succedat) ostendere, ***non ciuilem obedientiam modò, sed etiam Catholicæ fidei abnegationem, requiri Iuramento.*** Atque *hæc* illi *principalis quæstio est*; neque nos negamus esse: Porrò etiam abnegari Iuramentum par esse, si abnegetur eo fides Catholica.

2. Primum verò hoc, vbi *tardioribus* suis ostenderit, minatur pòst Apologiæ: caueat sibi; *partes eius excutiet, partes singulas*; quarum tamen multas bonus vir vix salutat, nec vel digito attingit. Ad alias verò in quibus obiectio fortè, respondet quidem, sed negatione nudâ interdum; vel negatione certè nudâ, vel nugatione merâ: vel si locus citatur, de numeris litem facit, vel petere te iubet aliunde responsionem ex alio libro; vel comperendinat de responso, & alio se loco responsurum prolixè pollicetur: quo loco tamen pòst si responsum quæsieris, vnde te hîc mittit, eò te ibi remittet: hinc illuc, illinc huc denuo: credo, vt de lectore periculum faciat, an solerti satis memoriâ sit. Vtrumq; tamen hoc *Tortus* in se suscipit; nos, an præstet in eo fidem, id verò iam, si placet, videamus. Ac de abnegatâ primùm fide Catholicâ.

QVâ de re dum præfatur, intuitu primo videbar quidem mihi, quasi legere Postillę alicuius exordium, &, nisi valdę attentus sit lector, sermocinari ibi *Matthæum* putet; esse illi pro themate, *Apologiæ* verba quædam; conferre autem loci illius varias lectiones inter se, quasi vulgatam cum aliâ quadam versione, aut (si malis) Editiones *Clementis* & *Sixti*: siue etiam, perinde ac si thema illi esset ex vno quopiam Euangelistæ loco, ex alijs autem loci eius harmoniam texeret: sic enim certè Postillatorem agit, dum in hunc modum loca concordat; *Hæc sunt verba eius paginâ quartâ; sed in Anglicanâ clariùs.* Deinde iterum, *sic loquitur paginâ sextâ, In Anglicanâ loquitur apertiùs.*

Quorsum verò hæc, aut cui rei aucupium hoc syllabarum? An hoc nescit, cuique linguæ idioma suum esse natiuum, ei soli proprium; nec quod vnâ linguâ scriptum, idem ipsum

alterâ sic reddi posse, vt non aliquid saltem discriminis sit, in aliqua dictiuncula: sed verbũ verbo per omnia semper vtrobique respondeat? Sententia modò constet: inscitia mera, languere circa voculas; & quis hoc facit, nisi λογομάχοι? sententiam verò quod attinet, pauxillum credo differentiæ inter duo hæc; *Nec vltrà quid desiderare Regem, quàm vt de eorum fide & constantiâ securus fieret, quam propter conscientiã suæ Maiestati præstare tenebantur*; Et, *Regem nihil desiderare, nisi vt securus de ciuili obedientiâ redderetur*. En verò insignem certè, & *Matthæo* notandam discrepantiam, inter *Nihil desiderare*, &, *nec vltra quid desiderare*; inter *certus fieri de fide & constantiâ*, Et, *Certus reddi de ciuili obedientiâ!* Annon hoc est, magno conatu magnas nugas agere?

Quid est enim, (extra causam quidem Religionis & conscientiæ suæ) quid aliud (inquam) est, quod Principi debetur à suis, quàm obedientia ciuilis, & ipsa tamen etiam, (si Apostolum audimus) propter conscientiam? Tum quid hæc, quæso, inter se differunt, *Res præsertim ciuilis, & quæ ad Papam nullatenus spectat*, &, *Res merè & solùm ad ciuilem obedientiam spectans?* Tædet verò minutijs istis immorari. Sed quid agas? Danda venia *Matthæo*: sic sunt isti homines; sic mentem habent; ita mersi in nouâ & nuperâ *de æquiuocis* doctrinâ, vt non modò voces, sed syllabas ipsas vocum, suspiciosè inter se perscrutari soleant, & ex ingenio suo de aliorum scriptis iudicare.

Vbi iam explicit eius Postilla, aggreditur quod antè pollicitus; vt ostendat, *Catholicam fidem Iuramento abnegari*; idque se *facilè probaturum* dicit: idque nos facilè credimus, facilitate quidem maiore quàm fœlicitate. Vidit tamen non tam facile sibi fore hoc, quàm autumauit; quare cautè rem gerit, dum nihil sibi plus probandum assumit *de Catholicâ fide*, aut (quod idem illi sonat) *de Primatu sedis Apostolicæ*, quàm quod *apud Catholicos suos pro certissimo dogmate habetur*, apud quos, multa non valdè certa habentur pro certis: Cautè hoc (inquam) quòd rem ponit, apud suos: apud alios enim, & quidem (quamuis id nolit *Matthæus*) Christianos, etiam Catholicos (etsi fortè non de Catechismo *Romano*, nec addictos iurare in cæcum illud idolum, quod dicitur fides implicita,

cita, vt qui sub plicaturis illis quid lateat, ignorent) apud illos non habetur hoc sanè pro dogmate certissimo; ac vt pro tali habeatur, fide opus ijs tantâ, quanta monti mouendo par sit, vt hoc (inquam) pro certo constet, *Primatum sedis cuiusquam in Scripturis fundatum esse.* Nisi sicubi apud Indos, affines eius Iesuitæ in nouum aliquod Euangelium Giaponicum inciderint; aut nisi Pontifex ipse, Quintus scilicet Euangelista, in illo suo Euangelio quinto, fundamenta eius iecerit. Quem titulum Quinti Euangelistæ, oblatum *Clementi* octauo ab egregio illo impostore, *Humili Gabriele*, modestus homo *Clemens* non repudiauit; *Baronius* etiam agnouit; retulit in Annales suos; censurâ suâ rem totam approbauit.

Tom. 6. in Append.

Cùm verò iam probandum hoc sibi proposuisset, *Catholicæ fidei abnegationem Iuramento requiri*, pòst paulò scopum transfert, & meliori mente iam, immò *agi* ait *de fide Catholicâ in Iuramento.* At eademne hæc *Papiæ* sunt, *agere de fide*, & *fidem abnegare?* Ego verò si largiar tibi, agi in Iuramento de fide, (agitur enim de obedientiâ & fide Regi præstandâ, quam in Scripturis sanctis apertissimè fundatam nec tu ipse, scio, negabis) si (quod ascribis in margine) *In iuramento contineri religionis negotium*, & hoc quoque largiar tibi (vt enim probent fidem suam Principi suo, qui subditi sunt, religionis negotium certè, quis neget?) vt hæc (inquam) tibi largiar, agi de fide, de religione: at vel fidem, vel religionem abnegari, vel vt abnegentur agi, id verò pernegabo.

Sed tamen, neq; agitur ibi *de fide Catholicâ*, tuo quidem sensu, vt ei ex Iuramento periculum vllum. Agitur verò (inquit) *de fide Catholicâ, id est, de Primatu sedis Apostolicæ.* Scribit hæc *tardioribus* Tortus, quibus persuadere se posse sperat, eadem per omnia esse hæc, *fidem Catholicam*, & *Primatum sedis Apostolicæ*; nec transferri hîc scopum denuò, *à fide*, ad *sedis Primatum.* Audito *fidem Catholicam abnegari*, exhorruit lector; credidit aliquem de Symbolo articulum vel tolli, vel in dubium vocari: de Trinitate, Christo, Spiritu Sancto perperam tradi aliquid. Nihil horum: respira, lector: non enim *de fide Catholicâ* agitur, eâ, quam Apostoli, quam Patres *Niceni*, eâ, quam scripsit *Athanasius*: quin audite Torti ὁρισμὸν fidei Catholicæ: *De fide Catholica, id est, de Primatu sedis*

dis Apostolicæ. Agitur ergo tantùm *de Primatu sedis*, & ille tantùm negatur, (si tamen ille) cuius tamen in trium, quæ dixi, symbolorum nullo, mentio vlla. Monendus ergo mihi lector est, ne metuat hîc sibi quicquam à voce *Fidei*; Latè se porrigere apud *Tortum* vocem *Fidei* Catholicæ, etiam ad sedes,& sedilia, & primatum eorum; nec minùs latè apud Iesuitas. Quàm sæpe,quàm sine causâ apud eos legas, *est de fide*? Implicitam enim hij homines fidem habent, nescio quot plicis implicitam; quarum plicarum ex vnâ, si sedulò excussa fuerit, prodibunt fortè nobis *sedes ista, & Primatus*.

Non hîc ergo *de fide Catholicâ* explicitè, non pressè agitur. Nam cum *fides Catholica* in Symbolum redacta primùm,nulla erat adhuc sedes Apostolica; Romæ quidem nulla, quæ illa Helena est pro quâ *Matthæus* dimicat. Certè, ante martyrium Diui IACOBI editio Symboli: alioqui,non *credimus in* IESVM CHRISTVM;qui articulus D.IACOBO, tanquam ab eo collatus in Symbolum, ascribi solet: saltem, priusquam Hierosolymâ discessum ab Apostolis,editio Symboli; id est, priusquam Româ venisset Apostolus *Petrus*, teste vel *Baronio*. Aliquanto enim pòst Romæ sedem posuit,quàm *Ad an. 44.* Catholica fides primùm ederetur. Priùs ergo completa *fides Catholica*, quàm inchoata *sedes Apostolica*; vt si de fide sit, de recentiori aliquâ sit. Et sanè, pessimè post isthuc in se, atq; in nos consuluerunt Patres *Niceni*, pessimè *Athanasius*, quorum nemo primatum hunc, sedis huius, *caput fidei præcipuum, præcipuum fundamentum Religionis* Catholicæ, Symbolis pòst suis inserere vel meminit,vel curauit.

Verùm enim, etsi nulla in Symbolo Primatus vestigia: at *est* tamen *in scripturis sanctis apertissimè fundatus*, quare apud Catholicos certissimus. Nec iniuriâ, si *in Scripturis fundatus, & fundatus apertissimè*. Non enim si positiuo gradu, si *apertè* positus, satis hoc *Torto*; quin *apertissimè* ait, nempe vt cuiuis se statim in oculos ingerat.

Mirum autem si *apertissimè*,& eum post quadringentos demum annos, tres successiuè *Romani* Episcopi, *Zosimus*, *Bonifacius*, *Cælestinus* quem habebant in scripturis tam apertum, super canones *Nicenis* fundare conati sunt; falsò id quidem etiam, sed tamen conati sunt.

Apertissimè ais, nec eum ducenti & septendecim Patres in Concilio *Carthaginensi* (& erat inter eos tum *Augustinus*, quo vix quisquam in scripturis oculatior) vsquam in scripturis tamen, addo etiam, nec inter *Nicenos* Canones conspicere potuerunt?

Itanè *apertissimè fundatus*, nec sexcenti & triginta illi Patres pòst in *Chalcedonensi* quarto Generali viderunt tamen? Omnes ne μύωπες erant? Omnibus ne caligabant oculi, qui Primatum quidem viderunt ibi, non tamen in scripturis fundatum, quin in *Patrum* Decretis, idq; eo nomine, non quòd sedes ibi Apostoli, sed *quòd vrbs illa caput esset Imperij*? Monstri verò simile, si inter tam multos oculos, oculos aquilinos, oculos quotidie in scripturis exercitatos, nullus tamen conspexit Primatum illum sic (vt ais) *apertissimè fundatum*. Apage *Matthae*; nisi valde *tardo*, nulli fidem feceris hac de re: fundamenta eius in montibus Septem, non in montibus sanctis, *ad quos confugere* nos iubet Seruator, quos non nemo de Patribus Scripturas interpretatur. Quin tu censeo & Dominus tuus, & Dominus Domini tui iure humano cõtenti sitis, diuinum mittite, mittite scripturas; in quibus, si apertissimè fuisset fundatus; antè, diu ante editum in lucem *Tortum*, aliquis (credo) tot Patrum vel per transennam vidisset, & quia Catholicæ fidei adeo præcipuum caput est, indicâsset.

Chrys. oper. imperfect. in Mt. 24. Homil 49.

Quære, si libet, non in scripturis, vnde nemo Patrum eruit, non in Niceno Concilio (*Atticus* ille & *Cyrillus*, transmissis *Carthaginem* veris eius exemplaribus, labore te hoc leuârunt) Quære in *Sardicensi* Synodo, non tamen Generali illâ, quod valdè vult [a] Dominus tuus; non enim secundâ, vt oportuit si Generalis, nec vllo in numero Generalium; quin Prouinciali, idque tam obscurâ, vt ne nomen quidem eius, aut talem vnquam Synodum fuisse, vel *Augustinus*, vel quisquam è ducentis illis & septendecim Patribus, fando aliquando audiuerit. Ibi quære, ibi fortasse reperturus illius rudera, nempe in placitis Patrum, & illâ *Hosij* demissâ petitione, [b] *Placetne vobis vt honoremus Petri memoriam.* In scripturis autem ne inuenies quidem, nisi artem edidicisti de quâ Diuus [c] *Petrus*, τὸ στρεβλοῦν τὰς γραφάς, & nisi mutare tibi nomen in animo, & pro *Matthæo Torto*, *Matthæum Tortorem* fieri.

a De Rom. Pont. lib. 2. cap. 25.

b Concil. Sardi. cap. 3.

c 1. Pet. 3. 16.

Esto

ESto tamen, quò poſsis progredi; Nego agi in Iuramento de Primatu ſedis Apoſtolicæ; agi dico vt abnegetur: an vel hoc probabis? facilè verò (inquis) ex ipſo *Edicti titulo. Titulus enim eſt ad detegendos Papiſtas: Cur non ad detegendos rebelles, niſi quia finis Iuramenti non eſt, niſi detectio confitentium Primatum ſpiritualem ſummi Pontificis?*

Sed quid tibi, *Matthæe*, cum legibus noſtris? Theologo cum legibus, *Italo* cum noſtris? Non tibi illas condendi ius vllum: Audi verò, ne interpretandi quidem igitur. Tum, ſi interpretem volumus de veſtris, volumus qui nominis ſit & ominis melioris. Apage vt legum interpres *Tortus* ſit: iuſta metus cauſa, ne tortus ipſe cùm ſit, leges etiam torqueat, quò ſibi ſimiles reddat, id eſt tortas. Quare te quidem interpretem leges noſtræ, omnes (credo) leges deprecantur. Vide enim quid leges à te expectare debeant, qui titulum ipſum ſic torques.

Quid verò? cùm nouus legum interpres eſſe cupias, neſciebas hoc, varias ſæpe res diuerſas inter ſe vnâ lege edici vel interdici, quarum ſi vel de præcipuis aliquas comprehendat titulus, ſatis eſſe, nec opus vt ſingulæ ibi ſigillatim exprimantur? Ita factum in lege hac: partes illius multæ ſunt, multæ (inquam) præter vnam hanc quæ de Iuramento eſt: tute ipſe pòſt quatuordecim enumeras; titulus illi à parte, ſed maiore; pars maior Edicti detegendis illis fuit; titulus ei ab hac parte; quid hîc cauſari potes? Sed reſpondeo tibi ad quæſita tua: *Cur non ad detegendos rebelles?* (nam hæc tibi tituli forma magis placet, ſed ineptè prorſus) Cur non ad *rebelles?* Quia nihil opus; nihil (inquam) opus detegi illos, qui ſe non tegunt. Nam ſi ſe tegant, *rebelles* non ſunt; *Rebelles* tum demum, cum apertè ſe gerunt, & γυμνῇ κεφαλῇ cum produnt ipſi ſe, & dant in conſpectum. Ad proditores clancularios, crypticos *detegendos, reprimendos*, opus iuramento fortè: ad *rebelles* nihil opus.

Sed *cur ad detegendos Papiſtas*, niſi quia hoſtilis in eos animus? Vide verò quàm meritò in te retorqueri poſsit telum tuum, nimirum, quòd ipſe Iuramentum non intelligas. Quid enim? an ad omnes, an ad quoſlibet, paſsim & promiſcuè, *Papiſtas detegendos* editum Iuramentum hoc?

Caue putes: Ad hoc enim, quid opus Iuramento isto? Quid vllo opus? Sacris non intersunt, conciones non audiunt, Eucharistiam sumere detrectant: sine hoc, sine vllo iuramento scias, qui sunt Papistæ.

Ergóne ad eos detegendos, qui *negant Regium Primatum, confitentur Papalem?* Frustra es & hîc: nam huic rei iam pridem iuramentum aliud conditum, vetus illud, ante septuaginta iam annos & ampliùs, idque (vt tu ipse pòst asseris) *satis rigidum*. De Primatu Regio abundè cautum erat Iuramento illo, vt nouo ad hanc quidem rem nihil opus; ægri hoc cerebri somnium. Nec ad hos ergo, nec ad illos detegendos iuratur hîc.

Pag. 66.

Ad quos ergo? Certè ad Papistas certos quosdam, illorum nempe similes, qui in proditione pulueraria partes suas egerant, nempe quibus non satis Missas facere, reliqua sacra vestra obire, nisi Regem, Reginam, Regiam prolem, familiam, Regni Ordines omnes, & Primarios viros, vnâ displosione discerpant; id est, quibus non satis Papistas esse, nisi & nefarij parricidæ sint. Non ergo (si titulum capis) *ad detegendos Papistas* est promiscuè quoslibet, sed ad certos quosdam *detegendos*, eósque *non Regio Primatui*, quin Regio Principatui, saluti, vitæ hostes capitales. Hi, hi erant detegendi Iuramento hoc, hi reprimendi.

Verùm esto; dabo tibi quod vis; vel sic, si potes, retunde cuneum; vel sic constare sibi poterit titulus, si in tortum interpretem non incidat. Aptum enim iuramentum, & imprimis accommodum *ad Papistas tum detegendos, tum reprimendos*, Papistas (inquam) qui ex conscientiæ scrupulis quibusdam sic sunt homines alioqui non mali, nec ab officio erga Principem alieno animo; ad Papistas hos *detegendos*, non tamen *reprimendos*, sed distinguendos ab alijs illis (Papistis quoque & ipsis) quibus religio nulla, imò quibus religio tota machinari in Regem, suffodere muros, exinanire vsque ad fundamenta: *ad* hos verò cùm *detegendos*, tum *reprimendos*. Quid? annon tibi hoc est *detegere?* & aptè quidem, quò sic quémque eorum suo in genere nosse detur: nosse qui sedati sunt, & illos sinere; nosse qui turbulenti, & illos *reprimere*. Vide ergo vt titulus iam constet, *Ad Papistas* omnes,

omnes, quo ſint in Regem animo *detegendos*; *Ad Papiſtas* illos, qui maligno ſunt in Regem animo, *reprimendos*.

Atque hoc te vel ipſum tempus (magiſter optimus) docere potuit: nempe ex quo facto ortum ius iſtud, ex quibus moribus nata lex, quod genus hominum huic Iuramento condendo cauſam dederit. Statim enim à proditione illâ detectâ, prima cura ſtatuendi Iuramenti huius: ante illam, nec mentio vlla, nec in mentem cuiquam venerat, aut huius, aut vllius de nouo excogitandi. Totum hoc Regiæ clementiæ tribuendum; nempe in ſuperſtitioſos illos æquior volebat eſſe: in iſtos, non homines, ſed monſtra hominum, iniquum erat æquum eſſe. Voluit ergo, vt par erat, hos ab illis internoſcere, ne aut vtríſque cum periculo fideret, aut vtróſque ſine diſcrimine plecteret. Nec alia occurrit commodior ratio Regni Ordinibus in Conuentu illo, quàm Iuramento hoc nouo, tanquam teſſerâ quadam, hos ab illis diſtinguere. Etenim quos ſuperſtitio modò detineret, quibus alioqui non læua mens, libenter præſtituros: at quibus præter ſuperſtitionem, vlcerosus animus, ſuppurata fides, quiduis potiùs admiſſuros. Ac ſuperſtitioſos quidem illos detegi, nec opus, nec ſcopus fuit: hos verò detegi, retegique, opus & ſcopus; ius & fas. Quod & potuit fieri, & factum eſt, *fide Catholicâ* illibatâ atque integrâ permanente, etiam (vt fors tulit) *Primatu* ſpirituali *ſedis Apoſtolicæ* nulla ex parte violato. Vides verò in Paratitlis tuis ſupereſſe tibi ſpem nullam.

Locum tandem hunc de titulo Edicti claudit titulo alio, vnde illi oculi dolent, *titulo Papiſtarum*, quo ſcilicet Catholicos eius appellamus: & hoc illum malè habet, non vult illos dici *Papiſtas*. Qui verba hæc hoc loco legis, lege amabò & verba libri penè poſtrema; *Torti* vicem, ſcio, dolebis, ſic eum, in opere non longo, ſomno oppreſſum eſſe, vt tam parum ſibi conſtet. Papiſtas hîc dici, homo ſtomachatur; idem ipſe, eoſdem ipſos, extremo libro ſuo, dicit *tertio quoq; verbo in Apologiâ Catholicos appellari*. Ecqua gratia de titulo Catholici? non: ſumit inde argumentum, vt Authorem Hæreticũ vocet, vt qui, quos ipſe Catholicos nominat, oppugnet tamen. Interim huic homini, tortuoſo huic *Proteo*, quid facias? quomodo placeas? *Papiſtam* dic, ægrè fert, obmurmurat:

murat: Indulge illi paululum, *Catholicum* appella, de sententiâ suâ; Itáne verò, inquit? ergo tu Hæreticus, qui aduersùs me scribis: neutro placere potes, quasi *puer esset in foro sedens: cane tibijs, non saliet: plora, non planget.* Si vero nomine appelles Papistæ, non potest ferre nomen suum: sin ita appelles vt ipse se gestit appellari, ne sic quidem boni consulet: eo ipso, quòd eum vocâsti vt ipse vocari vult, nihilominùs vapulabis.

Vsurpauit quidem Apologiæ Author, etsi non tertio quoque verbo, ne tricesimo, ne trecentesimo quidem, sæpe tamen nomen *Catholici:* non quòd sic de illis sentiret, aut quòd ita debeant appellari; sed quòd verbo duriore noluit lædere, dedit hoc auribus illorum. Vides verò, quam illi gratiam referat *Matthæus*, vt in illum homo inhumanus inuolet, deinceps vt hac voce prorsus abstinendum sit. Sciat ergo dehinc *Matthæus*, vsurpari nobis terminos hosce duos, *Papistæ* & *Catholici*, pro ratione scholæ suæ, vbi *nominales* sunt, sunt & *reales.* Quodsi quando posthæc *Papistam* legat, terminum *realem* intelligat statim; sic enim reuera sunt: sin aliquando *Catholicum*, terminum *nominalem*; sic enim titulo tenus dicuntur, nec secus quàm *Dauus* vir bonus in Comœdiâ, veri nominis *Papistæ*, titulares *Catholici.*

PErgis iam ad Edictum ipsum, & in Edicto, ad illa Iuramenti verba, quibus configis quidem cornicis oculos. *Quòd Papa potestatem non habet Regem deponendi, vel Subditos eius ab eius obedientiâ & subiectione exonerandi. Hic iam manifestò*, inquis, *perspicitur non contineri solam ciuilem obedientiam.* Imò, *manifestò perspicitur* non abnegari fidem Catholicam: potestas enim illa, quâ Reges deponit, de fide Catholicâ non est: etiam (quod tu negas) non minùs *manifestò*, solam ciuilem obedientiam contineri. Non enim sub *veræ* ibi *obedientiæ* nomine, sacram vllam requiri, vel in sacris; nec aliam præter ciuilem illam, quam ciues Principi præstare debent, & ad quam Principi præstandam, iure omni, naturali, morali, ciuili, municipali obligantur. Eius verò vis sic inibi explicatur: nempe, vt in officio suo erga Principem constanter permaneant; ab eo, nullius (nec vel Papæ suasu) monitis, minis deficiant; prompti sint & parati, si hostis vllus contrauenerit, qui

deponere

deponere de regno Regem, qui de regno eius disponere, qui impreſsionem facere, motus concitare, vim afferre moliatur, vel ſi Papa is ſit, ne hæc Regi fiant, quacunque poſſunt ratione reſiſtere: fortunis omnibus, viribus totis Regi fideliter aſsiſtere, pro eo fortiter dimicare, etiam, ſi res ferat, viriliter occumbere. Et quid hîc niſi ciuilis obedientia? Porro etiam cauetur ibi, hæc ciuium fides & ciuilis obedientia tam firma ſit, tam aduerſùs omnes inconcuſſa, vt nullus inde eos poſsit diuellere, ne Pontifex quidem ipſe, quin ſi ille Regem (quà poteſt) deponat, at hij fidem tamen in Regem ne deponant. Hæc illa eſt merè ciuilis, ſola ciuilis obedientia, quæ Iuramento continetur, nec mentio in eo Pontificis vnquam fecerit, vt non ſit merè ciuilis: Hanc oppugna tu; hic Rhodus, hic ſaltus.

Et *continere* inquis *verba hæc abnegationem Pontificiæ poteſtatis.* Qui paulò iam antè delapſus à fide Catholicâ ad ſedis Primatū, iterum, & quidem bis, delaberis à primatu primùm ad poteſtatem tum à poteſtate Apoſtolicâ ad Pontificiam. A primatu ad poteſtatem non oportuit. Primatus ordinis eſt, qui etiam ſine poteſtate conſiſtit; poteſtas ſe porrigit vlteriùs. Sit ſedes Apoſtoli, ſedes prima; (ſaltem in occidente) ſit ſeſſor eius primæ ibi ſedis Epiſcopus; de poteſtate noua quæſtio: quam tu tamen ſic ſumis, quaſi nihil intereſſet. Primatum, etiam (ſi voles) Principatum inter Philoſophos facilè daturi ſumus *Ariſtoteli*, inter Rhetores *Demoſtheni*: quibus tamen in reliquos, vel Philoſophos vel Rhetores, inde haud vlla poteſtas è primatu ſuo. Quodſi de primatu ad poteſtatem ſic tranſire voluit, ſcire peruelim, cùm Primatus illi ſit Apoſtolicus; cur non & poteſtas itidem Apoſtolica, ſed Primatus Apoſtolicus, poteſtas Pontificia? Non id de nihilo erat; Primatum vtcumque probare ſe poſſe putat in Apoſtolo; *Primatum* poſuit ergò *Apoſtolicum*: poteſtatem, quam Papæ vindicatam vult, in Pontifice fortè, in Apoſtolo vidit probari non poſſe. Noluit ergo *Apoſtolicam* dicere, ne potuit quidem; cum illam non poſſet, dixit *Pontificiam.*

Sed neque de Apoſtolicâ ad Pontificiam, tranſire debes ſic deſultoriè: Non enim, ſi Apoſtolica eſt poteſtas vlla, ſta-

tim erit & Pontificia. Climax priùs conficiendus est tibi bene longus, & ducendus Sorites sesquipedalis, quàm vt ista tibi duo detur coniungere. De potestate primùm, vt transire posſit in Apostolum, atque inde in Pontificem deriuari. Fueritne vel in ipso Christo (quà homo Christus) temporale dominium, & potestas regna transferendi? Si fuerit, volueritne illam de se deriuare? Si voluit, in vnumne, an plures? si in vnum, an vnus is Petrus? Pòst de Apostolicâ. Ecquid in Apostolo hæreditaria fuerit? Tum, quis eius hæres? Episcopusne aliquis sit dicendus hæres Apostoli? an ex asse hæres, vel quatenus? Postremò de Pontificia. An fuerit *Petrus* Episcopus, an Romanus fuerit? Tùm de legitimo succedendi iure. Denique de illius canonicâ electione, qui nunc sedet Pontifex. In lite hac insunt omnia hæc, quæ tu tamen vnico saltu transcurris omnia, & pro Pontificio statim sumis quicquid est Apostolicum. Tum, de quo subinde mihi monendus es, hæc tibi si concedantur omnia, at omnia tamen hæc de fide non sunt; teipsum appello.

Interim vides, lector, vtcunque fides Catholica prætenditur, negotium hîc agi Pontificis; caput esse in procuratione omni negotium eius: vtque scias rem ita se habere, non iam ait fidem Catholicam, puta de symboli articulo aliquo, sed *fidem Catholicam de primatu sedis Apostolicæ*; ac nec illam etiam, sed *fidem Catholicam de potestate Pontificis* hîc periclitari.

Quæ verò potestas illa tandem Pontificis, quam abnegari autumas? Potestas *quæ non est res merè temporalis*. Vtinam dixisses, non omnino temporalis: vox illa, *non merè*, suspecta est mihi. Nam dic quæso, estne temporalis, quanquam non merè? Videtur certè. Quanquam quid trepidas hîc, & esse *non merè temporalem*, quasi hæsitanter affirmas? Dominus tuus absque tuo hoc *non merè*, absque vlla trepidatione temporalem dicit, & temporalem summam, atque ita inscripsit librum suum quintum de Pontifice, *De potestate Pontificis temporali*. Nec Dominus tuus modò, quin ille alter
Pag.19.12. personatus histrio, qui hoc idem tentauit Anglicè in Apologiam, quod tu hîc Latinè, (pari successu vterque) vltro fatetur, quicquid hoc est potestatis, totum temporale esse, quam Pontifex in deponendis Regibus adhibere solet. Tu-

que

que adeo ipse paulò pòst *potestatem excommunicandi intrinsecam esse* dicis, *primatui tuo & inseparabilem*, & alio pòst loco *propriè ad ipsum pertinere*. Cúmque hoc dicis, id videri vis innuere, alteram potestatem hanc, eiusdem naturæ non esse, sed extrinsecam certè, & separabilem, & ad Pontificem minùs propriè pertinere. Quodsi autem *non merè temporalis* potestas hæc Reges deponendi; an ex aliquâ vobis parte spiritualis est? Sic enim non nemo de vobis scripsit. At ridiculus homo ille, qui quia ad salutem animæ (rem nempe spiritualem) refertur potestas hæc, spiritualem ex eo vult *dici posse*. Quanquam hoc ipsum quod dicit, *dici posse*, timidè ab illo positum & diffidenter; Dixisset verò spiritualem esse, si sic esset, & nisi vidisset id propriè dici non posse: nunc cùm illud nec ausus nec potuit, loco eius posuit, *posse* quidem *dici*, veniâ datâ fortasse, licèt siquis illam sumat in manus serio atque excutiat, non sit tamen. Hæc verò si regula detur, si sic loqui liceat, dic age; si spiritualis potestas ad temporale quid, aut terrenum referatur; si hunc sibi scopum habeat, potestne dici temporalis? Vide verò quid respondeas: sæpiùs enim spiritualis potestas Pontificis vestri, ad temporalem finem refertur, quàm temporalis ad spiritualem. Quin si fine metienda sit, vix alium ad finem referri iam diu solet, etiam spiritualis illa eius potestas, quàm ad dilatandas fimbrias eius in temporalibus. Ita si viam hanc pergas, breui, nisi temporalis solùm, nulla futura est potestas in Pontifice. Tace ergo de fine, si sapis. Addo verò etiam cautionem hîc alteram: Nam hoc si semel constet, temporalem potestatem (quam & Principes habent) si ad spiritualem finem referatur, ex eo quòd ita referatur, transire statim in spiritualem: næ & Principes vestri quoque Catholici, spirituali sese potestate præditos sentient, non minùs quàm Pontificem ipsum.* Nam si potestatem hanc suam ad Ecclesiam in Regnis suis reformandam adhibeant, spiritualis iam erit, ad spiritualem nempè finem relata: verendum autem, ne sic turbas dent, & submolesti sint Pontifici, nouâ hac suâ spirituali potestate.

Pag 9.

Bort Epo. de iurisdict. Qu. 5.

Saltem de quâ nunc agis, concedes; etsi non merè, temporalem tamen esse. Vide verò, tua hæc quàm non cohæreant. Ad *potestatem* hanc deuenisti à *Primatu*. At *Primatus*

modò

modò *Spiritualis* erat, cuius confessionem aiebas *Catholicorum propriam*. Quintò iam ergo *Proteum* agis, delapsus à *Primatu Spirituali* ad *potestatem temporalem*, & à fide Catholicâ de *Primatu Spirituali* ad fidem Catholicam de *potestate temporali*. Valdè autem impropriè hoc. Sed quid facias? Omnia quæ quidem ad potestatem hanc spectant, ipsáque adeo potestas, impropria est, & indirecta, vt nihil de eâ, aut directè, aut propriè dictum expectari possit.

Cùm iam *temporalem* esse constet *potestatem* istam, quæro porrò: Quænam *temporalis* sit? Quâne præest Pontifex, & ius dicit vrbi & ditioni suæ suburbicariæ, vt Princeps aliquis temporalis? Non: sed alia, longè alia potestas temporalis, longè scilicet, latéque diffusa, in vrbes, ditiones, subditos omnes Regum, imò in Reges ipsos: nec in Reges quæuis, sed longè omnium maxima, nimirum ad ipsum vsque actum depositionis de Regnis (si actus dicendus sit, non priuatio, depositio de regno.) Ac Reges quidem, personæ omnium summæ; & corona, res Regum summa: priuatio itaque coronæ priuatio summa, summa dico, & summopere eis metuenda. Summa ergo hæc quidem *potestas temporalis* est, vtpote in summos, & ad summæ rei discrimen summum, quin apex ipse, atque summitas totius *potestatis temporalis*. Hæc illa est *potestas temporalis* in Reges, plusquam Regia, quam *Tortus* vindicatum it Pontifici, quâ scilicet coronas Regum capitibus detrahere, sceptra manibus excutere, trabeas humeris reuellere, ipsósque adeo Reges & Monarchas summos de solijs deturbare, & ad vsque scabellum Pontificum humiliare possit. Regnum res temporalis est: rei temporalis priuatio, pœna temporalis: Temporalis pœna temporali iure infligitur: temporale per eum ius dicitur, qui in temporalibus superior est. Id ergo agitur, vt Regum in temporalibus superior Papa sit, in Reges temporale ius habeat, temporalem ei in Reges, & regna Regum, potestatem exercere fas sit. Et hæc iam potestas *Catholicæ fidei*, procul dubio, pars magna est, & *fundata in Scripturis*; vah quàm apertè. Atqui nos vt demus tibi, fidem esse aliquam vestris hominibus de spirituali primatu: de potestate temporali, & præsertim priuatiuâ hac potestate, nunquam dabimus: imò, nec vestri vnquam hoc homines

mines datum ſunt.

Poteſtas hæc eſt tamen *Torto res ſacra:* at non merè ſacra; licèt enim non merè temporalis: temporalis tamen eſt: at quâ parte temporalis, ſacra non eſt. Sed eſto ſanè ſacra, ſi voles: multa enim Romæ ſacra, quæ nihil ad fidem ſanctam & Catholicam, præſertim *auri ſacra fames*, nec minùs *ſacra fames dominandi*; præ quibus, Romæ diu iam nihil ſacrum: quo in genere, tua hæc poteſtas, eſto ſanè res, ſi voles, vel ſacerrima.

Etiam *cœlitus data.* Cœlitus autem? Quando? Quandone audiuit vocem de cœlo, *Surge Petre, occide?* Vnum enim hoc, illi de cœlo dictum: cætera quæ accepit, quæ audiuit, *de clauibus, de ouibus*, ſuper terram data, & dicta ſunt omnia: illa vna eſt, quæ *cœlitus data* eſt; atque hoc nuper *Baronium* in ſepticipiti ſomniaſſe *Parnaſſo* memini. De quâ nihil opus eſt addas, quòd *nullus tam mortalium vel tollere vel minuere poſſit.* Nam Theologi illam *Veneti, Galli, Germani*, valde *minuerunt* non ita pridem, addo etiam, penitus iam pœne *ſuſtulerunt.*

Ac tu ipſe quidem huic partui tuo malè vidêris ominari. Nam priuſquam edis in lucem, vel eius nomen nominas, præfaris de eo parum honorificè; nempe, nec *quomodo* poteſtas hæc *accipi* debeat, nec *qua de cauſa exerceri*, conuenire adhuc inter Theologos & Iuriſconſultos. Ain'? non conuenit *de modo, de cauſis*, cùm tamen *de fide Catholica* ſit ſcilicet, & *apertiſſimè fundata in Scripturis?* Egregiam verò poteſtatem, & omnibus fide Catholicâ credendam; de cuius tamen *modo, quo accipienda*; *cauſis, ob quas adhibenda*, etiamnum poſt mille ſexcentos annos adhuc diſputatur. Sed quid ita tandem duo illa, *de modo, de cauſis*, ſic leui pede tranſilis? Nihilne *in modo*, nihil *in cauſis* momenti apud te? Tuâ ſcilicet, quo modo habeat Pontifex tuus, nihil refert, habeat modò poteſtatem hanc: nec iuſta ſit cauſa, an iniuſta, propter quam exerceat, tantùm vt exerceat Pontifex vbi volet, poteſtatem. Atqui nobis momentum magnum *in modo, in cauſis hiis.* Quare moneo hîc iam; conueniemus te pôſt de vtriſque: nec enim ſic leuiter tranſeunda ſunt, quin *neceſſarium hoc loco de iis diſputare.*

Verùm enim vtut *de modo, de cauſis* non conueniat, de re

inter omnes conuenit; *posse* scilicet *Pontificem Maximum hæreticos Principes iure deponere*. Quorsum hoc iam, *conuenit inter omnes*, si de fide Catholicâ est? Ecquid de fide Catholicâ interdum apud vos non *conuenit?* Vllane dissentio de rebus fidei? Quid ergo attinet ista dicere, *conuenit inter omnes*, cùm de fide Catholicâ esse contendas? Enimuerò, non si aliquâ de re conuenit, statim de fide est: de multis conuenit, quæ tamen de fide non sunt, in fidem non veniunt, infra fidem subsistunt, qualis hæc de *potestate temporali*. Ea enim certè, recepta potiùs opinio dicenda, quàm caput fidei; & alicubi in Theologiâ vestrâ locum habere potest, quæ habitus est conclusionum; in fide non potest, quæ habitus est principiorum. Quæ receptæ apud vos opiniones sunt, de ijs fortè *inter omnes conuenit*: at eæ tamen de fide non sunt. Atqui *de Catholicâ fide* dixti modò potestatem hanc esse: iamne sat putas, si *de eâ conueniat* modo? nec dum ergo fixus *Torto* scopus: modò *fidem Catholicam crepuit*, iam sat illi si *de eâ conueniat*, si inter receptas opiniones locum habeat Quanquam, quod mox doceo, tantùm abest, vt sit de fide, vt etiam nec inter opiniones illas annumeranda sit.

Sed vbi tibi animus, cum sic instituisti thesin tuam hijs terminis, *Posse Pontificem Principes hæreticos iure deponere?* Perinde enim hôc intelligi, perinde explicari potest, vt illud Delphicum, *Æacidem Romanos vincere posse*, tam vt *Æacides Romanos*, quàm vt Romani illum: Itidem hîc, tam vt Principes Pontificẽ possint deponere, quàm vt Pontifex illos, atque ita eludi tota *res* tam *sacra*: quod fuit ergo à te malè prouisum, & positum terminis parum magistralibus. Verùm vidêtis tu quidem, ita diu æquiuocis tuis assueuisse, vt nec iam, cum tanti momenti res agitur, repentè vniuocus prodire possis.

Quid verò illud, de quo ita *inter omnes conuenit? Posse Pontificem Maximum Principes iure deponere*. Ain' verò? *Conuenit de hoc inter omnes?* Iam ne hoc nuper? non enim certè olim *hac de re inter omnes conueniebat*; non inter eos, quos, inter omnes hæc causa tangit maximè, Principes, dico, vestros Catholicos, & Pontificem. Etiamne inter hos conuênit vnquam, vt si quando Papa deponere, illi deponi vellent, & loco cederent statim latâ sententiâ? Per tot secula merè Catholica, diu

ante

ante natos Reformatores iſtos, ecquis vnquam Papa depoſuit Regem ex hoc conuento, ſine vi? Ecquis virtute clauium *Petri*, ſine gladio *Pauli*? Ecquis Rex, auditâ Papæ ſententiâ, ſtatim coronam cum ſeptro depoſuit, ſtatim poteſtatem hanc *ſacram*, *& cælitus datam*, agnouit? Non eſt factum. Quare autem non, ſi *inter omnes conuênit*, *Poſſe eum Reges iure deponere?* Noſtro hoc ſeculo, faciat, cùm volet, periculum inter Catholicos ſuos: non reperiet Regem tam Catholicum, non tam Chriſtianum Regem, etſi vel maximè Chriſtianum, qui morem geſturus ſit. Sentiet me vera vaticinari, non conuenturos hac de re, præcipue autem non illos, inter quos de eâ omnium maximè conuentum oportuit.

At cùm dixti *Omnes*, id voluiſti, *Theologos* & *Iuriſconſultos omnes*. Nec ſic feres tamen; Nego, vel inter hos. Olim nullus in mundo Theologus, vel Iuriſconſultus, *Lutheranus*, nec tamen vnquam Pontifex poteſtate hac ſuâ *ſacrâ & cælitus datâ* vti voluit Reges deponendi, quin aliquis ſemper Theologus extiterit, puta *Canonici Leodienſes*, *Conradus Traiectenſis*, *Gulielmus Occham*; aliquis Iuriſconſultus ſemper, puta *Venericus Vercellenſis*, *Waltramus Naumburgenſis*, *Petrus de Vineis*, qui pendente lite oppoſuerit ſe huic tam *ſacræ* poteſtati, eamque nec *ſacram*, nec *cæleſtem* eſſe, ſacramento contenderit. Quare, ludis nos *Matthæe*, ludis certè; & cùm rem planam, rem confeſſam pollicitus es, repónis controuerſam, quamque nullus mortalium, quando eos hæc cauſa tetigit, aut ferre vnquam voluit, aut agnoſcere.

At enim hij, quos nominaui, vel ſapiunt hæreſin, vel olent ſchiſma. Vis ergo purè Catholicos? Quid tibi de *Iohanne Pariſienſi* videtur, de *Iacobo Almain*, de *Iohanne Maiore*, Theologis? Quid de *Cardinale Zabarella*, *Alberico de Roſate*, *Antonio à Roſellis*, Iuriſconſultis? An ſuſpectæ vnquam fidei? Annon puti puti Catholici? Notum tamen, de hac temporali Papæ poteſtate, non ſatis inter vos atq; illos conuenire.

Etiamne (ô bone) *Sorbona Pariſienſis* Catholica tibi non videtur? Numquid in illâ, aut odor vllus hæreſis, aut ſapor ſchiſmatis? Adi ergo illam, ſodes, ſi placet, ibíque percontare, quid factum memoriâ noſtrâ *Iohanni Tanquerello*, qui poteſtatem hanc, de quâ nimirum *conuenit inter omnes*, vindicare

care Pontifici voluit, & palam defendere thesin hanc, *Papa Principes suis praeceptis rebelles, regno & dignitatibus priuare potest.* Quaere an impunè tulerit? Quaere annon redierit ei per iugulum thesis illa? Annon haec illius palinodia? *Hanc à se thesin temerè & inconsideratè disputatam: sententiam verò illi contrariam verissimam esse.* Audin'? *sententiam contrariam verissimam.* Non est ergo tua haec *de fide Catholicâ:* vel *Sorbonâ* iudice. Vis quod recens adhuc magis sit exemplum? Et illud ergo sciscitare, quid *Florentino Iacobo* & *Tho. Blanzio* factum, cùm id modò proponerent, *Pontifex temporalem in omnes habet potestatem:* annon in causâ consimili, consimilis illis poena cum *Tanquerello?* Vides abnegatam in *Sorbonâ Catholicam fidem* tuam, bis abnegatam; primò, anno 1561. iterum, anno 1595: relapsos ibi Theologos denuò in tuam *fidei abnegationem:* In *Sorbona* igitur friget fides haec. At tu *Sorbonam* caue irritassis, caue verò habeas honorificè; magno semper in precio habiti Doctores illi, & vel ipsi *Romae* metuendi; inter quos tamen (vti vides) hac de re tecum *non conuenit.* Quin alia est apud *Papienses* de hoc, alia apud *Parisienses Catholica fides.* At *Catholica fides*, nisi vnica, non solebat esse.

Addo etiam & de nostris specimen, vt videas, nec inter vos atque eos hac de re conuenire. Sic enim Iesuita *Iacobus Bosgrauius* scripto suo, quod etiam apud nos extat manu ipsius consignatum. [a] *Existimare se, idq; coram Deo, Pontifici, nec de facto, nec de iure, authoritatem vllam esse soluendi, vel Reginae subditos, vel alterius cuiusquam Christiani Principis, à fidelitate suâ; pro quacunque demum causâ: idq; sibi ita intimâ in conscientiâ persuasum esse. Reginam & esse Principem legitimam, & pro tali habendam esse, non obstante Bullâ seu sententiâ quauis, quam Papa tulit, feret, poteritue ferre in posterum: paratumq; esse se, vt hoc (si ita opus) vel iureiurando testetur.* Satin' disertè hoc? En ergo, nec Iesuitis vestris vobiscum hac de re conuenit. Possem & *Eduardi Rishtoni*, possem & *Henrici Ortoni*, in eandem sententiam scripta subijcere, & ipsa, vbi se res dabit, proferenda. *Hartum* verò ipse pòst laudas; audi ergo quem laudas *Hartum*, cuius excusa iamdudum hac de re prostat sententia. [b] *Verè* (inquit) *affirmaui, vsurpari praeter ius fasque à Pontifice*

[a] Declarat. 1582.

[b] Collatio. 1584.

tifice potestatem Principes deponendi; verè enim id sentio, nempe, tametsi dignior multò, & sublimior sit potestas spiritualis temporali: esse tamen vtramque à Deo, nec alteram ab alterâ pendere. Conclusionem autem inde hanc elicio; eorum sententiam, qui Pontificem statuunt supra Reges & Principes Dominum temporalem esse, nihil prorsus vel rationis habere, vel etiam probabilitatis. Nihil enim Pontifici esse quod cum Regibus agat, vel ijs quæ Regum sunt; ciuilitèr quidem: tantum abest, vt deponere possit eos, vel de eorum Regnis statuere. Pars hæc Pontificij muneris nulla est. Ac meo quidem iudicio, paternum Ecclesia regimen habet, principatum mundi non habet. Nec enim talem sibi titulum Christus vnquam vendicauit, nec vel Petro eam contulit, vel cuiquam discipulorum. Hunc verò tu testem, spero, non inuitus admittes, laudatum à te, *Torte*, laudato viro. Nec alia Archipresbytero vestro mens, nec alia nonnullis hîc illius compresbyteris. Nec minùs ergò hîc tibi à tuis in Britanniâ, quàm in Galliâ contradicitur, vt parum quidem à te consideratè positum fuerit, de potestate hac *inter omnes conuenire*.

Age, conuenio te domi iam in Sacello tuo, idque de *modo* primùm, de quo ipse nobis initio scrupulum iniecisti: pòst etiam, de *caussis* denuo conuenturus. Quid? Tune non putas *necessarium hoc loco disputare de modo?* Credo equidem; nec iniuriâ. Nam si habeat eam Pontifex, si accipiat, id tibi satis est; *quo modo* autem accipiat, aut habeat, non laboras. Scis hoc; esse illi potestatem: quomodo sit; nec scis, nec curas. Atqui nos magnopere referre dicimus, non vt habeat tantùm, sed vt habeat *quo* oportet *modo*. Quare & *de modo* putamus pernecessarium hoc loco pauca interrogare. Nam si duplex tantùm est potestatem hanc habendi *modus*, *rectus & obliquus*; nec *recto* habeat, (vt quidam de vobis) nec *obliquo* (vt alij) si neutro habeat, ne habet quidem. Et quidem latet hîc anguis aliquis, quòd tu ita deprecaris *de modo*; eò magis libet inquirere, quò tu minùs hoc vis, vt quæ sint in *fide* hac vestrâ *Catholicâ* trepidationes vestræ, videat lector, & si volet, rideat. Volo ergo paulisper percontari, & primùm, ecquid inter Dominum & te hac de re conueniat. Certè is, nisi mutauit in caussâ, sic lusit olim, nondum Cardinalis, de hac potestate, *Non potest Papa, vt Papa, ordinariè temporales Prin-* *De Pontif. lib. 5. cap. 6.*

cipes deponere, etiam iustâ de causâ, tanquam Iudex ordinarius, nec ordinariè iudicare de rebus temporalibus.

Non ordinariè (dices) posse, at extraordinariè posse conuenit. Ne id quidem. Omnis enim Pontificis potestas, mediante *Petro*. Quæro igitur, in *Petro* potestas hæc ordinaria fuerit, an extraordinaria? Ordinaria? Atqui tum ordinaria est in Pontifice, si in *Petro* fuit; fas *Petro*, fas Pontifici ordinariè deponere: id quod negat Dominus tuus. Extraordinaria? At Extraordinaria potestas non transit in successorem. Ita nec ordinariè, nec extraordinariè.

a Bell. de Pont. lib. 5. cap. 6. Dices fortè illud, Si non potest *vt Papa*, at *vt* [a] *Princeps spiritualis* potest. Quo, tanquam sæpiç atramento, offucias fecit lectori Dominus tuus, atque elapsus est. Consule ergo Dominum de hoc, vbi tam diu subsistit *Principatus* iste *spiritualis* à *Papatu* distinctus. Quando, & per quæ verba institutus? Quis illum mortalium vidit vel per somnium, antequam venisset Domino tuo in mentem, *Principatum* hunc creare de nouo? Etiam id, eò fortè, vt cum opus est, illuderet & Papæ ipsi distinctione hac suâ. Eundem enim per omnia, cùm illi visum fuerit, tenebit esse *Papatum* & *Principatum*, vt nec *Principi spirituali* liceat deinceps, quod *Papæ* non licet.

Sed nouus iste *spiritualis Princeps*, habetne potestatem hanc, vt potestas haberi amat, *directè*? Caue autem dixeris *directè*; respicit te, sublato digito, Dominus tuus. Ille verò, etsi valdè vellet, tamen *per rectas lineas* perducere non potest ad *Principem* suum *spiritualem* potestatem hanc; attraxit saltem *per obliquum ductum*. Præiuit tibi viam, nec tu plus

b De Pontif. lib. 5. cap. 6. audebis sapere quàm ille, nempe [b] *indirectè competere*; vt verò *indirectè* dicas, rectè tibi conuenit qui *Tortus* es, quasi dicas potestatem quandam, verùm non *directam*, sed *obliquam & tortam*; *In ordine quidem ad bonum spirituale*, quare extra ordinem spiritualium; Alioquin *potestas* ipsa *spiritualis* si esset, ad spiritualia illum ordinari nihil opus, quorum ipsa per se in serie esset, atque ordine directo.

Interim aduerte quæso, quò sese adigant homines hij in suâ Catholicâ fide; Credis tu esse in Papâ potestatem depo-

c Bell. ibid. cap. eo lem. nendi Reges? In Papane? *In Papa*, credo, [c] *non tamen vt Pa-*

d Lib. 5. cap. 1. *pa*. Sed anne potestatem credis? Certè potestatem, [d] *saltem*

tem

tem quandam. Illamne quandam, an temporalem? *Temporalem, sed non merè* tamen. Sed vel illam *absolutè* in eo putas esse? Non, sed [e] *aliquo modo,* [f] *quadamtenus.* Quomodo autem? directéne & propriè? Non, sed [g] saltē *indirectè* [h] *& impropriè.* Sed vel sic, an *perpetuò?* Non, sed [i] *casualiter, & incidenter.* Tuam fidem *Torte:* audi iam fidem tuam. Credo, quòd *Papa, non vt Papa, habet aliquo quidem modo,* sed *modo* tamen *indirecto, potestatem, saltem quandam*; *temporalem, sed non merè*; nec *absolutam*, sed *ad aliquid relatam*; nec *perpetuam, sed casualem.* Sed dic dum, obsecro, hoc rursum. Omniane hæc de fide Catholicâ? Vah; quam verò dictas nobis fidem Catholicam, ita ex obliquis, tortis, indirectis, improprijs, casualibus, quadamtenus consistentem; de *potestate saltem quadam, temporali, non tamen merè, in Papâ, non tamen vt Papa, idq́ non absolute, sed aliquo modo, nempe indirecto & improprio,* nec *perpetuo* tamen, sed tantùm *casuali?* Præstaret omnino, fidem de potestate hac nullam habere, quàm talem; & prorsus dimittere potestatem illam, quàm sic retinere. Sed retinere tamen animus Pontifici, quo sic excurrere possit interdum in Principes; minùs tamen cautè hoc: nam si *indirectè* habet *potestatem temporalem* Papa, quidni & Principes per eundem ductum habeant & ipsi *indirectè* quoque *spiritualem*, vt & illis *incidenter* agere cum Papâ liceat? quale nescio quid tentatum in Synodo *Constantiensi*; præstaret fortè hunc lapidem non mouere: Latam interim (vt initio dixi) largam, & laxam, ac planè καταχρηστικὴν id est, abusiuam *fidem* habetis, quæ *potestatem* hanc habeat pro obiecto; sed aptam tamen, abusiuam nempe *fidem*, de abusiuâ *potestate.*

e Ibid.
f Cap 5.
g Cap. 1.
h Cap. 5.
i Cap. 6.

Sed quid agimus? Etsi enim ad λεπτολογίας istas deuenimus, quibus nec aranearum telæ magis subtiles sunt, *indirectè, quodammodo, quadamtenus:* tamen *nec* vel de hijs, vobis inter vos *conuenit.* Ecce enim, non desunt inter vos, quibus totum hoc displicet, quod dixit Dominus tuus, *de obliquitate potestatis huius:* inauspicatam hanc vocem *indirectè:* Christum nunquam quicquam *indirectè* dedisse: cùm vident tam tepidè ab eo, tam ieiunè tractari negotium hoc tanti momenti, stomachantur planè, etiam publicè protestantur, sibi cum Domino tuo *non conuenire:* nec vnus ibi *Baronius* in acie stat, magna

cum illo manus; *Carerius*, vterque *Bosius*, *Mosconius*, *Mancinus*, *Pesantius* (& quos dicere longum est) nec cauponantes bellum, aut frigidè rem gerentes, sed pedem pede premente, librum libro (*en quò discordia Cardinales*) vt non modò *non conueniat* de illâ, sed nec spes sit posse vnquam *conuenire*.

Dum sic vtrinque strenuè dimicatur, & hinc *Bellarminus* ait, illinc *Baronius* negat; venit mihi in mentem de *Ænea Syluio*, Cardinale & ipso, & pòst, *Pio Papâ secundo*: Is solitus dicere de donatione *Constantini*, cautè id prouisum à Pontificibus, vt acris esset vtrinque controuersia, Valerétne donatio illa de iure, annon valeret, quò sic, semper talis donatio facta præsupponi posset; sed tamen ridiculos interim esse Legistas, qui, quæ nunquam fuisset facta, ea valeret necne, disputarent. Idem hîc penitus locum habet; feruere enim scholas & subsellia quotidie *de potestate* hac Pontificis *temporali*, *directéne* illam an *indirectè* habeat, quò sit extra litem, habere eam Pontificem. Sed non minùs ridiculos hîc Theologos, quàm ibi Legistas, qui quam omnino non habeat, eam *directéne* habeat an *indirectè*, sudant nitendo vt se expediant, nec expediunt tamen; sed tot iam secula litigant, & æternùm, credo, litigabunt.

Námque ita se rem habere per omnia, vel inde liquet, quòd non pauci, nec ij de scholâ nostrâ, quin vestri homines, & qui inter vestros cordati sunt maximè, totum hoc *de potestate* Papæ *temporali*, quoúsque se porrigat, controuersum asserunt, etiam extra periculum hæresis controuerti tutò posse, [a] cum nihil dum, hac quidem de re ab Ecclesiâ definitum sit. Certè malâ fide res geritur; nam quod nondum definiuit Ecclesia, de quo adhuc lis est sub iudice, id ipsum quasi *fidei Catholicæ fundamentum*, & *caput præcipuum* obtrudere, malæ fidei est; *Torti* est; eorum est, qui ludos faciunt humano generi, & dum Papali potestati consulatur, vt *caput* sit *fidei*, quæ nec cauda est, siue *per rectas lineas*, siue *per obliquum ductum* id fiat, súsque déque habent

[a] *Couar. par. 2. pag 546. edit. Francf. Nauar. relect. in cap. Nouit. pag. 100. num. 42.*

Sed audi etiam; Exortus est è vobis nuper Iesuita (& habet sectatores non paucos) qui cum videret nodosam hanc quæstionem nimis, & laboriosum negotium deponendi Reges, nec modò, multo clamore & rixis in scholâ, sed & multo

sanguine

ſanguine & vulneribus in acie ſtaturum; lepidum commentum commentus eſt, & nouum, ſed tamen [a] *certum & de fide* (vt veſtra ſunt omnia) *&* [b] *Apoſtolicæ doctrinæ conforme imprimis & conſonum.* Is homo deponi vult à vobis hac totâ de re controuerſias; Nihil opus eſſe depoſitione vllâ, nihil poteſtate vllâ deponendi; [c] *excidere enim Reges ſtatim omni poteſtate ſuâ Regiâ* (putà vt autumno folia) *ſi à religione Catholicâ manifeſtè deflexerint, hócque ante ſententiam ſummi Paſtoris contra eos prolatam*; proin ſuperfluum eſſe hunc in Pontifice laborem deponendi, ſuperfluam totam, eâ de *poteſtate*, quæſtionem. Vide verò vt expedierit rem Ieſuita hic, vt nihil iam opus *poteſtate* hac, vt iuretur necne in eam, aut quid eâ fiat iam magnopere curandum non ſit. *And. Philop.* [a] *Pag.* 195. [b] *Pag.* 196. [c] *Pag.* 195.

Sed eſto; vt demodo conuenerit inter omnes; tamen eſt & alter iniectus ſcrupulus à te, *Matthæe*, atque is quidem parum opportunè, *de cauſis ob quas exerceri poſſit.* Quid *tibi* autem mentio fuit de eis? Quare non ſilentio prætериiſti? Quare ſic *de cauſis* intempeſtiuè monuiſti? iam enim, ſiquando illam Pontifici in ánimo exercere, ſtatim lis noua *de cauſis*, an iuſtâ de cauſâ exerceat; nam ſi cauſa minùs iuſta, mox quaſi brutum fulmen contemnent, vt nuper *Nauarra*, *Galliæ* iam & *Nauarræ* Rex; vt nuperrimè *Veneti*, cauſati nec modum rectum, nec cauſam iuſtam; fiet hinc, vt poteſtas hæc fruſtra ſit, in actum ne exeat vnquam. Perinde autem eſſe ne ſit in eo poteſtas, & ne vlli rei ſit; eôdem redeunt defectus potentiæ & actus. Quod vtinam ne excidiſſet tibi mentio de diſputatione iſtâ *cauſarum*: tota enim hæc de *cauſis* cognitio (vti tu pro tuâ prudentiâ noſti) longè difficillima eſt, vt ſi ſemel inquirant in eam, & *quibus de cauſis exerceri* poſſit, ſpes omnino ſublata ſit, fore, vt vnquam de eâ *conueniat inter omnes*: multò autem minùs, vt in *Catholicam fidem* tranſeat.

Vis dicam quod res eſt, & quomodo inter vos de poteſtate iſta conueniat? Dum alta pax, dum nihil turbatum eſt domi, fruuntur liberalitate temporis Principes veſtri; non impediunt vos *Papienſes* Theologos, qui eſtis à *Sacellis Cardinalium*, vel *Bononienſes* Iuriſconſultos, *qui ſunt in terris Eccleſiæ*, quò minùs diſſerere vobis per otium liceat, *de poteſtate* hac in actum haud vnquam perducendâ, pluteos cædere,

pòst etiam magistralem aliquam conclusionem facere, & de eâ, si vultis, inter vos *conuenire*; Cùm ad rem ventum est, cùm non proximus, sed suus cuique *paries ardet*, cùm deponi iubetur Princeps quis, *Nauarrenus, Hispanus, Gallus*, tum demum *non ex iure manu consertum, sed mage ferro rem repetens*, tum demum non conuênit vnquam, non conueniet; me vide. Si Pontifices Regibus coronas suas, Reges Pontificibus mitras suas deponere iubebunt, & *depositis mitris* ad sobrietatem sapere; Quod nos iam sentimus, idipsum, cùm non nostra iam res agitur, sed sua, sentient & illi. Dum reliquis in rebus inter eos & Papam bene conuenit, nihil opus mouere hunc lapidem; vbi mota lis, *de hac* omnium minimè *conueniet*: Est enim inter opiniones illas vestras, quæ non probantur, nisi dum intra scholæ parietes se continent, vbi prodeunt ad praxim, explo duntur statim.

Nec defuerunt vnquam Theologi, vel Iurisconsulti, qui secus sentirent: Non *Henrico* quarto olim, Synodus *Wormatiensis* 1077. & *Brixinensis* 1080; non *Frederico primo*, Synodus *Papiensis*, 1160: non *secundo*, Theologi aliqui Gibellini: non *Ludouico Bauaro*, Synodus *Francfordiensis*, 1338. *qui irent in alia omnia*. Neque etiam ætate demum nostrâ defuerunt, qui contra *literas, processus in die cœna Gregorij* 13. 1580: contra *brutum fulmen Sixti quinti* 1585: contra *bullas monitoriales Gregorij decimiquarti* 1591: contra *bullam Clementis* octaui, *pro Rege nouo in Gallia eligendo*, 1592. strenuè se opponerent, tum Iurisconsulti, tum Theologi, etiam vestri, vt mira sit hominis huius frons, qui scripserit, de hoc *inter omnes conuenire*. Vel nuper in causâ *Venetâ*, quàm hac de re *conueniat inter omnes*, notum iam orbi terrarum, quàm vnanimes tum Theologi & Iurisconsulti fuerint; necdum tamen ventum erat *ad deponendi potestatem*; hærebant modò in illâ tuâ *intrinsecâ potestate, & propriâ* excommunicandi; extrinsecam hanc, & impropriam ne attingebant quidem. Quòd nisi cautè *Paulus* Pontifex rem totam silentio premi, nec ad vlteriora descendi procurâsset; si de depositione, verbum vllum fecisset: quid Patri *Paulo*, quid reliquis futurum fuisse sentis? Numquid qui sacris interdicenti non paruerunt; Subditis, ne parêrent interdicenti

vnquam paruissent? Res ipsa loquitur.

Sed, deposuit tamen Papa Principes interdum; etiam Principes illum; Quid tum? Non autem hoc sine potestate; Imò aliud vis, aliud potestas. Sic, si bene memini, quodam in loco Dominus tuus. [a] *Quòd olim non deposuerit Ecclesia Imperatores Ethnicos & hæreticos, id fuit quia deerant vires.* [a] *De Pontif. lib. 5. c. 7.* Nescio quàm verè illud, vel potiùs scio non verè; nec enim deerant *Petro* vires contra *Neronem*, quibus vsus contra *Ananiam*; nec *Tertulliani* seculo vires deerant, nedum *Basilij*. Hoc scio verissimè. Quòd, ex in deposuerint Papæ Imperatores Christianos, id fuit, quia aderant vires: tota enim in viribus fides hæc fundata est, nec alia de articulo hoc, nisi quæ per vires fit, fides vlla. Etiam, vires fortè si adfuissent *Paulo* quinto, *Veneti* hoc iam crederent; quia deerant, articulo huic hactenus credere supersederunt. Certè veri nominis fides cogi non potest: hæc fides, nisi coacta, nulla fuit antehac; nisi cogatur etiam denuo, neque posthæc vlla vnquam futura est.

Collige iam ista si placet. Non *conuenire inter omnes* de hoc tuo problemate; Non inter Reges vestros Catholicos & Pontificem: Non inter Theologos eorum vtrinque & Iurisconsultos, siue qui in lite illâ fuerunt, siue qui extra litem: Non inter *Papienses*, & *Parisienses*: Non inter Cardinales *Baronium* & *Bellarminum*: Non Iesuitis cum illis, sed nec inter se: Nec domi hîc apud nos, quibus hæc *Tortus* scribit: Denique nec opus esse vt conueniat; nihil enim de hac quidem indirectâ potestate, directè adhuc definitum. *Inter omnes* saltem *non conuenit*. Abi nunc, & sape, ac dehinc cautiùs vsurpa vocem istam, *inter omnes*: Periculosa enim vox *omnes*, & parciùs adhibenda; à te autem hîc, non omninò quidem; præsertim, cùm videas iam de nullo prorsus hîc *conuenire inter omnes* præterquam quod *inter omnes non conueniat*. *De fide Catholicâ* quid fiet interim? mutilari illam necesse iam est, & vno saltem articulo minorem esse: De quo enim haud in Symbolo quicquam vel in Scripturis, haud quicquam ab ecclesiâ definitum: illud sanè *Catholicæ fidei caput præcipuum* esse non posse, vel tu ipse dixeris. Atque ita nullam iam esse *Catholicam fidem de potestate hac Pontificiâ*.

Parum

PArum succesſit in re tibi; ecquid in ratione magis meliúsue? addis enim & rationem; *Reges* ſcilicet *cum hac conditione admitti ad Eccleſiam; vt Chriſto ſceptra ſubijciant*. Et cum eadem conditione, Pontifices vt Chriſto peda ſua ſubijciant, vt hæc quidem ratio, non minùs contra Pontifices militet.

Sed excutiamus etiam; *Reges*, quíne iam ſunt, an qui olim fuerunt? Reges enim qui iam ſunt cum hac conditione *non admitti* quis neſcit, cùm diu antè *ad Eccleſiam admittantur* quàm Reges ſint? Non enim poſtquam Reges iam facti ſunt, *admittuntur ad Eccleſiam*: ſed poſtquam *ad Eccleſiam admiſſi ſunt*, Reges fiunt. Quare ratio hæc tua nihili.

Quodſi de Regibus ijs, qui primi de Ethnicis Chriſtiani facti, intelligi vis conditionem tuam, ſic illos tum *admiſſos ad Eccleſiam*: dura tibi incumbet prouincia probandi quod dicis; vix enim tabulas vllas reperias apud Protonotarios veſtros, quibus expreſſe conſtet, *quâ* illi tum *conditione admiſſi* fuerint.

Niſi ſi quæ in baptiſmo eſt, *conditionem* velis; ſed nec ſic quicquam efficies: Vnus enim baptiſmus eſt ſempérque fuit, idem prorſus quo illi tum, quo noſtri nunc *admittuntur in Eccleſiam*, vtrobique *conditiones* eædem. Addo etiam, neque qui tum erant Reges, neque qui iam ſunt, neque Regum filios, cum hac quam dicis *conditione* baptizari, nec cum aliâ vllâ, quàm quiuis de plebe, quàm cuiuſuis de plebe filius: Eiſdem *abrenunciant*, eadem *credunt*, idem *petunt* hij & illi; non alia, non plura *ſpondent* illi quàm hij, nec eſt ibi *de ſceptris* verbum vllum. Per baptiſmum enim admittimur, vt in Chriſto ſimus, *vbi non eſt liber vel ſeruus*, Rex aut ſubditus, *imò nec mas vel fœmina*, quod te Apoſtolus docere potuit. At nec plebeius ibi quis paciſcitur de fundo ſuo, ſi cenſurâ notatus ſit, abdicando: Ne Rex quidem igitur de Regno; nec ſub pœnâ fundi perdendi priuatus quicquam ſpondet: nec Rex [a] *ſub pœnâ regni perdendi*.

[a] Bellarm. de Pont. lib. 5. c. 7.

Quod ſi in baptiſmo non fuit, haud vnquam, credo, fidem feceris, extra baptiſmum delatam illis *conditionem* hanc, aut *Conſtantino* dictum, & priſcis illis Regibus ad Chriſtianiſmum transeuntibus à paganiſmo, Tu *Conſtantine*, vos Reges *ad Eccleſiam admittendi*; audite: non eadem ſub Chriſto

Christo vobis regnandi conditio est, quæ sub *Ioue* fuit. Soli iam *Ioui* sceptra vestra submittitis; nec vlli mortalium ius, nec potestas vlli est, vel in *sceptra* vestra, vt iubeat *deponere*, vel in *subditos*, vt iubeat non *parère*. Cœlo soli iam debetis innocentiam vestram, nec vllus vobis Pontifex, vel Maximus, maior est. Si Christianis iam esse libeat, narro vobis; apud Christianos non eodem iure regnatur; non soli Christo sceptra vobis subijcienda Regi immortali: alter est præterea quidam, mortalis homo, tuus nunc, *Constantine*, subditus, subditi tui filius, fortè stipendijs tuis & altus & educatus, nempe vrbis tuæ *Romanæ* Episcopus; huic etiam *sceptra* vestra *subijci* oportet. Cui nisi tu, nisi omnes sius ex sententiâ, statim euersa est religio, statim ius illi & potestas in *sceptra* vestra & solia, vt illa vobis tollere; etiam in *subditos* ius, vt fide suâ erga vos exoluere possit. Nuper quidem sub Regno, Pontificatus; iam sub Pontificatu Regnum: nec soli, iam, *Ioui* cælesti, sed & *Latiali* cuidam *Veioui* probare vos oportet obsequium vestrum: alioqui, mox *sine sceptris, sine subditis, abituri*; alioquin, admissio iam vestra ad Ecclesiam, amissione regni vestri constabit. Vlline hoc persuaseris, tam vecordes Reges illos fuisse, vt auditâ statim lege hac, acquieuerint primo quoque tempore, læti lubentes conditionem acceperint, & certatim, cum gaudio, Pontifici *sceptra* submiserint?

Vide verò, quò res iam nobis peruenerit. Reges Gentium, ij demum Reges sunt; quorum nullius in manu *sceptra*, nisi suâ; nullius ad nutum *subditi*, nisi suum: Miselli verò Christianorum Reges precarij sunt, Reges sunt, tantisper dum Pontifici se probent. Nec enim Reges qui Reges, nec subditi qui subditi iam, nisi *ad placitum*, nec nisi velit iubeat hoc summus Pontifex.

Quid illi verò in *Iaponiâ* Iesuitæ? siccine Regulos, qui inibi sunt, inuitant ad Christum? Haccine conditione propositâ blandiuntur illis, vt Christiani fiant? fungi quidem sunt, si Iesuitam vllum audiunt, vt sic fiant. Illi verò de conditione hac nihil audiunt; nec vel hiscere audet Iesuita quispiam de eâ, cùm admittendi sunt. *Fateri tum omnes*, (dicunt) *& per se esse satis certum, etiamsi Barbari conuertantur ad Christum,* Acost. de procu. Indo. salut. lib. 3. cap. 7.

non tamen rerum suarum, (nec Regni proin) *iure excidere*. Priùs in rete pertrahi oportet; quo vbi conclusi sunt, tum demum fortè, de conditione hac non nihil audituri: si semel religionem euertant, id est, si Pontifici morigeri non sint; & vires adsint Iesuitis, vt præstare rem possint.

Interim iniuria Christo fit, summa iniuria, dum hoc credere docentur homines de Christo, minui cuiquam, aut deteriore loco ius suum esse, ex eo quòd ad Christum transeat. Quarè enim, si Pater, si Dominus, qui fuit Ethnicus, & Christianus iam est, tam pater est, tam Dominus, iam Christianus, quàm antè fuit Ethnicus; Rex idem si faciat, non tam erit Rex sub Christo, quàm fuit sub *Ioue*? Quid Reges meruêre, quid illi tantum committere, vt inter omnes Christianos conditio illorum pessima, soli vt Christum in se iniquiorem sentiant? Si apud Gentes, [illegible] Si apud Iudæos, summus Sacerdos sub Rege; quid peccauit *Cæsar*, quid Rex, cùm Christianus esse voluit, vt quo iure antè vsus est, pòst vti non liceat: sed excidat statim antiquo iure suo, quod præter eum Christiano nulli contigit? Omnes enim integro iure stant; solus Rex capite minutus, solus [illegible].

Tu verò veniam dabis, si fidem in hoc tibi Reges non habeant, Christum æquiorem sibi sperent, de illius benignitate prolixiùs sibi spondeant, de Christo credant quod Christo dignum est: eâdem scilicet conditione Reges ab eo accipi, quâ reliquos; eâdem saltem: potiore æquum erat, sed eâdem certè. Nec enim illos vnquam eò adiges, vt credant de Christo, quod si credant, Christum minùs diligant necesse est; cui tam vilis sit Regum conditio, vt meliore iure omnes apud eum sint quàm Reges: vt meliore iure *Constantini* mulio, quàm *Constantinus* ipse.

Sed age, de conditione non contendam. Æqua enim certè est, vt se, vt *sceptra sua Christo subijciant*, *Regi nempe Regum*, *& Domino Dominantium*. *Subijciant* ergo *sceptra* Christo. Quid tum? Nihil agis, nisi opportunè tibi subueniat [illegible] illa tua [*id est*,] cui multum debes; vt antè *fides Catholica*, id est, *Primatus* Pontificis: sic iam *Christo sceptra subijcere*, id est, *Pontifici*. Quare autem omissum hîc tuum [*id est*?] non oportuit factum. Nec enim si *Christo sceptra* submittant,

mittant, ſatis hoc inſtituto tuo, niſi concinnâ illâ [illegible], *Chriſto, id eſt, Pontifici*, Pontificem ſtare facias pro Chriſto. Nam de Chriſto ſtatim omnes fatebuntur, ſcio: de Papa cenſebunt porrò ampliùs deliberandum, nec ſtatim, cenſeo, cenſebunt, eadem hæc eſſe per omnia, *Chriſto ſceptra ſubijcere*, & *Papa* iuſſu *ſceptra deponere*; neque verò hæc eadem, *ad Eccleſiam admiſſionem*, & Regni amiſsionem.

Quid ſi autem Reges, quoad hoc in ſceptra ius, Chriſtum abſtrahant à Pontifice, Chriſto ſe, *ſceptra, ſubditos, ſubijciant*, cuius de fide, optimè ſibi ſpondeant; de Pontifice nihil audiant, cuius fluxam ſæpe fidem experti ſunt? Audite iam fulminantem *Matthæum*. *Quodſi nolint, ius eſt illi, qui toti Eccleſiæ vice Chriſti præeſt, eos à communione fidelium ſegregare, ſubditiſq́; interdicere ne pareant*. Disjunge verò hæc, *Matthae*: primum, *Ius eſt illi qui toti Eccleſiæ vice Chriſti præeſt, eos à communione fidelium ſegregandi*; eſto illi ius ſanè, qui Eccleſiæ præeſt, ab Eccleſiâ ſegregandi.

Imò ius aliud eſt, *interdicendi etiam ſubditis ne illis pareant*. Imò non eſt. Nam vnde illi ius hoc in *ſubditos*? Non enim ex eo quòd præeſt Eccleſiæ: nec enim Regum *ſubditi*, quâ ſubditi, Eccleſiæ pars vlla ſunt, ſed regni. Antequam de Eccleſiâ eſſent, *ſubditi* erant; cum extra Eccleſiam ſunt, nihilominùs manent *ſubditi*. Quâ fideles ſunt, pars Eccleſiæ ſunt; & qui præeſt Eccleſiæ, poteſt, ne in Eccleſiâ appareant, interdicere. Quâ *ſubditi* ſunt; Regni, Reipublicæ pars ſunt; non poteſt qui Eccleſiæ præeſt, niſi & Regno præſit, *Regi ne pareant interdicere*. Pontifex autem, quanquam *toti Eccleſiæ* (vt ais) *Chriſti vice præeſt*, non tamen eſt orbis Dominus, non toti terrarum orbi, non regnis omnibus Dei vice præeſt. At ſic oportet, toti terrarum orbi præeſſe, & *ſubditis*, qui vſpiam ſunt, omnibus, & vice Dei præeſſe, ſi vult ſic totius orbis *ſubditos* à Regibus ſuis ſegregare; *Vicarij Chriſti* titulus nimis anguſtus ad hoc: maturate quantum poteſtis, & procudite illum alterum titulum, quem Romæ diu iam habetis ſub incude *Vicedei*: eo ſemel edito, per Papam *Reges regnabunt*, & *deponet potentes de ſede*, & reliqua omnia faciet, quæ Deus ipſe; quod erit in rem veſtram valde commodum. Chriſtus enim, cuius hîc vicem obtendis, non ſic præfuit dum

in tertis fuit; *Regnum quod habuit de mundo non fuit*; Regnum quod de mundo fuit, non habuit: Regni, quod non habuit, vices non commisit. Quodsi Pontifici animus est ad regna mundi; est in Euangelio (memini) mentio de quodam, qui regna mundi penes se esse, eáque disponendi ius habere se dixit, eum adeat, censeo, cum illo transigat, illius vices obeat, Vicarius sit. De Christo nihil tale legisse memini; *sceptrum* illi Rex nemo in manum tradidit, quod vel redderet vel retineret; *subditis nulli ne parêret interdixit*: *nec misit eum pater ad hoc, nec ille quenquam.* Est ille quidem Rex Regum; sed quâ Regum Rex est, immortalis est; mortalem nullum, proregem habet. Papa [a] *mortalis ipse*, non aliter Christi Vicarius, quàm quâ mortalis Christus. Consule Dominum tuum; vera hæc agnoscet, & sua.

[a] Bellar. de Pontif. lib. 5. cap. 4.

Cætera autem, vt potes, expedi; Illud scio; vna illa huius loci clausula, vna atque vnica, *de sceptris sic* (vt ais) *Pontifici subijciendis, de interdicto subditis mittendo, ne pareant*, procul hinc, procul abiget omnes qui adhuc foris sunt Reges, ne velint intrare in domum vestram Ecclesiæ, vbi sic excipientur, vbi *Regum sceptra* tam nutantia, vbi *subditorum fides* tam profluuia sit. Compellat eos intrare Pontifex; si potest: (quòd fecit *Occidentalis India* Regulis) vltro enim haud quisquam iam introibit; si hæc introitus *conditio*, vt de *sceptri* sui, de populi sui in officio retentione tam incerti pendeant. Subiectio *sceptrorum* hæc Christo, si hoc secum trahat, vt ius accrescat inde Pontifici, quoties illius voluntati repugnatur (*toties enim Religio oppugnatur*) *interdicendi subditis ne diutiùs pareant*, Regibus ne diutiùs Reges sint: doctrinâ hac promulgatâ semel & propagatâ, non multa pòst *sceptra*, credo, Christo subijcientur. Quid enim? Rex Ethnicus deponi non potest à Papa, Christianus potest; meliore ergo iure regnatur apud Ethnicos. Quis non dehinc iam (sic vt est) manebit Ethnicus? *Subditi*, qui Ethnici sunt, officio suo in Reges laxari nequeunt: at Christiani queunt. Quis non *subditos* suos malit Ethnicos, quàm Christianos? Quis Christianus Rex esse velit, vbi paretur, non paretur, ad nutum Pontificis? Atqui magnos hosce hospites inuitari par erat ad religionem, non inuitos reddi; attrahi pro-

positis inuitamentis, non absterreri obiectis impedimentis; [illegible] illis, non [illegible], illicem, non obicem ponere. Quod an tuâ hac tam non æquâ regnandi *conditione* fiat, viderint ij,

Quos penes arbitrium est & ius & norma regendi.

Vide verò, an locus ille in *Euangelio* non faciat pro vobis, ad rem vestram non sit, *Reges Gentium dominantur eorum, & principes eorum potestatem habent ipsorum: Vos autem non sic.* Poterit quidem *Emanuel Sa* vobis breui aliquâ glossâ rem conficere: (*Salmeron* faceret non inuitus, si in viuis iam esset) quasi diceret, *Gentium Reges in subditos suos, merum dominium, absolutam potestatem habent; Illi quidem sic: Atqui vos* (glossando *vos*) *vos Reguli potiùs quàm Reges Christiani, vos non sic: Imperium quantum vel quale Gentium Regibus, frustra expectatis; non decet, non datum est vobis sic regnare; noua religio, nouum regandi ius affert.* Nouus quidem hic sensus elici posset è verbis, *Vos autem non sic*; non sic, vt illi Gentium Reges; dominātur illi suorum, potestatem habent in ipsos: *vos autem sic*, vt dominetur vestri, potestatem in vos habeat quidam de vestris; sic, vt nisi in illum officiosi sitis, exuendi sitis dominio vestro, & potestate omni. Atque hoc sanè, vt decet & par est Christianos Principes; Reges enim Gentium non gaudent hoc priuilegio; ex gratiâ speciali Christianis hoc Regibus reseruatum est. Expende, quæso, locum hunc diligentiùs, qui vos fortè prætierijt; paululùm tortus valde iuuaret rem vestram, contra Reges istos, quibus tàm infensè infensi istis.

De Ecclesiâ verò viderit Pontifex, & de iure suo excommunicandi: De *sceptris* suis, de iure *subditis suis interdicendi*, videbunt, credo, Reges. Ius hoc nouum Pontificis vocabunt in ius; imò ne vocabunt quidem, sed qui hoc illis ius suum in suos ereptum venerit, næ illi facient vt persentiscat, *non fine causâ se gladium portare.*

Interim quæ hæc proteruia est, aut quis ferat, vt egressus Sacello *Papiensis Presbyter*, tam petulanter audeat, de ciuium fide, *de sceptris Regum* ludere, *authoritatem Principum* deprimere, *subditorum officium* eleuare, *deponere illos ne regnent, interdicere his ne pareant?* ferret hoc *Cardinalis*, cui à

Sacellis eſt; ferret hoc *Pontifex*, cuius ſub ditione eſt: ſi Regibus ex animo conſultum vellent, non ferrent, quin inſolentiam hanc eius, tantam, tam procacem, ſeuerè compeſcerent.

Scias verò vbi gentium ſit, quâ in republicâ viuat ſcriptor iſte; vbi Rex ſcilicet non ſit, quem hic homo tam leuiter & nullo negotio *deponit*, quàm peractâ miſſâ caſulam ſuam. Scis vbi ſis *Matthæe*; Romæ es, atque audi, Romæ fac ſis vide. Intra ſeptem montes tutus es, atque ibi te contine; ne ſiquando eò loci veneris cum nænijs hijſce tuis, vbi ſub Rege viuitur, ſcias fortè quid ſit *de Regum depoſitione, de ſubditorum defectione* tam laxè loqui. Tam enim certè ſeditionem ſapiunt dogmata tua, tam ſunt & Regum ſaluti, & regnorum paci pernicioſa, vt ſi pro merito fiat, non illis verba reddere, ſed furcam figere oporteret. Nec enim, credo, tam abiecto animo Rex vllus, qui intra ditiones ſuas dogmatizari hæc veſtra ferat, quin compeſcat citò inſolentiam hominis malè conciliati, nec vllum *nodo* huic *cuneum* quærat: Gordius eſt, *cuneum* non vult; gladium vult *Alexandri*, doctrinæ huius tam tetræ vltorem & vindicem.

PErgis pòſt ad alium Edicti locum; Ibi ex verbis hijs, *Non obſtante ſententiâ excommunicationis, fidelitatem tamen & obedientiam præſtabo Regi*, ſic concludis: *Hîc apertè negatur ſummo Pontifici poteſtas excommunicandi Reges, etiam hæreticos.* Imò hîc apertè nugatur *Matthæus*, & prodit imperitiam (quanquam quæ poteſt eſſe in hoc imperitia?) malitiam potiùs ſuam, qui quod apertè affirmatur, *apertè negari* aſſerit.

Quæro enim ex te, Annon ponit qui ſupponit? Qui dicit, *Parebo Regi excommunicatione non obſtante*, nonne hoc dicit, *etiamſi excommunicatus fuerit Rex, parebo tamen?* Qui verò hoc dicit, *etiamſi excommunicatus fuerit Rex*, nonne præſupponit, excommunicatum eſſe, & proin pro confeſſo ſumit, excommunicari poſſe? Perinde enim eſt, ac ſi diceret; Poteſt quidem Pontifex excommunicare; Age; quod poteſt, faciat, ſi volet; excommunicet Regem; ego tamen perſiſtam in fide; excommunicatio non obſtabit, quò minùs fidelis ſim. *Non obſtabit excommunicatio*; Poteſtne verò quod non eſt, obſtare

obſtare cuiquam? Quæ nulla ſunt, quæ non entia dicuntur in ſcholis, aguntne quicquam, aut operantur apud *Papienſes?* Imò eo ipſo quod obſtant, quòd operantur, ſunt; ſunt (inquam) nec etſi ſunt, obſunt tamen. Hoc ergo ibi dicitur, *ſtante excommunicatione, nec tamen obſtante, fidelitatem præſtabo.* Audi verò tuæ huic ſimilem alteram, & agnoſce vel ex eâ, errorem tuum. *Non obſtante* quod Cardinali ſis à ſacellis, ridebunt omnes conſequentiam hanc tuam; neque tamen *apertè negabunt* te eſſe à ſacellis Cardinali, quin vt vel maximè ſis à ſacellis, ridebunt tamen.

At etiam delirium hoc ſuum probare vult, idque non minùs, quin, ſi fieri poſſit, magis etiam inepto argumento; *Quomodo enim iurabit ſe non pariturum Pontifici Regem excommunicanti, niſi credat à Pontifice Regem non poſſe excommunicari?* Atqui, ô bone, ne id quidem *iurabit, ſe non pariturum Pontifici excommunicanti:* ille verò *parebit*, Pontificis cenſuram agnoſcet, ne id quidem faciet quod nuper fecere *Veneti, nullitates nullas allegabit, vel de ijs proteſtabitur;* perinde Regem habebit, ac Eccleſiæ veſtræ communione priuatum, nihil cùm eo ſacri attinget; Annon hoc eſt *excommunicanti parere?* Vbi tamen hæc fecerit omnia, *præſtabit fidelitatem* nihilo minùs vt Regi ſuo. Excommunicare Eccleſiâ, legitur; parebit igitur in rebus Eccleſiæ: Excommunicare Regno non legitur; in regni rebus non parebit. Aliud eſt enim priuare Regem bonis Eccleſiæ communibus, quod facit ſententia, & poteſt fortè Pontifex: aliud priuare bono proprio, *id eſt*, regno ſuo, Regi, non Eccleſiaſtico iure vllo, quin (vt tute vis) Gentium iure competenti, quod non facit ſententia, nec poteſt Pontifex. Priuabit cenſura Pontificis ſocietate fidelium, quâ fideles ſunt: bonum enim illud ſpirituale, & ab Eccleſiâ. Non priuabit obedientiâ ſubditorum, quâ ſubditi ſunt: Bonum enim ciuile hoc, nec ab Eccleſiâ.

Vel hinc videas errorem tuum, ex inſtituto ipſo *Excommunicationis*, vi verborum, *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus.* At an non Regi Ethnico *præſtare fidem* fas? Imò nefas non *præſtare.* In Ethnico enim eſt vera poteſtas temporalis, idque ſine ordine ad poteſtatem Eccleſiaſticam. Dominia non fundantur in fide; & vt fide non fundantur, ſic infi-

infidelitate non euertuntur. Quin Rex quiuis, cùm de Ethnico Christianus fit, non perdit terrenum ius, sed acquirit ius nouum, putà, in bonis Ecclesiæ spiritualibus. Omnia hæc [a]Dominus tuus totidem verbis. Itidem, cùm de Christiano fit *sicut Ethnicus*, vigore sententię amittit nouum ius quod acquisierat in bonis Ecclesiæ spiritualibus: sed retinet tamen terrenum ius, antiquum ius suum in temporalibus, quod fuerat illi proprium priusquam Christianus fieret. Omnino eo statu erit, nec deteriore quàm esset, si Christianam fidem amplexus nunquam fuisset.

[a] De Pontif. lib. 5. cap. 2. & 3.

Litem hanc totam dirimit exemplum *Theodosij*, cui per octo menses illos quibus sub censurâ fuit *Ambrosij*, fidelitas interim à nullo negata est. Vel *Theodosij* certè; vel sine dubio *Iuliani*. Christianus is fuit primò; pòst de Christiano Apostata, nec iam *sicut*, sed planè *Ethnicus*. Quid? an ex eo, Imperiali potestate exutus? An nefas illi parêre, vt *Cæsari*, aut obedientiam præstari à Christianis? Non dices, scio. Non tam madidâ memoriâ es, qui laudas pòst *Augustinum*, qui ipse laudat Christianos milites, etiam infideli huic Imperatori, etiam *Idololatræ*, etiam *Apostatæ*, subditos tamen & seruientes.

Quid remota consector? *Henrico* quarto Galliarum nunc Regi, *Ecommunicationis* vinculis innodato, nec dum soluto, necdum *legato eius Romæ virgâ sacerdotali percusso*: corona imposita est, Sacramentum fidelitatis præstitum. At à quibus præstitum? A vestræ partis hominibus; addo, & rectè præstitum: nec enim post impetratam demum *Romæ* absolutionem, aut corona de nouo Regi imposita, aut fidelitatis denuo Sacramenta præstita. Fuissent autem de nouo, nisi priora illa valuissent. Valuerunt ergo illa, ac proin Regi fortè pòst, in sacris non communicârunt; (etsi etiam in hoc multi audaciores quàm par erat) at extra sacra, fidem omnem, studia atque officia prolixè detulerunt. Et hos tamen omnes negasse *Pontifici authoritatem excommunicandi Reges*, caue dixeris; *Sorbona* non feret, nec tu feres impunè, si dixeris. Citra ergo, vel fidei, vel clauium abnegationem, *fidelitatem* licet atque obsequium Regi *præstare*, vel *Excommunicato*.

Priusquam

Priusquam verò ad reliqua descendam, pauca hîc mihi dicenda de *Censurâ* ipsâ, quoúsq; scilicet sese vis eius extendat: Indè quàm tua hæc consequentia nulla sit, liquidò liquebit. Censura duplex est; *Publicani* & *Ethnici*, *minor* & *maior*; nam de *Maranatha* illo mitto iam dicere. *Minor* à Sacramentis excludit modò, de eâ quæstio iam nobis non est.

De *maiore* verò alterâ, quæ arcet Ecclesiâ ipsâ, quæ perinde reddit, *vt Ethnicos*; quibus nec fas *Templum ingredi*, quod tamen licuit *Publicanis*: de illâ (inquam) vix quisquam est quin fateatur, institutam eam à CHRISTO, *Matth. 18.* per verba, *Dic Ecclesiæ*; *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus*. De exteriore foro ibi agitur; exterioris fori iurisdictio, illo, nec alio loco fundata est. Quæremus ergo paucis; Potestas hæc ibi cui data? Quæ illius ibi latitudo, qui limites? Cui etiam, ratihabitio eo loco facta, de iure competat?

1. Cui data? Non Apostolo *Petro*; *Petrus* enim, *si peccauerit in eum frater eius*, iubetur, *Ecclesiæ dicere*; *Petro* dicitur, *Dic Ecclesiæ*: Nimis autem violentum sic explicare, *Ecclesiæ dicere*, id est, *sibi ipsi*: quod attoniti legimus, apud [a] *Dominum* tuum. Quòd si autem & *Petrus* peccâsset in fratrem, (nam & hoc in Petrum cadit) an frater id *Ecclesiæ* diceret, id est, *Petro ipsi peccanti?* Ecclesiæ ergo hoc dicitur: *Petrus* ipse, &, *si Petrus*, Papa subijcitur legi de correctione fraternâ: *si peccauerit &c. dic Ecclesiæ*.

[a] De Concil. lib. 2. cap. 19.

2. Latitudo autem ad quam se porrigit, (verbis hijs) *Sit tibi sicut Ethnicus*. Limites verò: *Sit tibi sicut*, ne sit tibi plus, aut peiore loco, quàm *Ethnicus*. Nefas autem Ethnicos bonis suis priuare, nedum exhæredare; nedum adhuc, omnium qui inter Ethnicos erant, optimos, atque maximos, hæreditate optimâ atque maximâ, coronâ suâ, hæreditario iure, suâ, exuere penitus atque expoliare. Agitur ergo illud tantùm hoc loco, ne communionem vllam cum ijs, quoad Ecclesiæ res vel Religionis, habeamus, nec ad Ecclesiam magis eos putemus pertinere, quàm quemuis alium de Ethnicis; De iacturâ Regni non agitur.

3 Vt autem *Petro* potestas ibi non data, censuram hanc vsurpandi; ita nec *Petro*, si vsurparet, ratihabitio promissa: Dicitur enim, *Quoscunque ligaueritis*; non *Petro* igitur, vel

Papæ, sed *Ecclesiæ*. Scio recipies te statim ad *Matth.* 16. vbi singulari numero dicitur *Petro*, *Tibi dabo claues*, *Quodcunq; ligaueris &c.* *Tibi*, est ibi quidem singulari numero positum; sed etsi numerus est singularis, singularis ibi tamen persona *Petri* non est. *Petro*, ibi promissæ claues, non tamen vt *Petro*, huic homini, quin *Petro vt in personâ Ecclesiæ, vt Ecclesiam referenti, vt Ecclesiæ personam gerenti.* Personam in *eo loco* gessit Ecclesiæ, vbi potestas promittitur: Ecclesiæ autem ipsi potestas *hoc loco* datur, cuius gessit ibi personam, *Petrus*, non suam. Nouit Dominus tuus, nemo meliùs, quantâ hoc nube testium euinci posit; quæ illum nubes pessimè habet; eique dum respondet, quasi si in nebulâ esset, excidit ipse sibi, & aberrat totâ viâ.

Quæro iam de praxi Censuræ huius. Reperio 1.*Cor.* 5. Iubet ibi deduci in praxin, potentiam hanc Apostolus, *in nomine* CHRISTI *cum spiritu suo*. Fortè autem *minùs* ibi *cautè loquutus*; illud credo dicere debuit, vel *in nomine* vel *cum spiritu Petri* saltem. Neutrum verò *Paulus* ibi dicit, quin *congregatis illis* potestatem censuræ denunciandæ facit. Ita non *Petro* datur *vni*; non in *Petro vno* habetur rata; non ab *vno illo* in praxin deducitur. Res ipsa, rei ipsius promissio, ratihabitio, vsus denique Ecclesiæ datur; ab Ecclesiâ, & habetur, & transfertur in siue vnûsiue plures, qui eius pòst vel exercendæ vel denunciandæ facultatem habeant. Notum est, in *Concilio Constantiensi* quæstionem hanc totam diù ventilatam; tandem etiam conclusam esse; notum, Cardinales *Cameracensem* & *Cusanum*, *Gersonem*, & *Sorbonā* totam non secus sentire.

Quæro iam de exitu; & quid illo factum, qui Ecclesiâ sic eiectus est *Corinthi*. Ecquid vlteriùs processum, quàm vt à societate seclusus, ex eóque pudore suffusus, ad meliorem mentem primò, pòst & ad Ecclesiam redire posset? Vrbe certè exactus non est, non domo pulsus, non fortunis exutus, bona eius in Corbonam redacta non sunt. Ignota hæc, inaudita apud Ecclesiam priscam. Etiam illa quæ tum *Corinthi* fuit Ecclesia, manipulus tantùm fuit hominum, qui malè mulctati essent ipsi, si sic quempiam mulctassent. *Non multi inter eos potentes, non multi nobiles.* Quibus, in bona tum hominum potestas fuit, quibus in capita: omnes iurati hostes Ecclesiæ.

Sin de *Ananiâ* mutire velit *Matthæus*, qui ad *Petri* vocem cecidit, & expirauit; inde vt Papæ potestatem afferat; habebit nos satis æquos. Age, surgat de Cathedrâ suâ Pontifex, transeat; transiens, vmbrâ suâ faciat quod fecit *Petrus*, curet ægros, alia eiusdem generis signa edat, *Petri* per omnia instar sit; pòst de censurâ fatebimur, nec in morâ erimus, quin & eam exercere possit. Quantillum autem iam est *Petri*, in *Pontifice Romano*?

Quanquam, vel si ad Pontificem spectet potestas hæc tota, nihil ad iuramentum. Dicat, decernat, declaret Regem fore Catholicis suis, *sicut Ethnicum*; Quid tum postea? non hoc Catholicos illius subditos officij nexu eximet. Sit Rex, si velit, *Ethnicus*; at Rex esse non desinit: sit *Iulianus Apostata*, peior Ethnico; at est Imperator, nec illi *tributa soluere*, nec *ad tribunal eius stare*, nec *iussa capessere* detrectabunt: si vel milites Christiani sint; dicat, *Ite contra illam Gentem*, ibunt illicò. Rex est ergo etiam tum, cùm (non dico lapsus in hæresin, sed) merus Apostata; cùm (non dico *sicut*, sed) planè iam *Ethnicus* est; eo loco scilicet, quo Reges Ethnici, contra quos tamen, nefas arma sumere, imò ad quorum iussa, nefas arma non sumere. Reges enim ipsi tum fuerunt Ethnici, *Cæsar* ipse tum fuit Ethnicus, cùm hanc censuram Christus primò instituit, cùm hanc censuram *Paulus* pòst exercuit: *Reddenda* tamen *Cæsari quæ Cæsaris* dixit *Christus*; ὑποτάσσεσθαι tamen, id est, *obedire illis*, & *subijci* monuit *Paulus*.

Quin (quod fatetur *Tortus*) post censuram demùm, cùm Ecclesiâ summoti Reges; extra potestatem sunt Pontificis. *Torto* enim ipsi (qui in eo inclementior paulò est) *nec Christiani sunt*. Quare nullum in illos ius tum, titulus nullus Pontifici. Ipsius hæc scilicet sententia est; *Admissi ad Ecclesiam, Papæ sceptra subijciunt*: extrusi ergo Ecclesiâ, sceptra iam erecta gerunt. In ordine sunt Ethnicorum Regum, & exemptionis eiusdem capaces, cuius Ethnici; vt nimirum immunes tum sint, à Papali omni, vel iure vel dictione iuris.

Certum hoc quidem in Theologiâ, & receptum ab omnibus; Non eò venisse Christum, vt, qui iam ante aduentum suum erat, ordo vel naturæ, vel politiæ, eum vel inuerteret, vel euerteret: sanciret potiùs, & sanctum magis redderet.

ret. Naturæ vincula non soluit; à potestate mariti vxorem, à parentum obsequio filios non eximit. Tantum abest, vt nexum illum magnum dirumpat, & quasi catenam adamantinam, quâ subditos tanquam filios familiæ magnæ (quam rempublicam dicimus) Parenti suo *magno* certum est obligari. Rectè verò litem hanc totam dirimit *Nauarrus*, cuius par est magna sit authoritas apud Iesuitas, quorum ille Patronus magnus est. [a] *Excommunicatione homo non desinit esse verus homo, imo nec liber, nec perdit potestatem naturalem, & ita potest regulariter contrahere, vt quilibet alius, & facere omnia, quæ iure naturali, Gentium, ciuili, nituntur.* Niti autem vel *naturali*, vel *Gentium*, vel *ciuili*, vel omnibus hijs potiùs, certum est, coniunctionem eam, quæ inter magnum hunc *Patremfamilias* est & familiam suam; ac proin censurâ nullâ dissociari posse. Verissimum ergò verbum fuit, nec de eo Apologiæ Apologiâ vllâ opus, quòd dixerit, non aliò tendere, non intromittere se *Legis Authorem* in quicquam aliud, quàm ciuium suorum *fidelitatem & veram obedientiam*. Parte verò ex alterâ, malè à *Matthæo* deduci, torqueri potiùs: vel, ex eo, quòd excommunicari contingat Reges, necessariò consequi, vt Regno priuari debeant: vel, ex eo quod negatur priuari eos regno debere, *excommunicationem* ipsam, vel aliquid ibi quod de *Catholicâ fide* sit, abnegari.

a De Absol. c. 27.

TVM quæ hæc consequentia est, *Persistam in fide Regi, nec ab eo deficiam, nec parebo vel Pontifici siquid in Regem moliatur; ergo non agnosco in Pontifice potestatem Excommunicandi?* Peccâsti hîc quidem in Logicam, peccâsti largiter. Non si *funiculo* illo *triplici* (de quo, initio gloriatus es) attraxeris, efficies ex eo, hoc vt consequatur. Nisi si error errori errorem affert; error nempe Logicus, errorem Theologicum; nisi (te iam Authore) qui excommunicatus est, eo ipso quòd sit excommunicatus, regnum amittat; nec secus *depositionem*, & *excommunicationem*, mutuò se consequi putes, quàm corpus vmbra, aut ignem calor. At hoc hallucinari est. Qui excommunicatus est, tolerari ad tempus potest. Declaratio pòst accedat oportet, & Publicatio. Tum & Appellationi locus (si ita opus) à Papâ, ad Concilium. Scis à quibus id factum, & quando. Nec id in *Philippo* factum, nec in *Theodosio*;

dosio; vterque sepositus à communione, neuter depositus ab Imperio. *Disparata* hæc sunt prorsus, túque, qui sic odio habes argumenta inde ducta, ipse iam ducis à *disparatis*.

Accipe verò paucis, quæ hinc absurda consequantur, si statim vt excommunicati sunt Principes, regnis excidant.

Dixit olim Pontifici *Bernardus*, [a] *In criminibus, non possessionibus, potestas vestra*: Regnum autem certè *possessio*, ad quam igitur *potestas illa* non transit. Sed *neque peccati* quidem *causa sufficit, ad priuandum quem Regno, cuius non est maior ratio quàm priuationis feudi*, ait [b] Doctor *Marta*. Fac verò priuatæ sortis hominem in censurã vltimam incidisse; ecquid illi de opibus, de possessione suâ peribit? Ecquis ei vel partem adimet de fundo, vel teruncium de re suâ? Nunquam factum, ne tentatum quidem; Quid ergo? Aliane quoad Reges censuræ natura, quàm quoad reliquos? Mutatne naturam fulmen Pontificium, si vibretur in Regem, & tollit illi *possessionem suam*, quam nusquam alibi tollit? [c] *Ita iudicabis magnum sicut paruum*, ait lex; nec aliter [d] *oues pasce*, aliter *agnos*, Euangelium; vna enim vtrobique vox est.

a Lib.1.de considerat.

b Par.1.c.23.

c Deuter.1 17.

d Ioh.21.16.

Vide porrò quod *suprà dixi* annon hinc sequatur; Deterior erit quoad Ecclesiam, conditio Regis, quàm cuiussuis de plebe infimâ. Baro si sub censurâ est, Baroniam non amittit, nec de Barone fiet non Baro. Non eques equestrem ordinem, nec gradu suo excidit. Quin vel vllus homuncio de vulgo, quicquid sit quod habet, ex censurâ quam incurrit nihilo minùs habiturus est: Rex autem si tactus est de Vaticano, Regno statim exuetur, & de Rege fiet plebeius, & quod subditorum nulli fit, illi fiet.

Hoc si sciîsset, (*iterum dico*) haud puto Ethnicus Rex quisquam fuisset de Ethnico Christianus; nec si ita res se habeat, vllus etiam præterea fiet; si sapiunt, erunt quod sunt, nec in hanc se conditionem demittent, vbi cuiuis subditorum quàm ipsis meliùs futurum est. Siccine vero *Nutricijs* suis vicem refert? Siccine θρεπτήρια ἀποδίδωσι; Siccine quæ pia mater est priuatis hominibus, solis Regibus nouerca est Ecclesia?

Tum id cautum imprimis, ne cuiquam fraudi sit anathematis sententia, præterquam ei qui crimen admisit; ad alios ne pertingat; alios ne inuoluat, qui non peccârunt. Reg-

rum autem hæreditas; quâ si pater mulctatus fuerit, nunquam adibit hæreditatem filius, ne si insons, ne si infans quidem fuerit: quin filius qui nihil quicquam peccauit, ***portabit*** tamen ***iniquitatem patris***, & noxæ non suæ, pœnas luet Ecclesiæ.

a Gen. 18. 25. Absit ab Ecclesiâ Dei hoc, quod à Deo abfuit, [a] ***vt rem hanc faciat***, & deponat ***iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius.***

Quid, quòd pœnitentiæ locus relinquitur, in omni censurâ Ecclesiæ, idque ita, vt cùm ad bonam mentem redierit, in integrum restitui oporteat; nec è culpâ, cuius iam piget, detrimenti aliquid accipere? factum hoc ***Petro*** post trinam negationem, quò alijs id faceret, quod sibi factum voluit. Certè autem qui regno motus, cuius in alium translatum Regni ius, serò iam sapit, serò pœnitet: Non dimittet is qui semel inuasit; ad ius suũ, quod priùs ei cõpetebat, redire non poterit, ne si vel maximè seriò pœniteat, ne si liquescat in lacrymas.

Ne lectorem morer longiùs; nec ***Paulo*** Apostolo, nec ***Paulo*** Pontifici, nec vlli mortalium, ***potestas*** vlla, ***nisi ad ædificationem***, vsque adeo vt si ***ædificandi*** spes nulla, ne adhiberi quidem censura debeat. Tantum autem abest, vt priuatiua hæc ***potestas ædificet***, vel peccantis saluti consulat, vt, historiâ teste, teste experientiâ, semper ***ad destructionem*** operata fuerit. Nec enim repertus vnquam Rex, credo nec repertum iri, qui æquo animo ferre posiit, transferri coronam suam ad alium; vel qui exin sanior factus sit, quin potiùs ruerit ad arma præceps, & nescio quot clades dederit, quot — ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν, potiùs quàm vt iure suo cederet. Cùm deponuntur Reges, prædę exponuntur Regna. colliduntur Reges & Regna: nec tentatũ hoc vnquã sine tristi successu, nec vnquã hoc fulmen sine ingenti incendio. Absit autem, vt tantarum calamitatum Ecclesia causa sit: & propter vnius noxam, tam multos committat inter se, cum certâ non minus animarum pernicie, quàm corporum. Ausim verò dicere, plus hinc detrimenti, fidei professoribus, plus lucri fidei hostibus obuenisse, quàm vllâ aliâ ex re. Dum enim ***Henrici, Friderici, Ludouici*** pugnant, ***Sultani, Chani, Ottomani***, miseriâ nostrâ magni sunt, ditiones suas perditione nostrâ dilatârunt.

Viden' ad quot nos absurda abducat assertio tua? fiet Regi quod nulli præterea fit. Peiore conditione Rex, quàm vllus

vllus de plebe. Peiore conditione Rex Christianus, quàm Ethnicus. Plectitur hæres, qui non peccauit. Pœnitens in integrum restitui non potest. *Ad destructionem* erit *potestas* illa, quæ *ædificando* solùm data est: Et harum omnium tum iniuriarum, tum miseriarum, fons Pontifex.

Quodsi iam, eò dixeris, *Pontifici Regem excommunicanti non parituros*, quòd Regem sic *excommunicatum non vitabunt*; (*quicum conuersari tum non liceat*:) gratìs dixeris. Quid enim? an *excommunicato* per Apostolum *Corinthio*, statim ab eo, coniugem, liberos, famulos profugisse omnes putas, atque desertum in vacuis ædibus reliquisse? Ille autem propter hæresin *excommunicatus* non fuit, inquis: alia verò hæreticorum causa est. Imò non alia; *siue enim fornicarius, siue idolis seruiens fuerit, qui frater & Christianus est*, pariter ab vtróque, nec magis ab hoc, quàm illo abstinendum suadet Apostolus; *Neutri commisceri* fas, *cibum cum neutro sumere*. Non est autem grauius in Christiano crimen hæresis, quàm *seruitus idolorum*; Eadem in vtróque crimine censuræ vis: Nec magis *ab idolorum seruo* nos arcet Apostolus, quàm *à fornicario*: vestra igitur hæc, alterius, & noui iuris sunt. 1.Cor.5.ver.11.

Sed tamen & *Hildebrandus* ipse, qui primus omnium bacchari ausus in *Cæsarem*, etiam in Cæsareos omnes, hæreseôs nomine (hæresis autem erat, quòd ei non parêrent) cùm nimis etiam strinxisset, laxare coactus est paululùm, capite [a] *Quoniam multos*: per cuius Interpretes, iis quibus religio non erit *cum Principe conuersari*, (censurâ non obstante:) eo tamen se casu sperant à contumaciâ vindicari posse. Concinnârunt enim nobis Interpretes *Disttichon* illud: [a] Ca.11.q.3. c.103.

Hæc anathema quidem faciunt, ne possit obesse:
Vtile, Lex, Humile, Res ignorata, necesse.

Et affulget inde spes aliqua, quòd, si *Regem non vitent, si cum eo conuersentur*, excusabit eos tamen aliquod de quinque hijs, putà, vel *Lex*; Lex enim Dei, quæ legē omnē superat: vel *Humile*; nec est enim subiectio magis humilis, quàm subditorum.

Theologi certè æquiores videntur, qui [b] *seruos* excipiunt: *Sadoc* verò Sacerdos, Propheta *Nathan*, militum magister *Ioab* vltrò *seruos* se dicent, nec Regem ergò deserent. Excipiunt & *filios*: Rex autem & esse vult, & haberi suorum [b] Aquin. supp. q.23.1. Tolet instruct. lib.1.cap.9.

Pater

Pater, & quicquid *à filijs patri* præstari debet, suo sibi iure merito vendicat. Excipiunt & *coniuges*: Est autem Regi cum regno connubij ius, cuius tessera & testis, *annulus coniugalis*: nec si *vi vocum istarum* Regi adhæreant, magis in Politicis angi sinent conscientias suas, quàm in Oeconomicis; qui cordatè sunt. Quin Cardinalis *Toletus* bene sperare nos iubet. [c] *Cùm enim* (ait) *aliqua grauis necessitas occurrit, videlicet, consilij vel refugij, vel alterius*, (aduerte quæso hoc, *vel alterius*) *tum licet conuersari*. Credo autem *alterius alicuius necessitas* non leuis subdito incumbet conuersandi cum Rege tum, nec ab eo recedendi.

c Tolet. instruct. lib. 1. cap. 9.

Quòd si autem ex Regis conuersatione vitandâ probabiliter timetur scandalum, (& timetur quidem) si turbæ orituræ, (& orientur certè) si res vergat ad graue periculum, (& verget procul dubio,) tum demum [d] *Syluester* nos iubet securos esse, etsi non pareamus. Et ratio fauet; Censura enim quæ ex charitate est, non debet contra charitatem militare, nec potestas quæ *ad structuram* est, *ad destructionem* operari.

d Ver. Obed. 5.

Quid *Syluestrum* memoro? Idem hoc [e] *Alexander* ipse *Papa tertius* indulget; *si non potest sine scandalo prouideri, æquanimiter sustinemus, si mandatum nostrum non duxeris exequendum*. *Æquanimiter ergo sustineat* hic; *sine scandalo* enim *prouideri non potest* & ruinâ multorum. Regula autem est, *pro vitando scandalo cessat rigor disciplinæ*. cuius ratio; *Regem* enim *vitare* iubet Papa, ac *scandalum vitare* iubet Christus; puto autem, cuiuis hîc, Christo potiùs parendum, quàm Papæ.

e Cap. cum teneamur de præbend.

Atque hæc quidem; si legitima sit, & (vt loquuntur) rectè procedat censura, si denunciata vti debet & publicata: Sin ordo iuris non seruatus, modus non debitus, causa non iusta, *ne pariturus quidem Catholicus tuus excommunicanti; iuret quoque (si opus) se non pariturum*. Nam *si qui excommunicatus est, prætendat & publicet excommunicationem suam, esse nullam; nemo illum cum præiudicio suo tenetur vitare, imò si vitet, iniuriam faciat*; [f] *Nauarrus* ita nos docuit. Vidit verò ætas nostra Principem bis terue à Pontifice *excommunicatum*, quem sui tamen *non vitârunt*, quantumuis *Catholici*, cùm *excommunicationem* suam, *nullam* esse prætenderet. Quidni autem prætenderet? Monitoriales Pontificum Bullæ, interdum merè bullæ, merè nullæ

f Cap. cum contingat. R. 2.

nullæ sunt, *si clauem potestatis non præcedat clauis discretionis*. Sit enim vel maximè *intrinseca ligandi potestas* hæc Pōtifici; at limites habet, vt si limites excedat; regulam habet, vt si à regula discedat; abusus iam potestatis sit, *non potestas*. In Cathedrâ docentis Papam errare non posse dicitis; in tribunali iudicantis errare posse tenetis omnes; Erranti verò parêre tenetur nullus. Ita igitur detonare potest Pontifex, vt fulmen eius brutum sit; talem ferre sententiam, vt considerari de eâ porrò posit, annon sit nulla. Quæ si nulla sit, nullus pareat.

Casus quidem sunt apud *Angelum* quindecim nec pauciores, in quibus *excommunicatio* est de iure *nulla*; De tot istis, *aliquis vnus* occurret fortè in sententiâ, quam laturus est Pontifex; *vnus aliquis*. *Aliquis vnus* nuper occurrit in causâ *Venetâ*, quâ freti, Papæ excommunicanti, etiam interdicenti *non paruêrunt*, nec eo minùs *Catholici* iam sunt. Aliquis alter; Aliquis verò? Omnes quindecim, etiam quindecim pænè plures,* viginti enim & sex nullitates repertę sunt, atque obiectæ *Gregorio 14.* non ita pridem in causâ *Galliarum* Regis; quibus freti multi tum, atque ij *Catholici, parêre renuerunt*. Quid quærimus? Quæsitum hoc 1510. in Synodo *Turonensi*, cùm intonuisset tum *Iulius secundus* contra *Ludouicum duodecimum*: an sententiæ tùm eius parendum esset? Responsum autem ibi à Synodo totâ, *Talem sententiam nullam esse, nec de iure, vel alio quocunque modo ligare*. Non est ergo flagitium, in loco, Pontificis sententiæ non parêre.

* *Defens. Princ. contr. excom. Pap. 1591. Gallicè.*

Vides rem totam lubrico in loco versari. Nihil quidem frequentius in historijs, quàm ex omni gente, ex omni genere Catholicorum, multos *excommunicanti Pontifici*, sæpe *non paruisse*. Credo autem, permotos *Alexandri* tertij Pontificis authoritate illâ, quam minùs cautè retulit *Innocentius* in g *Decretalia*, qui liberum fecit Archiepiscopo *Rauennæ*, vel quod *mandaret* Pontifex *adimplere*, vel *quare adimplere non posset rationabilem causam prætendere*. Quisq; sibi exin arripit libertatem illam, nempe indultam à Pontifice; aut enim parebunt excōmunicanti, aut *prætensâ causâ* (& quidem vt sibi videtur *rationabili*) Pontificem rogabunt, vt habeat se excusatos. Immorari hijs nolo diutiùs. Pariturі ergo sunt Catholici tui Ponti-

g *De Rescript. Ca. Si quando.*

fici excommunicanti: quanquam etsi non pareant, erunt tamen Catholici. Reliqua non commemoro, ne tu quidem debebas commemorare; Sciamachia mera sunt. Id agunt omnia, vt probent, esse in Pontifice potestatē clauium. De quo etsi alibi fortasse aliter differendum esset, tamen hîc pro *posito* (*non tamen concesso*) haberi volumus.

Nam quòd in medio argumento suo, parenthesin, quasi aliud agens, interijcit, eámque cornutam, quâ aut *subÿci* se *Papæ* fateatur Rex, aut de *Grege Dominico non sit*; planè hoc ἐν παρέργῳ. Alia res illi præ manu fuit, vt Catholicos suos erudiret in nouo hoc fidei suæ dogmate: inopinatò Regem ipsum inuoluit quasi (parenthesi suâ) & necessitatem affert, vel vt *Papam Pastorem* agnoscat, vel vt *Dominici Gregis pars nulla* habeatur. Quot verò hîc, quàm in scalâ hâc Papæ, multi gradus, quàm hiantes atque inter se dissiti, quàm verò putres & malè fidi; vt qui per eos scandere velit aut descendere, ei à præcipitio valde metuendum sit?

Malè fida primùm in eâ statio; Totum mundum pro Grege suo, vni *Petro* commissum, aliter quàm cæteris; vnum illum, vniuersalem orbis totius pastorem institutum, secus quàm cæteri: Cæteros enim omnes simul Apostolos, Pastores ex æquo, magni illius Gregis institutos esse. Cauere nos iubet [a] *Cyprianus* à gradu hoc: nota illius sententia, *Hoc erant vtique & cæteri Apostoli quod fuit & Petrus, pari consortio præditi, & honoris & potestatis.* Cauere & *Augustinus*: [b] *Ecclesiæ, Regni cælorum claues datæ sunt, cùm Petro datæ sunt, & cùm ei dicitur, ad omnes dicitur, Amas me? pasce oues meas.*

[a] *De vnitat. Ecclesiæ.*

[b] *De agon. Chr. cap. 30.*

Mysterium enim illud *trinæ interrogationis*, *triplicatæ pastionis*, altum quidem, & plus in eo *Petro* dictum quàm cæteris. Sic est; Sed altitudo, huius mysterij; in eo, quòd solus ille, præter, supráque cæteros Apostolos, *toties* (id est) *ter* Dominum paulò antè negauerat, in eóque plus à *Petro* factum quàm cæteris. Plus ergo dicendum illi, plus ab illo faciendum quàm cæteris: *ter* ad *tria* interrogata respondendum, quò sic *triplicem* negationem *triplici* confessione deleret. Hoc nos mysterium docuit *Cyrillus*, docuit *Augustinus*, qui locum hunc non perstringunt leuiter, sed pertractant iusto commentario: Aliud hinc mysterium nullum: vestrum sanè, non eliciunt.

elicurunt. Sic [c] *Cyrillus: Altius quiddam hac oratio certè parturit. Nam quoniam cum alijs Apostolatus nomine* Petrus *ab ipso Christo decoratus, ter in tempore passionis negârat: Iure nunc ab eo terna dilectionis confessio petitur, vt terna negatio æquali confessionis numero compensetur. Trinâ igitur confessione, trinæ negationis delictum euacuatum est; Dixit autem,* Pasce, *Apostolatus sibi renouans dignitatem, ne propter negationem, quæ humanâ infirmitate accidit, labefacta videretur.* Aduerte quòd, *cum alijs* dicit, non præ alijs: & *renouans*, non augens *dignitatem.* Sic [d] *Augustinus: Redditur negationi trinæ, trina confessio; ne minùs amori lingua seruiat quàm timori, & plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quàm vita præsens: sit amoris officium, pascere Dominicum Gregem, si fuit timoris indiciū, negare pastorem.* Hoc illi Patres *mysterium* viderunt, hoc nobis indicârunt; vestrum verò, de ordinariâ in Apostolos ipsos totámq; Ecclesiam potestate, nulli viderunt. Nam si vidissent, cùm *præcipuum sit fidei caput & fundamentum religionis*, nobis non inuidissent; non celâssent eo loco nos, rem tantam, tam & nobis, & omnibus cognitu necessariam.

c In Ioh. 21.

d In Ioh. 21.

Neque etiam in proximo huic gradu pedem audemus figere. Nam, si fuit tanti Gregis pastor *Petrus*, (quantus hinc illinc colligi potuit, ad *Neronis* vsque tempora, aliquot ex hoc regno, ex illâ natione aliquot :) at numerosior longè Grex præut tum fuit, immanè quantum: Tota ex eo Regna, totæ nationes intrârunt, intrauit *plenitudo Gentium*, Noui etiam Orbis accessio facta est, vt vnus eis iam *Petrus* non sufficiat, nisi & illud respōdere possis de Papâ vestro, *Ecce plus quàm Petrus hîc.*

Sed neque in illo tutum insistere, *de successione.* Quis enim nobis fidem faciet, aut ex quo *Euangelistæ* loco, munus hoc hæreditarium esse, Orbis pascendi? Petro vni, magis in eo successum, quàm vlli de reliquis vndecim? vnum modò fuisse *Apostolum ordinarium, Petrum* scilicet, cui successor sit? vndecim reliquos *extraordinarios* omnes, sine successore vllo orbos perijsse?

Tum & illud, si fuit hæreditarium munus hoc, vt posset adiri; quibus hæc tabulis sibi vendicabit *Romanus* vester? Nullum illi ius sanguinis, vt sic adeat: De conclaui autem Dominorum Cardinalium mentio in *Euangelio*, in *Actis*, nulla, sed nec in vetere historiâ. Tum electionis forma ipsa, nescio

quot vicibus variata, proin à Christo non sancita. Sin ex doctrinæ sincerâ successione titulum adornet; titulum illum libenter accipimus; Sed ille, credo, hîc potiùs cogitabit de non reddendâ ratione. Vides iam vt gradus hîc lubrici, vt omnia hîc incerta sint.

Denique, ad illum vltimum gradum, non peruenitur nisi ex abrupto; nimirum, vt si vel maximè succedat *Petro* in munere pastoritio, liceat ei per hoc, regno Reges abdicare. *Pasce oues meas*, id est, ouium Duces macta; (mactari enim certum potiùs, quàm abdicari.) *Pasce oues meas*, id est, oues meas arceto caulis suis; fides enim & officium erga omnes, omnium maximè Principes, caulæ sunt ouilis Christi. *Pasce oues meas*, id est, dissipa, disperge oues meas: conculcentur earum pascua, turbentur aquæ: (hæc enim Rege abdicato effecta semper ferè consequuta sunt.) *Accipe claues regni cælorum*, quibus excludas regno terrarum. *Quodcunq; ligaueris*, id est, quodcunque sceleris pactum vel proditionis magis astrinxeris: *Quodcunque solueris*, id est, quodcunq; legis, officij, fidei, iuramenti vinculum laxâris. Chaos magnum inter hæc; *Disparata* hæc valde quidem, & tu hîc iam denuò ducis à *disparatis*.

Hoc quidem *pascere oues* non est. Ad *verbi*, ad *doctrinæ* pastionem referunt ferè Patres, quod Christus ibi in mandatus dedit; *hoc* illi inclamant, ingeminant, in *hoc* toti sunt. At *vester ille* pastoritium hoc munus non attingit. Quantum enim annorum est, ex quo vllus illorum hoc attigit? nec *Torti* vel atauus gustauit de pabulo hoc Pontificio. A seculo non est auditum, pauisse verbo vel doctrinâ Pontificem vllum. *Totum gregem Dominicum* volunt; *totum munus pascendi* defugiunt *Geminum* ibi βόσκε est, *vnicum* ποίμαινε, ποίμαινε illud ibi *vnicum* arripiunt. Habet vox illa in se, (aliquo significato) regendi vim. *Geminum* βόσκε (etsi verbum illud propriè designat *pascere*) *fraterculis* relinquunt. Factum igitur ab illis non imprudentèr, quòd arcessunt à *Petro* pastoritium ius suum; nolunt verò à *Paulo*. Paulinum illud, vt *qui benè præsunt, laborent verbo & doctrinâ*; laboriosa nimis pastio est. Ad illum canonem sit Pastor qui volet: prædicari mauult Papa de Regibus, quàm prædicare illis.

Sed protrita iamdudum obiectio hæc dè *Petri* pastione.

Quære

Quære verò alium, si placet, cui persuadeas; Rex illam non moratur. E cerebro vestro illa est, è *decretis alatis*: Scripturæ eam nesciunt; Ecclesiæ priscæ nec audita, nec visa est. Erit per Dei gratiam *de Grege Dominico* Rex noster, nec agnoscet *Romani Pastoris* fistulam. Vnum ille quidem pastorem vniuersi Gregis agnoscit, non alium tamen, quàm Christum ipsum, cuius de Grege honorem sibi ducit quòd sit: Quo de Grege etiam, sic est; vt & *Dux Gregis* sit sub Christo Pastorum Principe. Sic ille quidem est, sic sunt & alij (certè sic esse debent) Reges Christiani ad vnum omnes, iura si suã nôssent, & vel vires eis, vel animus non deesset.

Tantùm illud moneo; Cùm *Papam toti Dominico Gregi* hîc præficis, subiungísque, *vel Regem nostrum ad Gregem Dominicum nullo modo pertinere*, *vel certè subditum esse B. Petro, eiusque successoribus, ab eisque tum ligari tum solui posse*; vide quàm hoc à te positum præposterè, qui pòst homo futilis [b] *Christianum* negas, quem hîc cupis conijcere in vincula [b] Pag.97. Pontificis tui. Nam *qui foris sunt*, nec iam Christiani, ad illius Tribunal non pertinent; nec enim [i] *iudex est Regum*, [i] Pag.21. nisi *vt Christiani sunt*, (vt pòst asseris) vbi ergo *Christiani non sunt*, nihil Regibus cum eo, nihil ei cum Regibus. Vides, per te iam, & per tuam stultitiam, non licere nobis, si maximè vellemus, confiteri *Regem à Pontifice ligari posse*, quem ipse ligari posse negas, cùm negas *Christianum*, eoque nomine *ad Dominicum vestrum Gregem non pertinere*.

Quòd si præsentis instituti foret, edoceri posses, *Serenissimum Magnæ Britanniæ Regem*, & qui cum eo sentiunt Reges *Daniæ* & *Sueciæ*, *Germaniæ* Principes, Respublicas *Heluetiæ*, & *Rhetiæ*; quíque per *Galliam*, *Belgium*, *Poloniam*, *Hungariam*; *Ordines*, à nobis sunt, partem esse *Dominici Gregis*, & multò nobiliorem partem, quàm quæ est pars *Pauli quinti*: Christianos esse omnes hos: & vt scias Christianos esse; vt Christianos par est, meliorem tibi mentem optare, dehinc vt quiescas porrò, & desinas maledicere.

Quid verò? An ægrè tibi fuit à bile cum hæc scriberes? An vt catharticon illi quæreres, *Scholam Salerni* habuisti fortè præ manibus, cuius è versu primo desumptus tibi titulus ille *Anglorum Regi?* Anglorum Regem, quis nisi *Tortus*, iam dice-

 ret?

ret? Non est in orbe Christiano Rex aut Princeps, qui non hoc titulo iam abstineret, qui non *Magnæ Britanniæ Regem* scriberet. Auctum illi iam Regnum noui alterius accessione; titulus etiam auctus: hocq; te scire (sed quis hoc nescit) etiam agnoscere, boni mores voluerunt. Inelegans ille titulus in tam *eleganti libello* scilicet; & benè fecerit ille tuus è *Politâ Typographus*, si te paulò nobis reddat magis *politum*. Nimis enim impolitè hoc, & quasi *Cardinali à clitellis* potiùs sis quàm *Sacellis*.

PORrò videamus iam, ecquid fælicior in soluendi potestate futurus sit, quàm fuerit in ligandi. Ex hijs verbis *Quòd Papa potestatem non habet me ab hoc iuramento absoluendi*; En *potestas* inquit *soluendi negatur in Pontifice*. *Ad Pontificis authoritatem pertinere non solùm potestatem absoluendi à peccatis, sed etiam à pœnis, censuris, legibus, votis, atq; iuramentis. Hoc autem Catholicos omnes colligere ex verbis Dominicis, Quodcunque solueris super terram, &c.* Quò vero hæc tam inanis ostentatio, tam superflua, tam nihil ad rem? De *vnico* hîc *Iuramento* quæstio nobis erat, an eo absolui possint, qui iurati sunt? De *Iuramento* igitur hoc *solo*, ageret, cætera mitteret. Hîc verò etiam pompam ducit, & non modò *vnicum* hoc *Iuramentum*, sed & alia *Iuramenta*, sed & *peccata*, & *censuras*, & *pœnas*, & *leges*, & *vota* agit ante currum Pontificis, quasi totidem captiuos. Quorsum hoc ad *vnius Iuramenti solutionem?* aut quid opus quinque illis, nisi si explicare voluit hic pennas Pontificis sui, vt sciant omnes quantus vir sit, nec quicquam abscondi à potestate eius?

Ain' verò, *à peccatis, pœnis, censuris, legibus, votis, Iuramentis?* vt, hic homo leuiter decurrit per sex ista, quasi res non magni momenti? vt, leui brachio, quasi in transitu, soluit omnia? Nos hîc homines obtusi, cuique nodo cuneum suum, *tribus nodis totidem cuneos* quærimus: Hic vno cuneo sex nodos soluit, nodos planè *Gordios*, si tamen soluit; soluit (inquam) & non secat.

Et, quod cuiquam mirum sit, ita se gerit in potestate hâc Pontificiâ, ita res confundit; vt nescias planè quid *ligandum* iam, quid *soluendum* sit. Solebant enim *solui peccata, censuræ, pœnæ*; *ligari* autem *leges, iuramenta, vota*, & astringi magìs:

si &

si & hæc iam soluit etiam, quid tandem ligat Pontifex? Officio *solui* homines opus non habent, nec officij vinculo: officio autem *soluuntur* dum *lege*: officij vinculo, dum *iuramento*. Quin quod adhuc mirêre magis, nec secus *legem* ipsam soluit, quàm *peccata in legem*: vtráque pari facilitate. *Lex* sit, *peccatum* sit contra legem, perinde illi est; tam facile Pontifici *soluere leges quàm peccata*. Vix tamen fiet vt vnâ claue, vtráque hæc & præcepti, & peccati ianua reserari possit. Binæ ergo fortè sunt claues, quarum vna, *peccatis, pœnis, censuris*: altera, *legibus, votis, iuramentis*, aperiendis sit. At hæ quidem ambæ cœlorum claues esse nequeunt. Quin si *ad soluenda peccata*, claues regni cœlorum; *ad soluendas leges & legum præcepta*, claues inferorum datas oportuit.

Certè, quæ paulò antè à nobis pertractata est *potestas ligandi*, ad excommunicationem modò, & censuras, sese extendit Ecclesiæ. Oportet autem, vt relatiui sint inter se mutuò actus hij duo, *ligandi & soluendi*, vt non latiùs patêre debeat hîc *soluendi* potestas, quàm illîc *ligandi*; reciproci sunt; hoc enim relatorum natura postulat. Ligatur quis? arcetur cœlo; soluitur? ad cœlum, vnde arcebatur prius, per peccati contumaciam, denuò admittitur: Ibi verò non ligauit leges vel iuramenta; ne hîc quidem soluat igitur.

Audiant verò Pontificis potestatem hanc, quorum interest. *Deposuit Reges* Pontifex: *deponit* iam leges; *subditos soluit ab obedientiâ Regum*, iam & *ab obedientiâ legum*: *Leges* enim dissoluit, *iuramenta* eiurandi, *vota* deouendi potestatem facit. *Lege* cautum est? Dispensabit *cum lege*. *Iuramento* firmata lex? Et cum iuramento. *Votum* etiam emissum est? Etiam *cum voto*. Nec tamen qui hæc omnia ruperit, futurus peccati reus, nec censuris obnoxius: Nam & illa & illa etiam soluendi potestatem habet. Non potest quisquam iam (vt videtur) cuiquam, Deo vel homini, quocunque nexu sic astringi, quin illum nullo negotio, statim exoluet Pontifex. Ita: quid fixum erit inter homines, vel firmum? Quò nobis cedent, conuenta, fœdera, vincula societatum omnia? Quid posthæc fiet, quò nobis certis esse detur de cuiusquam pacto vel fide?

Haud ità pridem, dum scholam aperirent Iesuitæ, & artem profite-

profiterentur *æquiuocandi*, visi sunt pessimè isthuc consuluisse, in vitæ societates omnes: nexus de rebus humanis, qui in promissis, qui in pactis, qui in iuramentis sunt, sustulisse. Quarè meritò exosi omnibus, etiam compresbyteris suis secularibus. At iam, palam hîc quasi præconis voce edicit *Matthæus*, id penes Pontificem esse, vt nullus sit *legum*, nullus *iuramentorum* nexus, vt nemo de iurato certior sit, quàm iniurato. Licere enim Pontifici hæc omnia vt soluat, Licere apud Pontificem hæc omnia vt soluantur. Licere (inquam) & venales haberi Romæ, *legis, voti, iuramenti solutiones*, id est, peccati, votifragij, & periurij immunitates. *Legis* enim *solutio*, peccati; *Iuramenti solutio*, periurij authoramentum est. Qui pars iam *Pauli quinti* sunt, ne parcant iniurijs; *leges soluit*: ne parcant periurijs; *iuramenta soluit* Pontifex.

Potestas hæc quidem *soluendi* dicenda non erat, sed *dissoluendi* omnia, etiam mundi credo machinam, si sic pergat. Quid est enim in rebus humanis firmum & stabile, quod trium horum vni non nitatur? Quid habet *Lege* fortius Respublica, vel sacra vel ciuilis? Atqui lex vlla, si Pontifici stomachum mouit, fæx iam est, non lex. Quid habet religio ipsa, *iuramento* magis religiosum? Atqui iam religio non est, & illud violare. Arctissimum quidem habitum est semper *voti* vinculum; quasi stupa iam est. Omnia hæc *soluit* Pontifex ex *plenitudine potestatis*, vel *tempestatis* potiùs: vt in nimis solutam potestatem (qualis hæc) ludere solent Iurisconsulti.

Videbo paululùm de Legibus & Iuramentis, de Votis non attingam; Quorsum enim de ijs mentio à nihil nobis hîc cum votis negotij? *Legis* quidem mentio facta, quia Edictum forte ipsum exauctorare Pontifex; *Iuramenti* etiam, quia & illud eneruare cogitat. At *votum* non video cur à *Matthæo* nominari debuit, aut inseri, nisi si interpositâ *voti* mentione, Domino suo gratificari voluit, qui olim *Iesuita* factus, *voti* se reum fecit, & hoc *votum* iam fregit, postquam ostrum induit. Quod nisi subueniat hîc *solutiua* hæc *potestas* Pontificis super *vota*, causam nullam potest dicere, quò minùs *votifragus* habendus sit, & desertor ordinis. Certè *voto* hoc, nisi illum Papa benè *soluerit*, etiamnum tenetur Patri *Ignatio*, nec potest sic purpuratus incedere, nec sacellum habere à Papa, quod

Matthæo

Matthæo malè cederet: Redeundum enim tum illi Exsacellano ad *Papienses* suos, vbi minùs pinguia sunt quàm *Romæ* Sacerdotia.

De legibus prin[...] Etiamne porrigis ad *leges potestatem hanc* indefinitè, nec restringis? Crudiùs hoc à te positum. At puto excipies hîc *leges naturæ*; nec illas soluerit Pontifex: [a] *Naturale ius ab exordio rationalis creaturæ, immutabile permanet.* Atqui subditorum ius, *naturæ lege* nititur. Nascimur, vt filij, sic subditi: filij eius cuius ex stirpe; subditi eius, cuius in ditione nascimur. Ecquis præstabit filius, vt filius huic Patri, subditus, vt subditus huic Regi ne siet?

Etiam puto, excipies & *leges* ipsas *Dei*, nec dabis Pontifici potestatem, [b] *vt mutet ius, aut dissipet fœdus sempiternum.* [c] *Præcepta Decalogi* apud vestros *sunt omnino indispensabilia.* Nullam humanam dispensationem admittunt, nec cuiquam homini ex ijs aliquo modo soluere aut licuit, aut licebit. Tantum autem abest Papam posse, vt (si in eo vestris fas credere) *in quibusdam, nec* [d] *Deus ipse* dispensare possit. *Dei* autem *lex* est, *de obedientiâ*, *de fide* Regibus præstandâ; *lex* mandato quinto comprehensa, filius vt patrem, subditus vt patriæ patrem debito obsequij, fidei, subiectionis honore afficiat. Ecquis verò mortalium hac *lege* liberabit? *Legis* autem nostræ æquitas, *diuinâ* hac nititur. Quasi enim familia quædam magna, Regnum est; quam Rex sic ducit, vt Paterfamilias. Quare quæcunque Patri iura, quintæ legis vi, debentur, suo sibi iure vendicabit omnia.

[a] Aquin. 12æ 94.5.

[b] Esa 24.5.

[c] Aquin. 12. q.100. A.8. c.

[d] Valent. de leg. nat. qu. 4. disput. 7. Punct. 6.

Pari autem ratione, excipies, puto, & *leges Euangelicas*: *Euangelica* autem est, & à *Petro lex ista*, *Estote subditi Regi tanquam præcellenti. Hæc est enim voluntas Dei.* Quid hîc, *vester?* Soluitne *legem* hanc *Petri*, & dicit, *Regi quamuis præcellenti ne estote subditi*; *hæc est enim voluntas Papæ?* non puto: non committet *Paulum quintum* cum *Petro*.

Quin & *ciuiles* porrò excipies etiam: hoc argumento; Quòd ad idem spectent, *potestas ligandi & soluendi*, eòdem referantur, vt quod *ligare* non possit Papa, nec possit *soluere*. *Leges* autem *ciuiles* Regno vlli, vlli Reipublicæ condere non potest; nullus hoc Papa dixerit, nullus Rex tulerit. Faciat, si volet, in *Galliâ* periculum, faciat vel in *Hispaniâ*, legem ferat

illis, non ferent ferentem. Legem ergo ponere non potest, nec rogare: ne soluere quidem igitur, aut abrogare. At nostra quoque *ciuilis lex* est, legitimè r[illegible]a, plenis Comitijs lata, omnium Ordinum consensu comprobata.

Nullane ergò *soluendi potestas* in Ecclesiâ *ad leges*, nec vllus dispensationi locus? Est verò: quis negat? Laxet nodos Ecclesia, quas ipsa nexuit; leges quas fixit, refigat; quas posuit, tollat denuò; positiuo iuri deroget. Parcè tamen hoc quoque: Rectè enim dixit quispiam, *Dispensationes nihil aliud esse, quàm legum vulnera*. Nec ergo hoc laudi sibi ducat Pontifex, si multis vulneribus sauciæ sint apud eum *leges vel positiuæ*. Et parcè (inquam) & moderatè. Nota satis in *Decretis* glossa Canonis; [a] *fuit tamen hic nimium papaliter dispensatum*. Semel ibi notatum; sæpe factum à Pontifice, sæpe dispensauit, *nimis papaliter*. Potestas autem si longiùs se quàm par est extendat, abusum patitur, nec iam actus eius dispensatio est, sed dissipatio. Vtcunque autem se res habet; contraria Papæ vox, atque Christi, de lege. Christus; [b] *Non veni soluere, sed implere*: Papa; Non veni implere, sed soluere.

a Can 2. q. 5. c. mennam. in Glossa.

b Mat. 5. 18.

Pergo iam ad *iuramenta*. Etiamne & illa in vniuersum *soluendi* potestas illi? At si *leges* non potest, nec *iuramenta* potest, quibus *iuratur in leges*. Quid si enim legi alicui diuinæ, obligare me volo *iuramento*, ecquis me impediet? Olim ita *Dauid*; *Iuraui, & certò apud me statui, custodire iudicia iustitiæ tuæ*. *Petrus* ipse si tum vixisset, an potuisset efficere, ne *Dauid iuramenti* reus esset? aut an *soluisset* eum hoc *iuramento*? *Dauidis* exemplo, *iuramento* se obstringet, quis putà de non mœchando; hoccine illum *iuramento* vllus soluet Pontifex? Par faciet de mandato quinto *iuramentum*, nec magis illum soluet Pontifex; non magis (inquam) de quinto, subiectionis, quàm de septimo, castitatis; nec magis præstabit vt rebellis, quàm vt mœchus sit.

Psal. 119 ver. 106.

Sed & *iuramenta* quædam interdum solui possunt; & habet in illis dispensatio locum suum: quæ tamen, dispensatio vix propriè dicitur. Si quis se temerè irretiuit *iuramento*, vt *Herodes*; etsi debet esse de eo scrupulus nullus; si quis tamen est, illum eximat. [c] *Iuramentum de malo vel bono impeditiuo, dispensatione non indiget; tenetur enim iurans non seruare.*

c Aquin. 22. 89 q. 3.

In

In iurando si fuit stultus, in reddendo ne sit impius. Addo etiam, si non euentu, vt *Herodis* illud: sed si ab initio statim sacrilegum est *iuramentum*, si proditorium (quale hîc nuper apud nos inter Coniuratos) etsi nihil opus, quia iurati in malum; si videtur tamen opus, & si volet, *soluat* & illud; in quo tamen non *soluendo*, quin astringendo magis, operam omnem suam posuerunt, quibus tum apud nos potestatis suæ copiam Pontifex fecerat. Soluerent verò hîc: hîc verò recondunt in vaginâ, vbi exertam oportuit, aciem atque aculeos authoritatis suæ: vbi minimè oportet, ibi demum exerunt. *Soluunt* fidelitatis Sacramenta, *non soluunt* perfidiæ: *soluunt* scilicet *liganda*, *ligant soluenda*.

Nec tamen hoc mirere lector: Ita enim se habent Pontifices in hoc negotio *ligandi* & *soluendi*, vt solent agyrtæ. *Ligare* ad tempus sinunt; tum non *ligare*; ligare dum *desunt vires*, non ligare *cum iam adsunt*; Ita *ligatus solutus* est, *solutus ligatus*, nec *ligatus* nec *solutus*, prout Pontifici visum fuerit. Sic Iussit nuper *Gregorius 13*. de Bullâ *Pij quinti*, * vt *ligaret* illa Reginam, & subditos hæreticos; subditos autem Catholicos non ligaret: non *ligaret* quidem Catholicos, *rebus sic stantibus*; *ligaret* tamen, *quando publica eius Bullæ executio fieri poterat*. Mirus artifex: vnâ eadémque Bullâ *ligat*, non *ligat*; *ligat* hæreticos, non *ligat* Catholicos; & Catholicos non *ligat*, *ligat* tamen. Profectò non redemit animos hominum Pontifex, qui sic ludit periurio.

* *Iustitia Anglican.*

Enimuerò, si hæc sit in Pontifice *soluendi potestas*, dic quæso, quid opus *Breui*, *vel primo vel secundo*, quæ interdicunt, *ne iuretur iuramentum?* Quid opus *Epistolâ Cardinalis*, vt abiuretur? Nihil certè. Iurate Catholici omnes; iurate liberè *iuramentum* Regium, duplici *Breui* non obstante. Nam quid ni iuretis? Annon *Romæ* est, qui *iuramenta* vestra sic soluit, vt corrigiam calceamenti sui, qui vno verbo faciet, iurati vt iniurati sitis? Cùm tam leue hoc illi, cur arcet à *iuramento*; nec sinit iurare, tam citò, tam leuiter *soluendos*? Iurate verò. Quid enim inani metu se cruciet quisquam, cur mulctam subeat, cur in carcerem se duci sinat propter ista, vel *iura*, vel *iuramenta*? pareat iuri, nec parcat *iuramento*; *Roma* est, qui hæc dissabit omnia; perinde est, iurent, non iurent Catholici, præsta-

bit Papa, ne qui rei sunt *iuramenti*, rei sint periurij; & quâ est potestate, *soluet* illos primùm, deinde & inuoluet illos plenarijs suis indulgentijs, tam densis, tam consertis, vt nec ipsa perditio illos poßit perdere.

Sed bene; quòd tempore saltem circumscripsit potestatem hanc, vt non semper vti detur, sed tum demum *quando ad Dei gloriam expedit, aut salutem animarum*. Hoc ipso iam nobis per te aditus est, ianuaque patefacta, vt potestas hæc in nos, nihil poßit, aut *iuramentum* nostrum. Nam vtcunque *de soluendi potestate* fateamur: hîc tamen negamus adhibendam in *iuramento*, quòd certè nec *expediat ad gloriam Dei*, *nec animarum salutem*, vt *soluantur* eo subditi. Non est enim adhibenda, ais, nisi *quando expedit ad Dei gloriam & animarum salutem*. Illud autem *Quando*, quando est? An iam est in *iuramento* hoc *nostro*? Ecquid *Deo de gloriâ deperit*? ecquid *animabus de salute*, si nihil horum Regi fiat, quorum in *iuramento* mentio, si nemo Regem deponat, inuadat, vim afferat? Nihil horum.

Sed scire vis, lector, quid sibi velit *Quando* hoc? Lege Historias; videbis haud vnquam fere reduci in actum hanc Papæ *potentiam*, quando aut *diuinæ gloriæ* quid, aut *humanæ saluti* impendet periculi, sed quando Pontifici mota bilis est: mota autem fere est, quando negatæ decimæ, quando prouisum contra *prouisiones*, quando *Indulgentiarum nundinationes* interdictæ. Nec enim hæc, si nescis, in rem pietatis & fidei *potestas* astruitur, nec illorum hîc incrementum quæritur: quæritur, vt *Taxæ Cancellariæ* bene sit, id est, vt culinæ Pontificis, dum pro tali *voto* soluto tot grosßi; pro tali *iuramento* rupto tot floreni; pro tali *lege* violatâ tot aurei numerantur: in quo non *Dei gloria*, sed Principum ignominia; nec *salus animæ*, sed pernicies crumenæ quæritur: Huic dum consulatur, eat *gloria Dei*, eat *animarum salus*, quâ potest.

Sed dic tandem, vbi data, vbi fundata potestas hæc. Certè, *in verbis Dominicis*, nimirum *hijs*; *Quodcunque solueris super terram* &c. At hijs verbis Dominus *clauem* promittit, *clauem*, dico, ad aperiendum, non vectem ad perrumpendum omnia; & *solueris* dicit, quod summis digitis fit; non *dissecueris*, quod gladio fit, aut bipenni; denique facultatem pollicetur *dispensandi*,

suadi, non *dissipandi* omnia.

Verùm (quod [illegible]ertit *Hieronymus*, & nos monuit) loco quem affers, *promisit modò Christus, non etiam dedit*: de futuro hoc verbum est, *Dabo tibi*. Quæro vbi dederit? Scio te de nouâ scholâ esse, dicturum, cùm dixit, *Pasce oues meas*. Quid hoc verbi est? Quid sibi vult, *pasce*? An hoc? Doce illas, *potestatem* hanc quã tibi nunc trado, eò se porrigere, vt si tuæ sint *oues*, eis, votifragis, periuris, exlegibus esse liceat, nec vllis aut officij caulis, aut *legum* repagulis contineri? Venenum hoc quidem, non *pabulum* est. Malus *pastor*, qui has de grege suo *caulas*; malus *Pontifex*, qui has de ponte suo *sublicas* summotas vult. Nec ergo, vel hoc loco quicquam euiceris.

Sed tamen nec hoc loco *dedit*, quod illo tuo *promisit*. Quin si veteres illos audimus, illo potiùs, *Ioh. 20. Quorum peccata, &c.* Atque ita ad *peccata* modò reuocanda est, & *censuras*, pœnásque peccati, contrà quàm tu, *non modò ad peccata, pœnas, censuras*. Noua enim hæc tua glossa est, & Catholicorum (quos tu vocas) quorundam modò, non omnium; non omnes verba illa ad *Leges* & *Iuramenta* protendi volunt. *Caietanus* fortè sic voluit; & cum eo nouitij aliquot Pontificiæ potestatis amplificandæ cupidi; multum abest vt *Catholici omnes* hoc senserint.

Ignota quidem hæc [a] *Augustino* glossa. Sic olim ille. *Ecclesia quæ fundatur in Christo, claues ab illo regni cœlorum accepit, id est, potestatem soluendi, ligandiq; peccata*. Ignota [b] *Theophylacto*, ac proin *Chrysostomo* (cuius ille abbreuiator tantùm est) Sic enim ille. *Claues autem intelligas, quæ ligant & soluunt, hoc est, delictorum vel indulgentias vel pœnas*. Audis *Augustini* [*id est*] *Thophylacti* [*hoc est*] satis vt credo dilucidè: ad *peccata* modò & *delicta* potestatem accommodant, nec porrigunt vlteriùs. At hij certè pro *Catholicis* habentur.

a In Ioh. 12.
b In Matt. 16.

Sed enim libero iam tibi fidem meam de Catholicis, qui quod *Matt. 16. promissum est*, id *exhiberi* non *Ioh. 21.* verbo *pascendi*, sed ante illud, *Ioh. 20.* verbis *peccata remittendi*, vno ore fatentur omnes; vt Christus ipse fuerit interpres suus, interpres optimus, qui quod *Matt. 16. Quodcunque solueris* dixit, id ipsum *Ioh. 20. Quorumcunque peccata &c.* interpretatus ipse fuerit; nec vel de *lege*, vel *iuramento* verbum addiderit.

Simul & potestatem hanc in *criminibus* esse, & peccatis, inde patebit, & Catholicos tuos qui hoc [illegible] *colligunt*, colligere quæ Christus ibi non sparsit.

a In 4 sent. de clauibus. Ordior autem à Papa [a] *Hadriano 6. Catholicum* hunc nullus negabis. *Videndum est* (inquit) *quæ sint ista claues. Has duas claues notat Augustinus, & post eum Glossa interlinearis, Ioh. 20. Quorum remiseritis peccata, &c.* Vnum pollicitus sum, tres in vno dedi. Habet enim *Hadrianus*, *Augustinum*, & *Glossam* secum sentientes: En claues promissæ, *Mat. 16.* dantur *Ioh. 20.* per verba, *Quorum remiseritis*, non autem, per verba, *Pasce oues.* Atque idem illud pòst iterat. *De claue ministerij dictum est Petro, tibi dabo claues, & in Petro omnibus Sacerdotibus, quibus in ordinatione datur Spiritus Sanctus, vt quorum remiserint, &c.*

b In Mat. 16. Proximus à Papa Cardinalis [b] *Hugo*, & hic quoque Catholicus. Sic verò ille: *Et tibi dabo claues; Claues sunt potentia & scientia discernendi, quâ dignos recipere, & indignos excludere debet à regno, & idem habetur Ioh. 20. Quorum remiseritis, &c.* Pro clauium intelligentiâ, refert nos ad *Ioh. 20.* vbi, *idem* inquit, *habetur.*

c In Mat. 16. Cardinali succedit Archiepiscopus [c] *Theophylactus. Quamuis autem Petro soli dictum sit, Tibi dabo claues; omnibus tamen Apostolis concessæ sunt. Quando? cùm dixit, Quorumcunque remiseritis, &c. Etenim cùm dixit, Dabo, futurum tempus signat, hoc est, post resurrectionem.* Audi & alterum è

d In Mat. 16. Latinis, & quidem Archiepiscopum nostrum. Is [d] *Anselmus* est. *Notandum est, quòd hæc potestas clauium non solùm Petro data est: sed sicut Petrus, vnus pro omnibus respondit, sic in Petro, omnibus hanc potestatem dedit: vnde post passionem dictum*

e In Mat. 16. *est, Quorum remiseritis.* Etiam, si placet, è Germaniâ [e] *Druthmarum. Hoc iam Petro, quàm omnibus Apostolis & successoribus eorum, qui in Ecclesiâ eundem locum tenent, rectè credimus concessum, quia ipse post passionem apparens ijs dixit, Quorum remiseritis, &c.*

f In 4. dist. 19. qu. 1. Quòdsi malis è scholâ, Scotum inde tibi sistam. Sic ille: [f] *Sed contrà, Matt. 16. promittitur Petro & sacerdotibus, Tibi dabo claues, Ioh. 20. impletur illud promissum, dicente Christo, Quorum remiseritis, &c.* Poteram & plures; sed hoc testium satis erit. Hij verò *Catholici* omnes. Non *omnes* ergo *Catholici,*

lici, sic vt dicis, *colligunt*; Et tu iam denuò tamen dicis *omnes?* & ad eundem scopulum bis allidis; nec vocem hanc tam laxam, *omnes*, iterum hic vsurpare pertimescis?

Sed & in hoc mysterium est, cur se *Matthæus* recipiat ad locum *Matthæi*, vbi promissæ tantùm sunt, non datæ; cur ad *Ioh.21. Pasce oues meas*, vbi quæ promissæ illinc sunt, non sunt datæ. Vulgabo sacrum hoc. *Tibi dabo* libenter audit; placet illi hoc *Quodcunq; ligaueris*; *Pasce oues* mirum in modum arridet. Quid ita? singulari enim numero prolata, vni modò proin (vt putat) dicta, vnde illi spes, vt quæ *Petro vni* potestas data est, & *vni Pontifici* tota propria sit, eique soli peculiaris. Pontifex enim *Petro* ex asse hæres. Verùm hîc etiam vanâ spe se lactat, & illudit sibi suauiter; Nec enim hoc ex verbis illis *Catholici omnes colligunt*; multi magnique contrà sentiunt. Non *Petro* hæc dicta *soli* vel data; dicta & data etiam *cæteris omnibus*. Et vtcunque verba sint singularia, *Tibi, ligaueris, solueris*, & *pasce*: non tamen *Petro* dicta in personâ suâ, sed *Petro* repræsentanti *Ecclesiam*, eamque mysticè significanti.

Audi, si placet, de aceruo manipulum. [a] *Origenem* primò. *An verò soli Petro dantur à Christo claues regni cælorum, nec eas beatorum quisquam accepturus est? Quodsi dictum hoc, Tibi dabo claues, cæteris quoque commune est; cur non simul omnia, & quæ priùs dicta sunt, & quæ sequuntur, velut ad Petrum dicta, sunt omnium communia?* Nihil ergo hîc, nec tuum illud, *Quodcunq; ligaueris, Petro* peculiare; commune & reliquis. [b] Hieronymum. *At dicis, super Petrum fundatur Ecclesia, licèt id ipsum in alio loco super* omnes *Apostolos fiat, & cuncti claues regni cælorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur.*

Augustinum verò non modò locupletem testem, sed & multis testimonijs locupletem. [c] *Quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videntur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cùm referuntur ad* Ecclesiam, *cuius ille agnoscitur in figurâ gestâsse personam, propter primatum quem in Discipulis habuit: sicuti est, Tibi dabo claues regni cælorum, & si qua huiusmodi.* Et alio [d] loco: *Nam si in Petro non esset Ecclesiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus, Tibi dabo claues regni cælorum, & Quodcunque &c. Si hoc Petro*

[a] In Mat.16. Tract.1.
[b] Aduers. Iouin. lib.1.
[c] Sup. Psal. 108.
[d] Tractat.50. in Ioh.12.

Petro tantùm dictum est, non facit hoc Ecclesia; si autem & in Ecclesiâ fit, vt quæ in terrâ ligantur in cælo ligentur, & quæ soluuntur in terrâ soluantur & in cælo, quia cùm excommunicat Ecclesia, in cælo ligatur excommunicatus; si hoc ergo in Ecclesiâ fit, Petrus quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit. Et [a] alio. *Quòd ad Petrum propriè pertinet, naturâ vnus homo erat, gratiâ vnus Christianus, abundantiore gratiâ vnus idemque primus Apostolus: sed quando ei dictum est, Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris &c. vniuersam significabat Ecclesiam.* Audi verò & quæ *Augustini* mens de vestro illo *Pasce oues.* Sic ait, [b] *Non sine causâ inter Apostolos, huius Ecclesiæ Catholicæ personam sustinet Petrus. Huic enim Ecclesiæ, claues Regni cælorum datæ sunt, cùm Petro datæ sunt, & cùm ei dicitur, ad omnes dicitur, Pasce oues meas.* Audi & quæ mens [c] *Ambrosij*; *Quas oues, & quem Gregem non solùm tum B. suscepit Petrus, sed & nobiscum eas accepit, & cum illo eas nos accepimus omnes.* Audi quæso, *pasce oues* ad *omnes* dicitur, Oues *Petrus non solus* suscepit, *sed nobiscum ille, & nos cum illo.*

a Tractat. 124 in Ioh.

b De agon. Chr. cap. 30.

c De sacerdotali dignit. ca. 10.

Etiam [d] Leonem. *Propter quod dicit B. Petro, Tibi dabo claues, &c, transiuit quidem in alios Apostolos vis potestatis istius, & ad omnes Ecclesiæ Principes Decreti huius constitutio commeauit, & non frustra vni commendatur, quod omnibus intimatur. Theophylactum* audiuisti iam antè & *Anselmum.* Quamuis *soli Petro* dictum, *Dabo: datas tamen post* omnibus *à Christo.* Satis hoc disertè credo. Audi & [e] *Euthymum*; Tibi dabo claues, &c. *Atqui donum hoc cæterorum fuit Apostolorum.* [f] *Rabanum* etiam. *Hæc autem ligandi atque soluendi potestas, quamuis soli Petro data videatur, à Domino tamen & cæteris Apostolis datur, nec non etiam nunc, in Episcopis & Presbyteris, omni Ecclesiæ.* Claudet verò agmen [g] Hugo à sancto Victore. Ille autem, sic. *Vide quando dictum est Petro in typo Ecclesiæ, Quodcunque ligaueris, inuenies hoc dictum esse in donatione clauium Regni cælorum.*

d Ser. 3 in anniuers. assumpt. 16.

e In Matth. 23.

f In caten. Thom. in Matt.

g Lib. 1 de sacr. cap. 26.

Quod si recentiores mauis (& mauis opinor) accipe & illos. Primùm autem Papam [h] *Pium 2. Inter Discipulos, pænè vbiq; Petrus solus totius Ecclesiæ gestabat personam, & propterea audire meruit, Tibi dabo claues. Has enim claues, non ille vt homo vnus, sed vnitas accepit Ecclesiæ.* Et cum Papâ, Cardinales duos: [i] *Lyranum*, [Et tibi dabo claues] *non solùm pro te, sed etiam pro*

h Lib. 1. de gestis Basil. Concil.

i In Mat. 16.

pro alijs. Sicut enim confessio Petri erat confessio aliorum; ita potestas hæc data Petro, intelligitur dari alijs. [a] Cusanum. *Etsi Petrus, per petram, tanquam lapis fundamenti Ecclesiæ intelligi deberet: tamen secundùm* Hieronymum, *similiter* alij *Apostoli fuerunt lapides fundamenti Ecclesiæ, de quibus habetur Apocal. penult. vbi per duodecim lapides fundamenti ciuitatis Ierusalem, nemo dubitat, duodecim Apostolos intelligi debere. Ideo rectè dicimus*, omnes *Apostolos in potestate cum Petro æquales.* [b] Gerson verò succinctè. *Claues datæ sunt Ecclesiæ, vt in actu primo; & Petro, vt in actu secundo.* Et cùm vnum hunc nomino, cum illo intellige omnes, qui *Constantiæ* fuerunt in *Concilio*. Omnes enim idem sentiunt. Ne longiùs lectorem habeam; *Glossa* denique ipsa *ordinaria*. Tibi dabo claues &c. *Habent quidem eandem iudiciariam potestatem* alij *Apostoli, quibus post resurrectionem ait, Accipite spiritum sanctum, Quorum remiseritis &c.*

a De Concord. Cath. lib. 2. 13.

b In Trilog. 8. Q.

Frustra ergò pertendis hîc de singulari illâ & solitariâ Pontificis authoritate. Non huic *soli*, sed neque *soli Petro* concessa; vt si per verba illa, *soluendi potestas* facta sit in *leges* & *iuramenta*, pluribus iam communicanda sit *potestas* hæc, quàm aut tu vis, aut fortasse etiam expedit; Pontifex verò hoc nunquàm tulerit. Vides verò iam, opinor, hîc, vbi tu colligis, *Catholicos* alios dispergere; quæ tu dilatas, ad *iuramenta*, coarctare eos ad *peccata*; quæ tu coarctas ad *Petrum*, eos, ad *reliquos etiam Apostolos* omnes dilatare. Ita, nec de hâc quidem *potestate*, magis quàm de primâ, vobis inter vos *conuenit*. Verbo dicam; non negatur à nobis *potestas soluendi*, negatur *collectio* tua, & ea *Catholicorum omnium* negatur esse.

Confero iam manum. Nego *negari, potestatem soluendi* in Pontifice, ex eo quòd *potestas* negatur *soluendi iuramenta*. Etsi enim *iuramenta* non soluat; præter *iuramenta*, multa illi restant, in quibus *soluendi potestas* illa, se exerceat. Latus admodum campus, ampla materia *soluendi*. Extra hæc, *peccata* sunt, sunt *pœnæ* & *censuræ* peccatorum. Annon satis illi, hæc *soluere?* Vtinam verò adhibeat ad hæc potentiam suam; bene *soluat* hæc. Hæc enim multò magis merentur, multò magis opus est *solui*. Peccas igitur hîc primùm.

Nego negari *potestatem soluendi Iuramenta*. Et hîc peccas iterum, dum concludis, Potestatem soluendi negat, à *Iura-*

mento hoc; negat ergò *à iuramentis*. Æthiops albus dentes; ergo albus; elenchus manifestus, *à dicto secundùm quid, ad dictum simpliciter*. Non negat *potestatem soluendi iuramenta* simpliciter, qui de *vno* aliquo negat. Qui dictum sic limitat, *non habet potestatem absoluendi me ab hoc iuramento*; Ab *hoc*, de *vno hoc* negat: in vniuersum non detrahit *potestatem* Pontifici, *absoluendi à iuramentis*. De vno cauet; cæteris quid possit, non possit, ne attingit quidem. Vtrobíque malè conclusum. Negat *potestatem soluendi iuramenta*; negat ergò *potestatem soluendi*: Negat *potestatem soluendi iuramentum hoc*; negat ergo *potestatem soluendi iuramenta*.

Non enim, credo, proijcies à te pudorem omnem, & dices, esse illi *potestatem* omnia *iuramenta soluendi*. At sic oportet, vt concludas quod conclusum vis. Quod si *omnia* potest, certè & hoc *nostrum* poterit, quo de agitur. Sed non dices *omnia*; non enim legitima. *Aliqua* ergo tantùm potest. At potest *aliqua*, nec tamen *hoc nostrum*; nec tu vnquam concluseris, Potest *aliqua* soluere; potest ergo & *hoc*; quia ludibrium ita debebis pueris in scholâ, qui cantillant ibi versiculum, *Syllogizari, non est ex particulari.*

At inter illa quæ *soluit*, est & *nostrum*: De hoc quæritur. Probandum tibi hoc, non præsumendum fuit. Videtis interim, vt abeat iam *à potestate soluendi*, ad *rem solubilem*. Res enim hîc negatur *solubilis*, quam Papa vult *soluere*: *Potestas soluendi* non negatur. *Potestate* stante, incongrua hæc materia dicitur, super quam *potestas* cadat. Et verus hic quæstionis status; non an possit *iuramenta soluere*; sed, an possit *hoc*. De *hoc* qui negat, de *re soluendâ* negat, non de *soluendi potestate*. *Potestas* sit sanè, habeat in multis locum suum; in *hoc* non habet: Ab alijs potest, alijs non paucis, ab *hoc* non potest *soluere*.

Dicam verò etiam, cur non possit ab *hoc*: Quia magna ex parte *assertorium* est. Siquidem ex toto *promissorium* esset, [a] *materia* eius, *cùm sit aliquid futurum, variari posset, & in euentu reddi illicita*. Atqui *hoc* iam maiori ex parte *assertorium* est: Quatuor habet partes; quarum tres *assertoriæ* sunt, quarta modò *promissoria*. De præsenti est: *Iuro quòd Papa, nec per se, nec per alium, &c potestatem vel authoritatem* habeat *Regem deponendi*.

a Aquin. 22. 89. 9. 1.

nendi. Item: *Iuro quòd in corde* abhorreo, *tanquam impiam, hanc doctrinam*. Item: *Credo quòd nec Papa, nec alius quicunq; potestatem* habet, *me ab hoc iuramento absoluendi*. Asserit (vt audis) per omnia. De præsenti est. [a] *Assertorij autem materia in necessitatem transijt, & est immutabilis. Dispensatio in eo referretur, non ad materiam, sed ad actum ipsum iuramenti. Talis autem dispensatio est directè contra præceptum diuinum.* [a] Aquin. ibid.

Scis enim (quod te schola vestra docuit) si propriè loqui detur, haud vnquam *solui nexum iuramenti*. [b] *Non dispensatur vnquam, vt aliquid fiat contra iuramentum*; *impossibile hoc*. *Obseruatio iuramenti cadit sub præcepto diuino, quod est indispensabile*. Id tantùm à Pontifice fit; *Materia quæ fuit iuramenti, docetur indebita, vt sub iuramento cadat*. At hoc iam non est *ligaturam soluere*, sed *rem ligatam subtrahere*. Nodus manet, nexus manet; tollitur id cui nectendo fuit. Ac materia quidem hæc, si *de futuro* est, (vt in *promissorio*) quia nondum est, mutari potest, & reddi indebita ex euentu, atque ità pro indebitâ declarari: sin de præterito est, vel præsenti, mutari nequit, in necessitatem transijt; solutionis iam capax non est. Locus ergo (vt vides) hîc *solutioni* nullus; & otiosa hîc omnis *soluendi potestas*. [b] Aquin. ibid.

Præterquam verò quòd otiosa sic est; & aliæ multæ causæ sunt, cur esse possit in Pontifice *potestas* hæc, nec tamen operari. Nam si (quod antè docuimus) casus multi, in quibus *Excommunicatio* de iure *nulla*: nonnulli itidem erunt, in quibus, *absolutio* quoque ipsa reddetur *nulla*. Quippini? *errante claue* nemo *aperit*, *errante digito* nemo *soluit*. Quid autem? *Digitus* nunquam, Pontifici, nunquam *clauis* errat? Quid ergo opus sic distinguere in scholis, *Claue non errante*, nisi erret ei interdum *clauis?* Hic verò nos, *errare clauem* ei dicimus, & *digitos*, si ad ea *soluit* homines, quæ cauentur *iuramento*: [c] *Nimiam remissionem esse*; *non ex* Petri *æquitate iudicium ferri*; Petri *ergo priuilegium non manere*. Non ex æquitate Petri: *Æquum enim* Petro, *& voluntati diuinæ consentaneum, vt Regi tanquam præcellenti, subijciant se omnes*; Regi etiam *Ethnico*, etiam *dyscolo*. Hoc *Petrus* non *solueret*. Nihil ergo hîc *solutum*. *Potestas soluendi*, quæ à CHRISTO, manebit integra; integrum etiam *iuramentum*, & *insolubile*. [c] Leo Ser. 3. in anniuer.

Sequitur verò nouum crimen, & graue, & quo necesse est *Catholicam fidem abnegari. Qui iuramentum agnoscit authoritate sibi plenâ dilatum, eo ipso affirmare, Regis supremam in spiritualibus potestatem.* Quid audio? *Primatus spiritualis* infertur ex *iuramento plenâ authoritate delato?* Quis non risu excipit? Quis enim vel sacrosancta tangit, nisi de eò primùm constet, *ritè sibi & legitimè deferri* iusiurandum? Quot verò quotidie passim in Prætorijs, in Consistorijs iuramenta subeuntur, vbi de luminibus, de stillicidijs agitur, *plenâ authoritate* omnia; & tu horum iuramenta omnia, eum sensum habere vis, vt ex eo quòd legitima sunt, *Regius* per ea *in spiritualibus primatus* stabiliatur? Apage verò: At sic oportet, si ad *Primatum stabiliendum* sit satis agnitio *plenæ authoritatis* in deferente. Quàm multa verò iudicia sunt, quàm multa iuramenta deferuntur, vbi nec Iudici, nec vel Actori, vel Reo, vel Testibus, nec ei qui defert, nec ei cui defertur iuramentum, nulli (inquam) horum, quicquam de *Primatu*, vbi sit, penès Papam an Regem; imò an sit Primatus vllus, semel in mentem veniat?

Nisi illud dicere vis, Nullum *legitimè deferri iuramentum*, nisi vbi *Pontificis authoritas* interuenit, nec à quoquam, nisi cui ille facultatem dederit *deferendi.* At illud, quicquid senseris, raucesces credo, & non dices. Quid enim *Pontifici*, quid *Primatui* cum iuramentis? Annon etiam apud Ethnicos iuratur, idque legitimè, vbi nec *spiritualia*, nec *Primatus*, nec *Primas* vllus? An offendit te fortè vox, *plena?* Atqui, exigendi iuramenti semiplena *authoritas*, nulla. Aut ergo *plena*, aut *nulla*; si *nulla* exigendi, nec subeundi *vlla*; si non subeundi, nec iurandi; si non iurandi, nulla sunt iuramenta; si non iuramenta, non Testes, non *iudicia*, non *Iudices* vlli. Dixin' ego vobis, *soluendi potestas* hæc quò euaderet? *Reges* deposuit, *leges* dissoluit; *iudicia*, & *iudices* iam exauctorat. Ità nec leges, nec *Reges*, nec *iudicia*, nec *iudices* vllos habituri iam sumus. Soluit *iuramenta*, *iura*, *iudicia*, *iudices*, *leges*, *Reges*. Quod initio dixi, mundi (credo) machinam *soluet*, nisi citiùs *soluatur* ipsa.

Sed & rationem reddit, se dignam. *Agnoscit enim in illo plenam authoritatem iubendi, vt contemnatur excommunicatio.*

Ille

Ille verò non agnoſcit *authoritatem iubendi* vllam, aut hoc aut aliud quicquam, quin ſolius *iuramenti miniſtrandi authoritatem* agnoſcit. Nec tu hîc repone mihi quicquam de *contemptu excommunicationis*; nihil agis. Fruſtra priùs tentâſti, fruſtra hîc iam iteras. Non iubetur *contemni excommunicatio*, ſed neque *contemnet* illam, niſi ſi nulla eſt (vt eam nuper ſpreuere *Veneti*:) deferet cenſuræ iuſtæ Catholicus tuus, ſic tamen, vt & officio ſuo ciuili ſimul deferat.

Habes ad Edicti loca tria; quorum *primo*, negatur Pontifici *poteſtas deponendi Reges*. Certè; ſed, & negatur ſimul *poteſtas illa, ad fidem Catholicam ſpectare*. Quæ *ad fidem ſpectare* videri poteſt, *poteſtas excommunicandi*, ea caſtè integréq; adhibita, non negatur; negatur tamen, *excommunicato* fides non ſeruanda. Sed neque negatur etiam *poteſtas ſoluendi*: Noſtrum modò iuramentum, ex eorum numero negatur, ſuper quę currat *poteſtas* illa. Horum, nihil contra *Catholicam fidem*, nihil contra *Primatum*, vel Apoſtolicum, vel ſedis Apoſtolicæ, nec vel ipſius Pontificis *ſpiritualem*, nihil etiam contra *poteſtatem* vel Apoſtolicam, vel Pontificiam *in ſpiritualibus*. Quicquid id eſt quod negatur, de *temporali* quadam eſt, neſcio quâ, (ſed nec ipſi ſciunt) *indirectè* ad Pontificem ſpectante. Quæ, ſit, non ſit, nihil *ad fidem Catholicam*, nihil ad fundamenta religionis: *fide* integrâ, illæſâ, illibatâ, quæri de eâ etiam porrò, & diſputari poteſt. Vtcunque eſt, res *fidei* non eſt; cùm non ſit de *indirectâ* hac *poteſtate*, quicquam adhuc directè definitum. 2 3

Pontifex autem *multa* dixit *contineri Iuramento, quæ fidei & ſaluti apertè aduerſantur*. An hæc illa multa ſunt? Etiam tu aiebas, de quatuordecim, propoſitiones *vndecim, Pontificis primatum in ſpiritualibus attingere*. Cur *tres* tantùm apponis? Quid *octo* reliquis factum? An *tria* hæc ſunt omnia? ſic videtur: De quibus tamen *tribus*; *duæ* non negantur, *vna* modò eſt quæ negatur, eáque nihil ad *fidem*.

Vbi ergo illa iam *euidentiſſima, grauiſſimáque diuini honoris iniuria eſt*? Vbi *Dei* in eo *Maieſtas* læditur? Vbi *periculum conſcientiæ, iactura fidei, detrimentum ſalutis, ex verbis ipſis iuramenti tam perſpicua*, de quibus ſic in *Breui* paratragœdiat Pontifex? Si vera narrare voluit, nec Catholicis ſuis larua-

tus illudere, loco illius quod dixit, *Euidentiſsima grauiſsimáq. diuini honoris iniuria*, & *Maieſtas Dei læſa*, & reliqua illa *dictu grauia, auditu aſpera*; illud quod res eſt, dicere debuit: Suſcepto per vos *Iuramento* hoc, peribit mihi nonnihil de fumoſo ſæculi typho, & faſtu meo Pontificali: ſi res ſic pergat, non potero iam, quoties animus mihi eſt, Reges veſtros, Reges alios deponere, non ſubditos ipſorum armare in ipſos. Hæc illa ſunt verè in me, & ambitionem meam: (& hic Breuium tenor verus eſſe debuit.) Etſi autem mea ſunt ſola, etſi nihil ad Deum: tamen ex veteri arte meâ, & diu iam vſurpato dicendi genere, cùm quis mea vel leuiter attigerit, confugiendum mihi ſtatim ad illa tragica, *Euidentiſsima grauiſsimáque diuini honoris iniuria &c.* Hæc illa ſpectra ſunt & μορμολύκεια, quæ ſoleo obijcere; hæc, quæ horrere pilos facient pauperibus *Anglis*, & miſellis ibi Catholicis, pauorem incutient, ſeu verũ, ſeu vanum terrorẽ, parum refert, dum terrorem: dum detrectent modò ſuſcipere, dum, quanquam nihil in Iuramento timendum videant, timeant tamen: & quanquam nihil tale *perſpiciant*, quia tamen in *Breue*, *ex ipſis verbis perſpicuum* dicitur; auribus, non oculis credant, *perſpicuum id eſſe* ſcilicet, quod tamen non *perſpiciant*. Etſi locus ibi ſit nullus, vbi *iniuria* hæc fiat, credant tamen fieri: & quanquam ab initio non crediderint, credant iam tamen: Argumento eſt, quod initio plurimi iurârint non inuiti, at velut auiculæ hoc ſonitu abſterritæ, non audent iam accedere. Quibus, quid faciat quis, quàm quod iam factum eſt, laruam detrahat, & oſtendat terriculamenta eſſe hæc puerorum? De *honoris* enim *Diuini iniuriâ* non agitur, nec de *læſâ Dei maieſtate*; nihil Deo hîc de *honore ſuo* perit; perit Regibus de *honore*, ſiquid perit. *Maieſtas*, non Dei, Regum læditur, ſiqua læditur; quorum tamen cum diuino *honore & maieſtate*, *maieſtas & honor* coniuncta ſunt. *Fidelitas* verò *in Reges*, cum *fide Catholicâ* conſiſtit, & *ſalus Regia*, cum *animarum ſalute*. Denique, *tutâ conſcientiâ* præſtari poſſunt, quæ *propter conſcientiam* præſtanda ſunt. Poteſt verò ſine *Maieſtate Dei læſâ, tutâ conſcientiâ, ſaluâ fide*, & *integrâ ſalute animarum*, poteſt negari eſſe in Pontifice, *indirectam* illam *poteſtatem* ad Reges ſolio deturbandos: Vbi autem iuſta vel *ligandi*

gandi causa subest, vel *soluendi*; potestas vel ligandi vel soluendi in Pontifice, non negatur.

AVdi iam aliud. Est aliud iuramentum vetus, iam vsque ab *Henrico octauo*, quo asseritur *suprema Regis gubernatio ad causas Ecclesiasticas*. Ex vetere illo, tertium argumentum ducit, vel trahit, vel torquet potiùs, vt faciat fidem scilicet, nouo hoc Iuramento, *abnegari fidem Catholicam*. Probatur (inquit) ex alio simili iuramento. Quid? *Abnegari* iuramento hoc *fidem Catholicam?* Quomodo probatur? Sic pote. Rex *Henricus octauus*, ante annos iam septuaginta, iuramentum edidit, quo voluit agnosci *summus in Regno suo gubernator*, etiam quoad *res religionis:* Quocirca necesse est, vt *fides Catholicà abnegetur* Iuramento isto, quod nuper instituit Rex IACOBVS, quo *incolumitati suæ prospiceret*. Ecquis vnquam argumentum vidit, magis obtorto collo? Quid? Istáne apud vos æquipollent? Rex vult esse *incolumis*, &c, Rex vult esse *gubernator Ecclesiæ?* vtrobique quidem *Rex*; sed quid *Regis incolumitas*, ad *caput Ecclesiæ?* Auersa sunt penitus, nec tu, nisi obstrictâ ceruice, vnquam efficies, vt se mutuò respiciant.

Ad repetitam verò, nec bis iam, sed ter repetitam assertionem tuam, de *abnegari* ibi *iussâ excommunicandi potestate*, accipe iam tertiò repetitam negationem nostram. Nihil iuramento negotij cum *potestate* illâ, cum *potestate* vllâ *spirituali*. *Fidem* ibi requiri *temporalem*, *censuram* non tolli *spiritualem*.

Sed etsi consequentia hic nulla; incidit tamen in phantasma *Matthæus* (Domini in hoc similis) & malè metuit, ne quid huic Iuramento fraudis subsit, ne ad nullam aliam rem compositum sit, quàm vt ad alterum illud *Henrici* aditus patefiat. Certè enim affinitas magna inter hæc duo, *Ambæ eòdem formulæ tendunt: Hoc solo distant, quòd in eo, verbis expressis & proprijs abnegetur Primatus Apostolicus: in hoc, obscurioribus verbis, & per ambages circumlocutionum. Sed ex hac formulâ faciliè possunt viri prudentes intelligere, quò tendat altera:* facilè verò possunt viri prudentes intelligere, si vtrámq; modò formulam legant, te, nec quid velint illæ, nec quid velis ipse, satis intelligere. *Hoc solo distant?* Hoc solo non distant: imò

& fine distant. *Illo* enim, prærogatiua Regi & *potestas* aliqua ascribitur; *Hoc*, plane nulla: *vis* tantùm ab illo, &, vi nocentior *fraus* submouetur. In *illo*, de Ecclesiâ agitur, nec nisi de Ecclesiâ: In *hoc* ne mentio quidem vlla Ecclesiæ. *Illud* à clero primùm editum in Synodo suâ, pòst relatum ad Regni Ordines: De *hoc*, ne consultus quidem clerus (præter fortè Episcopos Procerum assessores) nec vllum ad hoc Synodi aliud vel consilium, vel suffragium interuênit. Conditum prius *illud*, vt distingueret Pontificios à nobis: conditum *hoc*, vt Pontificios ipsos distingueret à Pontificijs; Pontificios scilicet moderatos, quietos, sobrios, à Pontificijs sulphureis, nitratis, igneis. Prius *illud*, vt mentem habet Archipresbyter, credo, detrectaret: Atqui *hoc*, vltrò, primo quoque tempore, iurare voluit; nec vult, rogatu Domini tui, sanguinis sui pro *eo* vel guttam effundere. Neque verò ad subeundum *hoc*, captus ille, vel deceptus; diu enim antè in quæstionem hanc incubuerat, etiam pòst incubuit; ac ne nunc quidem subijsse pœnitet. Habetis iam librum ab illo; excusus est; prostat; quo, quod à se factum, iure factum defendit. Lege sodès. Docebit te, & potuisse à se suscipi iusiurandum illud, & à quoquam Catholico posse, & quidem illæsâ Pontificis *potestate spirituali* posse, seque, in eo non deceptum, vos qui secus sentitis, potiùs decipi.

Denique *quo solo distare* ais, eo omnium minimè distant. Nam si in *priore* verba *expressa* & *propria*, & *hic* quoque non minùs. Quodsi etiam *ambages* aliquæ essent, aut *circumlocutio*; non in hoc culpanda foret. Agitur enim de re, quâ nulla nobis in terris pretiosior; hîc si paulò verbosior lex esset, ferri posset; sed enim *ambages* nullæ ibi, nulla *circumlocutio*, nihil obscurum, tortum; explicata sunt omnia. Vides iam, nec *illo solo*, alijs distare pluribus, nec *illuc*, quò tu prætendis, *tendere*.

Vanus enim ille metus tuus, vanus Domini tui, de hoc quasi *præludio* ad Iuramentum *Primatus*. Annus iam tertius agitur, & qui *Fidelitatis* hoc iurârunt, ad *Primatus* illud non vrgentur, ne vocantur quidem. Et tamen lex illa prior de *Primatu*, etiamnum antiquam vim obtinet, & in vsu est, & quotidie deferri solet *Primatus* iuramentum, sæpiùs tamen

subditis

subditis Regijs, qui in officio sunt, quàm vestris: sed & vestris deferri potest interdum, qui peruicaces sunt & proterui, rarissimè id tamen. *Hoc* verò *fidelitatis* vt deferatur, nupera occasio fecit; subeant hoc: de altero ne metuant. Quod hîc piger Propheta *Matthaeus* vaticinatur, nusquam eueniet. Quid porrò huic homini facias, qui quod nusquam fuit, nec futurum fortasse est, id sibi meridians somniat; pòst, experrectus, suspiciones suas pro argumentis, somnia pro oraculis haberi vult?

POstremò vide, quàm cautus hic homo & peruigil, subsecutus Apologiæ Authorem, ad singula vestigia: aduertit etiam excidisse ei nescio quid, quodam in loco, quod excipit statim, & iam torquet in Authorem. Et quid illud tandem quod excidit? Dixit, scilicet, aliquo in loco minùs cautè, institutum iuramentum hoc, *quo populus arceretur, ne tam altè ebiberet poculum Antichristianarum scortationum:* Et *quid est* (inquit) *apud Aduersarios* Antichristiana scortatio, nisi Pontificiæ potestatis veneratio? Atque ita conclusum in causâ.

Hoc ille tam auidè arripuit, vt non aduerterit duas illas voculas, *Tam altè.* Dixisset aliquid, si vt *ne omnino* biberent de poculo, institutum fuisset iuramentum. Non id dicit iuramentum, sed *ne tam altè ebiberent.* Biberent sanè, quando ita stat sententia, quando inde arceri nolunt; atque ebiberent, idque *altè* etiam: id est, (te interprete) *venerentur,* si placet, Pontificem, pedem eius, sedem eius exosculentur, *venerentur* & potestatem eius, sanctos canonizandi, Purgatorium euacuandi, Iubilæum celebrandi, Indulgentias depluendi. Satis hoc, imò nimis hoc, *altè:* bibant tamen eòusque si sapere nolunt. At *ne tam altè* tamen, vt & *Regem deponenti* adhæreant; vt *licentiam ab eo sumant, arma contra Regem gerendi, tumultus seminandi, vim inferendi. Altè,* si videtur, sed non *tam altè:* vt enim *tam altè*, Edictum non fert; quin aliud poculum temperabit illis ebibendum, si hoc *tam altè* ebibant. Etiam à degustando poculo illo, si saperent, abstinerent; Quis negat? Sed id tamen vt faciant, Iuramento non cauetur: nec enim de *bibendo* ibi cautum, sed nec de *altè bibendo*: sed de *tam altè* bibendo; *tam altè*, vt ebrij sint planè, vt *neque ma-*

nus, *neque pedes* erga Principem quidem *officium faciant*; *tam altè*, vt in illum *cornua sumant*; *tam altè*, vt *titubent*, atque *impingant ad petram* proditionis. Alioqui (vt par est) sobrij luant, quod ebrij peccârunt.

Rectè ergo illud in Apologiâ positum, & ad rem, *ne tam altè*; nec eò spectat vt *detestentur spiritualem* obedientiam, sed vt *testentur* modò *temporalem*; temporalem (dico) saltem, nec adeo Cyclôpes sint, & exoculati implicitâ suâ fide, vt (quod nuper apud nos Puluerarij) inducant in animum, Regis, Regnique excidium, id verò Romanæ Ecclesiæ suæ, obsequium ratum & gratum, hostiam acceptam esse, & in odorem suauitatis. Hæ námque fæces in *fundo amari* illius *poculi*, dum non satis illis, profiteri fidem in Ecclesiam, nisi cum perfidiâ in Rempublicam: nec traditiones fidei suæ addere, nisi & proditiones simul addant perfidiæ suæ, & [illegible] suam testatam faciant, dum se scilicet obijciunt morti, (quod martyrium dici volunt) pro immani aliquo & horrendo parricidio perpetrato. Fæces has hij quidem homines *biberunt de fundo* venenati calicis: ne verò & alijs venenum simile própinent, maturè arcendi. Cui rei Iuramentum fuit.

At tu, lector, iam cernis, quò hæc redeant omnia, quid *dignum tulerit hiatu tanto, promissor hic*, quàm *principalem* suam *causam* nullus probârit. Torsisse *temporalem* Pontificis *potestatem*, vt *ad fidem Catholicam* spectet, ad quam illâ nullo modo spectare potest. Tum torsisse fidiculis suis Iuramentum, vt *excommunicandi potestatem* negaret, quam tamen affirmat. Tum, vt & neget *potestatem soluendi*, quam non negat; locum tantùm negat habere in *vno hoc* & vnico Iuramento. Tum, vt de *Primatu spirituali* Regis dicerentur, quæ *de incolumitate* eius *corporali* dicuntur. Postremò, vt initio Titulum torserat, vt esset *de Papistis promiscuè*, qui erat de certis quibusdam *detegendis*: ita torquere clausulam, vt quod dictum est, *ne tam altè*: id perinde sit, ac si dixisset, *ne omnino* bibant. Hominem denique cernis respondere nomini: Scias argumenta hæc, cuius hominis, homo cuius nominis sit; agnoscas *Torti* esse omnia; torta enim omnia.

Ecce autem relegendum hîc ubi (Lector) iam denuò, totum Pontificis *Breue primum*, deinde suo loco totum etiam *secundum*; tum *Cardinalis Epistola* integra, à capite ad calces, tanquam *Theseïs Codri*. Quorsum autem hæc inanis chartæ carnificina, vt ista sic de nouo iterari oporteat, eisque tanquam Crambe bis positâ, lectorem enecari? Sat erat, semel hæc legisse apud Apologiam; vbi necessitas fuit inserendi. Ignota enim tum; Iam lippis nota & tonsoribus. Eadem hîc iam iterum infercire; quid opus, nisi pagellæ fortè aliquot, alioqui vacuæ, Pontificijs erant Breuibus liniendæ? vel certè nisi tam hæc illi Breuia mellita visa sint, vt nec iterum apposita atque iterum, nauseam paritura essent; quæ tamen hîc nec cocta sunt, nec condîta de nouo. Reponit tantùm & transit: nos quoque transeamus, tanquam tot pagellas, si non vacuas, certè superuacuas.

Ordiri Apologiam dicis, *à deploratione conspirationis in Regem. Quam ipsam, & vos, nobiscum pariter deplorare*, pòst asseris. Mallem autem dixisses, *detestari*. Nam ambigua quidem hæc vox est *deplorandi*. Potest enim *deplorare* quis, extitisse aliquos humanâ specie, qui hanc mentem habuerint, tam inhumanam. Potest & ex alio capite, quòd successu caruerint, quodque in illo conatu suo fœlices, fortunatique non fuerint. Nec id ergo ad rem, *deplorare vos*; *nobiscum pariter*, nisi (quod valdè vereor) idem vterque *deploremus*. Atqui pòst dicis, *odisse te parricidia*, *execrari conspirationes*. Esto. At vos, nescio quomodo à *Sixto* Papa vestro, didicistis, in eo quod *odiosum* est & *execratione dignum*, id si accidat in rem vestram, prouidentiam Dei admirari, & laudibus in cœlum tollere, quòd ita scilicet res acciderit, idque non sine manifesto miraculo: & opus in eo Dei abstrahere à scelere, atque ita abstractum mirificè prædicare: quæ quid sibi velint, quis nescit? Verùm si ita, vt dicis, *odistis, execramini conspirationes*, qui fit (nam legistis iam, scio, *Actionem illam in Garnettum*, ante annum & ampliùs latinam factam): qui fit (inquam) vt *odium, & execratio* vestra non redundet in G. & G. conscios, participésque criminis, quos & excepi-

 stis

stis recentes à scelere, & etiamnum in sinu fouetis? An illud didicistis forsan (contrà quàm ille in historiâ) *proditiones odisse* & exectaris; *proditores* tamen vnicè *amare*, addo, & viuos souere, & mortuos consecrare? Quî námque factum, vt si vobis *execranda* res *conspiratio* illa: qui caput erat conspirationis, *Garnettus*, relatus sit in Martyrologium Iesuitarum? Quî factum, vt impostura illa *straminea*, tanti apud vos facta, ita sedulò apud vos impressa, ita passim diuendita? An & illud didicistis, qui *facta habent latronum*; *Martyrum* eis *cultum decernere*, & (dum piæ sint) vel *stramineas* fraudes vestris, & fumos vendere? Sed hæc suo loco pôst.

Postquàm autem quasi vnâ lacrymulâ, vno verbo, de proditione expediisses, subiungis & consilium ad similes auertendas, idque *ipsi Regi Serenissimo* referri vis. Satis hoc quidem comiter: eò dixi, quia lego hîc titulum *Serenissimi*. Hîc lego, & hîc tantùm; nec antè per totum, nec per totum pôst librum honor habetur Regi, huius tituli. Id eò magis notandum, in te homine *Italo*, cùm non sit in minimis laudum nationis vestræ, quòd non tantùm curiosi, penè etiam superstitiosi, in eo estis, ne cuiquam (aliquo loco qui sit) titulus vllus pereat; qui illi vel à statu, vel à merito suo debitus videri potest; vt sæpe hîc subeat mirari, & quasi *Italum* in *Italo* quærere, cùm tam immemorem video te eius, quod Gentile vobis est. Flagitiosa hæc quidem fuit obliuio.

Quid verò referri vis? Quid mones? *Quomodo securè Rex regnare possit*. Non malè hoc, nisi quòd frustrà, nisi quòd Regem mones, si de quoquam alio, de hoc certè non monendum. Rex enim Dominus noster (si quis mortalium alius) compositus non est vel à naturâ factus ad diffidentiam: Tantum autem abest, vt paulò minùs; vt nimio plus *fidat* quàm par est; & in eam partem peccet potiùs. Dum enim, optimè sibi conscius, & ex suo ingenio metitur alios, adeo securus sæpe est, & sui negligens; vt etiam, vbi causa data, etiam vbi prædictum illi vt caueret, tam lentus tamen fuerit & tardus in fide non habenda; vt vita hoc illi penè steterit, vt in vltimum discrimen adductus sit, nisi fidelis illi Deus eripuisset eum, qui alios tam fideles crederet. Nôrunt omnes, quotquot illum nôsse contigit, non hæc illi narrati oportere.

 Certè

Certè cui paululùm notus, cui ratio vitæ explorata, & *egressus & ingressus* eius, fidenter affirmare poterit, haud vnquam Regem quenquam extitisse, qui subditis magis *fideret*, quàm Nostrum: & (est Deo gratia) habet, quibus tutò possit *fidere*:. Quâ de re, vel integer scribi posset liber, si opus libro; sed libro nihil opus: pari operâ scribendus liber, vt lucere solem, vel ignem ardere doceatur: ac vt *Serenissimum* Regem IACOBVM suorum in fide acquiescere, & *securè regnare*. Vtinam verò consilium dare posses, ne tam velit esse *securus*.

Quò verò sic *securè regnet*, quid mones? *Parum in iuramentis, multum in beneuolentiâ populi præsidij esse, ad conspirationes huiusmodi præcauendas.* Quòd *nimirum qui parricidium non timent, periurium non timebunt.* Apponis pòst, *Subrij* exemplum è *Tacito*. Quid tu? An Iuramentum hoc ideo putas editum, quasi non satis certa sit illi *beneuolentia subditorum*? Toto cœlo erras. Quanquam ne sic quidem mones rectè. Nam etsi sint ista, vt dicis, & sit *in amore multum*, in *Iuramento parum præsidij*: tamen quod te ratio docebit, *Parum* & *multum*, plus sunt *multo*; &, *hoc* & *illud* simul, meliùs quàm *illud* solum, nec incommodum vllum, ad cautelam, vtrumque hîc coniunctim adhiberi. Nam, quod aduertisti, credo, populus ex hominibus est; homines sunt, & vt homines sunt, ita animum mutant: & benè velle illud tuum, affectio tenella est, citò de subiecto mobilis, multo *plus præsidij* habitura, multo futura constantior, si nexu etiam *iuramenti* stringatur, & firmetur arctiùs. Antiquus hîc mos est iam vsque à *Iacobo* Patriarchâ (*teste vel Gilead, cumulo testimonij*) initam alijs ex causis beneuolentiam, iuramenti interuentu & fœdere sanciendi.

Neque verò *beneuolentia*, vtcunque omni modo conciliari debet, præstabit tamen per se, vt tuti sint Reges, quando & frater in fratrem, & filius in patrem leguntur conspirâsse, inter quos tamen fuit, & στοργή, id est, *beneuolentia*, quam natura quoque ipsa conciliârat. Neque verò quos tu nominas, quantumuis magni conciliatores *beneuolentiæ*, vsquequaque tuti erant omnes, vel *immunes à conspiratoribus*. *Augustum* si immunem dicas, rudis es certè in historiâ;

 vide

vide capitulum *Suetonij* 19. mutabis mentem; decies ibi periclitatum scribit, lineis vix decem. Ad *Vespasianum* verò cùm veneris, vide capitulum ibi 25. narrabit tibi, *assiduas* in eum *coniurationes* extitisse. Habuit & *Titus Cecinam*: & *Antoninus Cassium, Titianum*, & *Priscianum*. *Constantinum* quis nescit, veneno perijsse? Tute ipse non dices tutos fuisse hos, cùm historiam meliùs inspexeris. Néque etiam ijdem illi, *iuramenti religionem* inanem rem esse rati sunt, quin & ipsi, vbi res se dedit, vsi sunt & eo, nec leue sibi in eo *præsidium* arbitrati sunt; Vt in hoc audiendus non sis, *nouus Regum monitor*; nec, quod *in sacramenti fide* adminiculum, negligendum: quin obedientia Principum, & hoc, & quocunque alio potest, statumine fulcienda.

Et tamen, vt quod res est loquar, si causam scire vis, si veram, cur in Comitijs illis deiuramento illo tractatum sit; non eò factum, quo sibi suorum corda, magis etiam vel arctiùs astringeret (nam quibus maximè fidit, ij iniurati) sed quo illos nôsse detur, quorum in cordibus erga Regem nil tale meritum, vomica pessima perfidiæ delitesceret. Effossis enim paulò antè cadis illis pyrio puluere oppletis, qui defossi inibi erant, ad ruinam, non Regis modò, sed floris totius Regni; visum est, idque ratione summâ visum, tum Regi, tum qui illi aderant Primarijs Regni viris, quacunque demum possent ratione, eruere, ecqui præterea essent, nondum comprehensi, quorum in pectora, vestri homines, virus illud tam tetrum instillâssent. Inde autem extitit Iuramentum, quo sic illud (*tanquam Galaaditis Shibboleth suum*) tesseræ loco esset, quo *Ephratæi* vestri à veris subditis internosci possent. Eo magis hoc, quòd vnus & alter ex illis qui comprehensi, cùm propter facinus illud tam atrox ad supplicium ducerentur, & iam iamque morte mulctandi essent; visi sunt ne tum quidem ad furcas pœnitere, nec veniam petere sceleris tam nefandi. Non certè: nisi lege hâc, si Papæ & Ecclesiæ suæ visum, illorum hoc factum malè factum, decernere & declarare. Adeò illi de scelere illo tam horrendo pendebant animi, benè, an malè factum esset, & tanquam in re dubiâ, Papæ sententiam expectabant. Etiam (quod mireris) mirati, vestrorum hîc hominum tarditatem, quòd illorum nemo Apologiam festinârit

nârit facti huius tam Catholici scilicet, tam apud Catholicos magni & memorabilis.

Vbi iam de *præsidio* dixisti quod in *beneuolentiâ* est; vis & de beneuolentiâ captandâ monere etiam. Nihilo tamen hîc fœlicior; Nec magis compendio fieri posse autumas, quàm *si sinat Rex vestros homines frui religione suâ à proauis cultâ, à Gregorio magno acceptâ.* Tum demum *securum esse* iubes: *continuò* (quasi in tuâ manu essent) iubes *pericula omnia* timoresque cessare: Et hanc tu viam ei statuis, si sibi consultum velit. Nec est tamen. Siuit enim omnes suos Catholicâ religione frui, non ita pridem in *Galliâ Henricus 3.* parum tamen tutus. Hic ipse qui rerum nunc potitur Rex, postquam etiam hoc idem siuit; at eum tamen non siuerunt: quin ei (quod Iesuitæ adhuc meminisse possunt) et dentem tantùm excusserunt, at iugulum tamen petierunt. Sed tamen, qui consilium hoc Regi nostro datis, didicistis alijs alibi Regibus, aliud dare, huic quidem planè contrarium: Etiam datis. Vnde enim illæ in *Galliâ*, in *Belgio*, clades tot, vnde nuper in *Hungariâ*, in *Poloniâ* turbæ, nisi quòd illis ibi Regibus persuasum vultis, tutos se esse non posse, nec suæ vel saluti, vel dignitati satis consulere, si sinant intra ditiones suas, nostros homines, religionis suæ sacra retinere? Quod hîc vrgetis apud Nostrum, id, vbi rerum summa penès vos est, audire non sustinetis.

Postremò, consilij tui clausula, consilij expers; vt vix (credo) tui hîc stipem aliquam tibi numeraturi, sed neque gratiam de illo vllam habituri sunt. Sic enim dicis, idque non tam consultò: *si securus regnare velit Rex, si vitæ suæ & suorum consulere cupiat, sinat frui Catholicos religione suâ.* Quid si autem non *sinat*? actum ergo de *securitate*, de *vitâ*, *& suorum & suâ.* Perinde enim hoc, ac si saltem innuendo diceres: Ni sic frui sinat, non impunè hoc illi fore. Minari hoc quidem, non monere est; Tuque ipse, quantum in te est, occasionem non leuem subministras (nisi Rex clementior) qui ab illâ religione sunt, vt arctiùs habeantur. Ni *sinat* enim Rex, maleficium meditari.

Quod tu autem hîc pro concesso ponis & confesso, *religionem à Patribus, auis, & proauis hîc cultam*; id verò secùs se habere *Regiæ Maiestati* constat. Quam enim nostri homines religionem

ligionem professi sunt, ineunte illo hîc Regnum suum auspicatissimum, eandem esse nec aliam, quam & *Patres* eorum professi erant, quæque illis à *Patribus* transmissa fuerat. Etiam permultos ex ijs, ad *auos* vsque & *proauos* seriem ducere; vt necesse iam habeas, quod de *auis* & *proauis* dixisti, retractare. Quòd si vltra *auos* iam & *proauos*, ad multa sæcula retrospicias: at *maiores* & *illorum*, & *vestros* per multa sæcula constat Ethnicos fuisse, quorum tamen (scio) author non eris, vt vestigijs *vestri* insistant. Quam ergo de sequendis *maioribus* regulam figis, parum fida est, fallet sequentem. Nec enim apud Deum excusatio erit vlla, fecisse se quod à *maioribus* factum, nisi id ab illis factum quod faciendum fuit. Neque verò quod fecerunt illi, id & nos facere oportet: id oportet in cultu Dei, non quod illi fecerunt, sed quod ex voluntate Dei, verbo suo reuelatâ, facere debuerunt.

Hæc námque si primis illis Ecclesiæ temporibus Regula valuisset, de sequendâ *Maiorum* religione; starent adhuc idôla, essemus adhuc Pagani omnes, nec in Ecclesiam vnquam *intrâsset plenitudo Gentium*. Etiam hodie iam, dicat hoc *Indus* quispiam Iesuitis ibi, (si qui ibi sunt) *sine fruar antiquâ religione, à patribus, auis, proauis cultâ, per multa iam secula*; haud credo vocem hanc libenter audient. Si audiant, impugnabunt vt falsam & fallacem, & quâ, nulla magis saluti perniciosa. Valeat ergo Regula hæc vestra; quæ si obtineret, cui *parentes, aui, proaui* Pagani; non vllus olim fieret; si obtineat, non vllus hodie fiat Christianus.

Nihil verò in eo nouum facis, quòd *nobis nouas sectariorum opiniones* obijcis. Antiquum obtines. Nobis verò opiniones *nouas*? Imò narro tibi, si *nouæ* sunt, nostræ non sunt. Prouocamus ad antiquos, ad antiquitatem vsque vltimam. Quo *nouum* quidque magis, eo minùs gratum nobis; quò minùs *nouum*, eo magis; nec vlla auribus nostris gratior vox accidit, quàm illa seruatoris, *Ab initio fuit sic*. Neque verò hæresin alia magis ratione definimus, quàm si *veterum* trium Symbolorum, vel si *veterum* quatuor Generalium Conciliorum vlli contrauenìat. Annon hoc est, odisse *opiniones nouas?* Nec innouamus quicquam; renouamus fortè, quæ apud veteres illos fuerunt, & apud vos iam in *nouitates* abierunt.

At

At vos quis ferat de *nouitate* verba facere, qui *nouas* indies ſectas, *nouas* gloſſas, *noua opinionum* commenta procuditis? Audi ſodes, ſi tibi ad *nouas opiniones* aures pruriant, *nouitates Domini tui* iam *noui* facti calentes adhuc, poſtquam veteres de ijs errores ſuos nuperrimè, vix ante annum, *recognouit*. [a] *Paulus de iure Cæſari ſubiectus non fuit, nec ad eum appella-* a Recog. pag 17
uit tanquam ſuperiorem ſuum. [b] *Canones* [*Adrianus*] & [*In Sy-* b Pag. 51.
nodo] *reprobi ſunt.* [c] *Infideles, hoc ipſo quòd infideles, etiam innoxij,* c Pag. 44.
priuari poſſunt dominio ſuo. [d] *Pontifex olim Imperatori de iure* d Pag. 47.
ſubiectus non erat. [e] *Cùm dixit Chriſtus Petro, Paſce, id voluit,* e Pag. 21.
Regio more impera. [f] *Pontifices nunquam eligi ſoliti ab Imperato-* f Pag. 52.
ribus. [g] *Principes à Deo immediatè electi, opus habebant conſenſu* g Pag. 58.
populi. [h] *Christum in Euchariſtiâ ſub ſpecie panis delitefcere.* Nec h Pag. 77.
[i] *conuerſionem ibi productiuam eſſe, ſed adductiuam.* Quare *no-* i Pag. 81.
uatis & vos vobis *nonalia*, atque is quæſtus vobis multò vberrimus. Quodſi quid antiquum retinetis, id ita interpolatum eſt, apud vos, vt nemo veterum rediuiuus agnoſcat: vt qui Eccleſiam *Romanam* veterem in veſtrâ hodiè *Romanâ* quærat, is operam luſerit.

Nec etiam *Gregorium* nobis exprobrare puduit, quaſi nos illum, quâ par eſt reuerentiâ, non proſequamur; quaſi quæ in ſcriptis eius ex veterum *Conciliorum* & *Patrum*, qui ante illum ſenſu & ſententiâ, ſunt, ea nos libenter non amplectamur. Etiam & multa, quæ apud illum *neruosè* contra nomen *vniuerſalis:* multa quæ apud illum *officiosè* dicta de *Cæſare*, vobis obijcimus. *Gregorius* certè *magnus*, in hijs quidem, apud vos *paruus* eſt, & parui: plus ad rem veſtram *ſeptimus* quàm *primus Gregorius*. Neque tamen verum eſt quod venditas, *fidem noſtram Britanniæ à Gregorio acceptam.* Habuit enim hæc inſula, Archiepiſcopum, ſeptem Epiſcopos habuit, veteris fidei cultores, & prædicatores, eo ipſo tempore, quo illi, monachos ſuos huc immittere libuit; eóſque noui illi aduenæ opprimendos omnino curârunt, non quòd perperam quid vel crederent vel docerent, ſed quòd ſeſe illis per omnia nollent ſubmittere. *Romæ* enim ſubijci, inde pendêre, hæc veſtræ religionis ſumma eſt.

Nec in eo Regi audiendus, quòd *conſilium das de religione liberè habendâ:* integrum hoc iam illi non eſt. Nam,

 (quod

(quod cum eâ, quâ decet, reuerentiâ dictum volo) non ſemel periurus ſit, quin bis, ſi te audiat. Quâ enim (ſiqua eſt fidei bis datæ conſcientia) vel conſcientiâ, vel fide ferret in Regnis ſuis ritus veſtros, vel vſum eorum publicum, qui ſuſceptâ primum Scotiæ; ſuſceptâ dein Angliæ, coronâ Regiâ, vtrobique ſolenni ritu, Deo iuſiurandum præſtitit, de conſeruandâ in ſtatu ſuo, illâ colendi Dei formulâ, nec aliâ quàm quæ in Regnis ſuis tum publicè recepta, & vtriúſque gentis legibus ſtabilita eſſet: Quarum etiam ſe tum *legum* quoque, non minùs quàm *religionis*, ſanctiſsimè in ſe ſuſcepit defenſorem fore? Eò autem conſilium hoc tuum tendit, vt nouator ſit, vt periurus, vt vtérque ſit: eſſet enim vtérque, ſi vtroque hoc tam graui crimine, vel coronæ ſuæ, vel etiam vitæ, ſecuritatem redimeret. Hoc verò quàm à ratione prorſus alienum, tu, Lector, iudica, Regi noſtro præſertim, cui nulla hîc apud nos *periurij diſpenſatio* ſperanda, cui nulla de Pontifice opinio: quòd tam ſit *omnipotens*, vt ſuſcepti eum bis iuramenti *religione poſſit exoluere*.

Cùm verò videres *fruitionem illam*, pro quâ interpellas, veſtros homines illo ſuo tam tetro facinore parum *ex congruo* meruiſſe, deſcendis ad facinus ipſum; atque (ais) *non excuſare te* (nam vt *accuſare* te diceres; grauior tibi vox fortaſſe videbatur) ſed *non excuſare te* ais, & *excuſas* tamen eodem ſpiritu: nam ſubnectis illud tuum, *ſed: Sed occaſionem deſperationis datam, nemo inficiari poteſt*. Hoc, quo animo à te dictum, ſi non *excuſandi*? Sed quid tum ſi occaſio data? Noſti quid Dominus tuus; [a] *Occaſio neque phyſicè neque moraliter quicquam operatur*: Etiam *peccandi*, Deus apud illum *occaſionem dat*, neque tamen ex eo excuſandi *peccantes*. Nihil ergo hoc ad *excuſationem*, ſi nemo *occaſionem datam inficiari poſſet*. Sed nec hoc verum, *nemo poteſt inficiari*. Omnes enim *poſſunt*, túque ipſe, re cognitâ faxo vt *inficiari*, & *poſſis*, & neceſſe habeas. Quæ enim tandem illa *deſperandi occaſio*? *ſperaſſe* (ais) *reſpirationem aliquam, ſub nouo Principe*; *pòſt, ſuâ hac ſpe excidiſſe*. Quæro primùm, ſiquis ſine ratione, inanem *ſpem*, atque ſtultam animo concipiat, pòſt verò *ſpei* exitus non reſpondeat, an huic *datam* putes *occaſionem deſperandi*? nam *deſperare* id quidem eſt, vbi vera *ſpes* præciſa, non ſi-

[a] De auxil. grat. lib. 2. c. 13.

quis

quis falsam *foueat*, eaque non *succedat*. Falsam autem *fouerunt* tum vestri: tum, promissa nescio quæ commenti sunt, quæ nulla tamen fuerunt: & quod factum nunquam est, id fuisse tamen factum, in vulgus spargebant: in eóque sibi iniuriam factam, quòd non auaris votis suis per omnia satisfieret, quòd non *frui* daretur, quicquid illis *sperare* in animum venisset.

Quæro deinde, vnde illis *sperandi* occasio? à Regis *clementiâ*. Vbi, si *spem* dicis *religionis liberæ*, responsum iam habes; *Educatione* ipsâ primùm in religione nostrâ, pòst constanti semper eius *professione*, gemino deinde *iuramento* eius, sublatam vobis *spem* omnem, fieri posse, vt in religione mutaret. Neque verò eâ *clementiâ* fuit apud *Scotos suos*, vt Catholicis vestris *religionem suam liberam retinere*, permiserit, (quod apud te *respirare* est) & tamen *respirare* eis permisit. At hîc maior *speranda* fuit, *Quia vestri* scilicet, *illum magnâ alacritate susceperunt*. Nescio quàm *magnâ alacritate*: sed *susceperunt* certè: Verùm post Breuia duo *Clementis* igni tradita, quibus cautum erat, *vt acriter resisterent* potiùs quàm *alacriter reciperent*: Et postquàm non aliqua iam superesset *spes* de personâ aliâ, quæ vobis magis in votis. Cùm enim certatim ab omnibus *susceptum* videretis, & aut hunc iam, aut nullum præter hunc vobis *suscipiendum*: tùm demum, quod necessariò faciendum fuit, fecistis; & quem omnino *suscipi* oportuit, eum an *alacriter* nescio, *clementer* certè *suscepistis*. Sin spem dicis *clementiæ*, in legum seueritate temperandâ magis atque leniendâ: quantum quidem Principi fas, qui cum laude *clementiæ*, *iustitiæ* quoque laudem retinere vellet, satis in eo superque vestræ omnium *spei* satisfactum est. Apologia te hoc, abundè docere potuit.

Obiter hæc. Exoluo iam quod pollicitus sum; Non esse datam desperandi occasionem vllam. Tu fortè, eo quòd erupit demum proditio hæc *Nouemb.* 1605. vel eo tempore, vel non ita multò antè, initam existimas. Audi ergo rem veram, & quam nec ipsi negabant. *Primo* Regis *anno*, inita est proditio puluerariá, tractatus de eâ habitus, ídque tum scilicet, cùm neque *Edicta* vlla crudelia *renouata*, nec *Ducenti Floreni* exacti, nec (quod tu odioso nomine vocas) quisquam *opibus spoliatus*. Nam, quod tu fortè nescis, *anno*

 primo

primo Regis *Floreni illi* tui (de quibus tam frequens tibi mentio) à nemine exacti, addo etiam nec *secundo*, ante quintum mensem. Nemo autem vitæ discrimen, nemo fortunarum omnium iacturam adijt. Quare *inficiamur omnino*(quod tu posse putabas neminem) tum cùm designabant ista primùm, vllam esse *desperandi occasionem datam*. Noli ergo dehinc *excusare*, noli extenuare hoc tam immane facinus. Præcesserat quidem pulueratiam *proditio alia*, ipso Regni initio, necdum coronato Rege, quæ mense *Iunio* erupit, procurantibus rem totam duobus sacerdotibus vestris, *Watsono* & *Clerco*, quod quidem hominum non erat, Regem sic (vt dicis) *alacriter suscipientium*. Poterat hîc iam Rex, commotior esse, & leges renouare, & *Florenos menstruos* exigere: non est factum; proditione illâ vestrorum hominum non obstante, nec *Ducenti illi floreni*, nec vel eorum assis vllus, mulctæ nomine à vestrorum quoquam exactus, quòd sacris interesse recusaret.

Mentio mihi facta modò de *Watsono*, qui ante coronam impositam *capiti Regis*, *capiti eius* perniciem machinatus est. Ille ipse, cùm de illo habita quæstio, vltrò fassus est, conatum se in illam conspirationem suam, Iesuitas etiam pertrahere; nec obtinuisse quicquam, tantùm ab illis hoc responsum accepisse; Pergeret in suo illo instituto, rem suam ageret strenuè: se quidem illi iam cooperari non posse, aut operam suam impendere: Suam enim sibi technam esse alteram, ac peculiarem, satis operosam, cui intenti sint toti; eam conaturos se, suo quoque tempore effectam dare: Interim nolle misceri illius, & suam, ne alter alteri impedimento sint. *Watsoni* dictum hoc, rei exitus comprobauit. Credo ergo, & *oculis tuis nonnihil pulueris iniectum*; nam nihil hîc verè affirmas. Non enim, quod tu ais, viderunt *Edicta confirmari*, non *mulctam* vllam *nouam imponi*, non quenquam *florenis suis ducentis* (in quibus tam multus es) *spoliari*, nec vel leuissimâ iniuriâ, læsa illis patientia est, cùm in hoc nefas ruerent.

Vis paucis tibi expediam, quo pacto habuit res tota ex serie temporum? paucis accipe. Auspicatus est hîc Regnum in nos suum Serenissimus Rex IACOBVS, exeunte *Martio* 1603. (quod velit iubeat Deus Opt. Max. esse diuturnum)

Ille

Ille verò, *primo quoque tempore* post aduentum huc ad nos suum, *seriò vetuit*, ne quicquam, vel quod *iam fisco debitum* esset, vel quod *post deberetur*, de *ducentis illis florenis* mulctæ nomine *exigi posset à quoquam*, ex eo quòd sacris non interesset. En, temperata ab eo *Lex*, & exarmata penitus; nónne aliquantulum tum *respirare* poterant? Quam verò illi de hoc facto gratiam retulerunt, vt nouam inuitare possent? Mensis vix tertius agebatur, cùm detecta *proditio prima*, cui facem prætulerunt duo de vestris Sacerdotibus, antè mihi nominati, *Watsonus* & *Clercus*. Ineunte hoc *Iunio* contigit 1603. Alius iam Rex, cui non tam constans *clementia*, fieret alienior hoc facto, mentem mutaret. Non est factum; nulla spolia, *mulcta* nulla *de nouo* dicta: *ducenti illi floreni*, à nemine *persoluti*; liberè etiam tum *respirare* licuit. Nec dum igitur *desperandi occasio*.

Sic tamen constante sibi Regis *clementiâ*, nec vno hoc, sed multis præterea in eos beneficijs testatâ, redeunte *Martio*, rebus *eodem quo erant statu* etiamnum permanentibus, nihil immutatis, nec vllâ de *florenis* mentione factâ, *Martio* illo, ouum exclusum est, tela ordita, immanissimæ illius *pulueriæ proditionis*. Perstitit tamen etiam Rex in lenitate suâ, nec ad *Iulium* sequentem, *ann. 1604.* vlla prorsus pecuniariæ, *de florenis*, legis facta executio. Post annum demum integrum & quadrimestre, cùm iam immodestè se gererent, impunitate nimiâ deteriores facti, cœptum est exigi ab ijs, quod lege debitum, & fisco applicari.

Nouembri autem *subsequente* 1604. cùm nonnulli de vestris Regem supplices adijssent, questi, quòd præter mentem eius, *solutione grauarentur cuiusdam summæ*, quæ debita quidem Reginæ, & nouissimè debita, fisco tamen, sub initio ipso Regni Regis persoluta fuisset, priusquam de mente Regis constaret: exaudijt Rex clemens, & solutiones illas in fiscum factas, refundi iussit, & (quod ex ærarij tabulis constat) à quibus collectæ fuerant, ijsdem ad assem sunt redditæ; atq; vt summam ipsam scias quam hac ratione ab auspicato hic Regno ad tricesimum *Iulij* 1604. condonauit illis munificentissimus Rex, fuit ea quidem ad 52000. *florenorum*. Nulla dum (vt tu ipse vides) *ex florenis illis occasio desperandi data*, imò sperandi

potiùs. Et illo pòst tamen, qui tum instabat, *Decembri*, cum hęc agerentur, tam in illorum rem & *spem* bonam, illi tum toti erant *in muro suffodiendo*, & de quo præcedēte *Martio* tractatū inter eos, id ipsum per totos decē menses strenuè tum peragebant. Non, eò *desperatione* acti (quid enim tum *desperarent* tàm *clementer* exauditi?) sed alia re, quam dicere nolo.

Biennium autem penè, hoc monstro grauidi, *Nouembri* demum *1605*. parturiebant illud. Sed etsi articulatum tum plenè: tamen (ita miseratus nostri Deus voluit) abortiuum; vt *cùm iam filij venissent ad partum, vires non essent pariendi*. Habes breui rem, vt gesta est; habes & tempus. Miraberis, scio, *fucum* tibi sic factum de *occasione*, quam ipse iam vides *nullam* fuisse. Nullam certè *publicam*: sin *priuatum* dicas, *occasio* inde illis *desperandi* quî esse potuit, quorum de primarijs qui fuit, fuit ex Cohorte Prætoriâ (loco apud nos inprimis illustri) quíque *Regis* etiam, tum, cùm nondum hoc regnum adeptus esset, *munificentiam* nunquam sibi clausam senserat? *Incendiarius* verò ipse, militabat tum in *Belgio*, stipendijs Archiducis, nec illi vel domus apud nos, vel res. Ille verò, fassus est vltrò, nec vindictâ irritatum se, nec actum *desperatione*, inde de castris huc in *Angliam* appulisse: quin *zelo solo*, nec vllâ præterea re, *adductum* Romanæ hîc religionis instaurandæ. Eo autem magis *adductum*, quòd propositum hoc suum, nonnulli de transmarinis viri docti, ei persuasissent, non licitum modò, sed & *pium* esse, & (vt vos loqui soletis) *meritorium*. Hæc ille. Alij etiam liberè confessi sunt & ipsi, à notis quibusdam suis & amicis, illectos se in sceleris societatem, *nullâ* vel *inuidiâ* cuiusquam vel *iniuriâ* prouocatos, vt nec exasperatio aliqua *publica*, nec *priuatum* odium præcesserit, quæ ansam præberent ista machinandi: tantùm in transuersum acti sunt, & accensi *zelo* quodam *præpostero*; cui arida subijciebant, nescio qui de vobis, quorum de doctrinâ *opinio* illis *aliqua*. Et, iam in proscenio erat Tragœdia, tam sanguinolenta, tam feralis, vt Deus agi illam noluerit; *scenam* sustulerit, *theatrum* aliud eodem loco erigi, in quo eosdem *histriones*, *fabulam* aliam sibi funestam agere, magnus ille *Choragus* mandauerit; nec illam sanè spectatu iucundam, nisi quòd, per illam, alia longè ma-

gis

gis Tragica, à Rege, regnóque vniuerso, interuersa atque auersa est.

Nam, quod etiam quasi *partem occasionis* commemoras, *Confirmata Regina Elizab. Edicta.* Id verò ita factum oportuit, nec secus omninò tum habere se res potuit. Pars enim *Regij Iuramenti* fuit, tùm, cùm publicis ceremonijs inauguratus est, de *patriâ religione*, de *legibus* (quo erant tum statu) *conseruandis*, tum à populo suo obseruari faciendis. Verùm nec *de nouo*, *acrior* vlla *lex*, nec *grauior* vlla *mulcta priùs* decreta est, *quàm* trium Ordinum, suâ hac (vtinam non tam sæpe mihi nominandâ, sed quoties nominandâ, toties detestandâ semper) *proditione*, languenti iam senectati calcar, & quasi sopito iam igni oleum addidissent. Vides ergò non minui flagitium hoc, augeri potiùs, cùm citra *vllam occasionem* vel leuißimam, inita tamen est ratio tam barbaræ *proditionis*, vt tu iam, qui, quòd actos putares *in desperationem*, ideo fortasse *deplorâsti*, possis iam oculos abstergere, & minùs *plorare* posthæc, & dolorem tuum in odium potiùs, lacrymas in diras commutare. Nec enim, *desperatio* illa *misera* fuit, vt miseranda; sed *præsumptio dira* potiùs, vt *diris* proin *omnibus* fuerit *deuouenda*.

ACtum dein agis. Vbi dicis tu quidem, *non egere te argumentis*, & tamen *eges*, & cùm aliud tibi argumentum, nullum suppetat (miser homo) cogit te durum telum necessitas, vt recurras ad ea quę *de titulo Edicti* paulò priùs dixeras. Nihil habuit hîc *egestas* tua, præter *titulum* illum: Ille autem quantum valeat, sat iam *liquet* lectori; vt verò magis adhuc *liqueat*, visum est subijcere hîc Edicti seu legis ipsius *proœmium*; quo ferè apud nos, & *legis* ratio, & *latoris* intentio contineri solent. Ex eo tibi (lector) perspicuum erit, quàm vtriusque mentem, & *legis* & *latoris*, sciens, prudens *Tortus* detorqueat. Sic autem habet.

Cùm iam experientiâ quotidianâ compertum sit, multos Regiæ Maiestatis subditos, ex animo Pontificiæ religioni adhærentes; partim eâ quam inde hauriunt contagione; partim scelerato & Satanico consilio (quod illis à Iesuitis suggeri solet, & à seminariorum alumnis, alijsq; id genus hominibus, qui omnes Ecclesiæ; Regnoq; huic perniciosi semper sunt habiti) vsqueadeo peruerti

peruerti indies, quod ad officium attinet, & fidelitatem suam Regiæ Maiestati & Coronæ suæ debitam, vt promptos se præbeant, quò conspirationem vllam, seu machinationem proditoriam aggrediantur, seu exequantur: Id quod manifestò liquet ex illo plusquam barbaro & planè horrendo facinore, quo nuper conati sunt, Regem, Reginam, Principem, Senatum, atq; Populum, cùm in domo Parliamenti conuenissent, pulueris pyrij vnicâ displosione, simul omnes ad internecionem dare, quod eorum facinus certam toti Reipub. ruinam attulisset: Cumq; compertum sit, scelus hoc susceptum esse; Iesuitis, & qui de seminarijs sunt, eorúmque Discipulis in eum finem institutis, rem totam procurantibus, quò scilicet inde religio eorum reuocari posset: (Quod eorum consilium solâ Dei omnipotentis benignitate detectum atque oppressum est:) Cúmque nonnulli, qui sic animo affecti sunt, quo tamen meliùs possint virus internum tegere, & quò tutiùs opportunitatis articulos consectari, vt simile illi alterum scelus, si res ferat, exequantur, templa nobiscum adeant, & cœtibus nostris intersint, quò sic mulctam euadentes lege impositam, magis adhuc lateant: AD HOS IGITVR TALES DETEGENDOS, *& eorum animos in Maiestatem Regiam, inq; ipsam Rempublicam pessimè affectos, quò sic detectis, nefarios eorum conatus præueniri detur;* LEGE SANCITVM ESTO, &c.

Hoc totius Legis proœmium est. At verò paragrapho demum vndecimo, vbi pars ipsa Edicti orditur quæ est *de Iuramento* hoc, audi & eo loco si placet iteratam Legislatoris intentionem. Verba ibi sunt.

Quò verò meliùs constet, magisq; exploratum sit, quomodo subditi Maiestatis suæ animis affecti sint in officio fidelitatis suæ, & debitæ obedientiæ, LEGE ETIAM SANCITVM ESTO.

Aduertis hîc, scio, Lector, legis *Occasionem, Cautionem, Æquitatem, Intentionem. Occasionem.* Odiosum enim illud, & post hominum memoriam atrocissimum scelus pulueris nitrati, *occasionem* legi dedit, eo ipso die deprehensum, quo inchoata Ordinum Sessio. Lex absque eo certè futura tum nulla. *Cautionem.* Quò ne quid tale in posterum tentari posset, rationem iniri, de ijs per quos simile quid tentari posset, maturè *detegendis. Æquitatem.* Etsi enim erant omnes Papistæ, qui in scelere illo; alios tamen qui *sic* essent *ad religionem*, non ad

tam

tam immane nefas *pariter affectos* statuebant. Quosdam modò, *quos Iesuitæ vsque adeò peruerterant*, vt si res ferret, *ad simile scelus* perpetrandum, *non inuiti accederent*, quique etiam *sacris nostris non detrectarent interesse,quò malam mentem tegere*, & *tale quid sine suspicione machinari* possent, quale illud de puluere. *Intentionem.* Verba ipsa sunt legis, *Ad hos igitur tales detegendos.* Quid? an hos tales *detegendos* ægrè fert Pontifex, & *reprimendos?* An tectos vellet & protectos? Alioqui quid hîc culpat? Annon *Occasio* legem expressit? Annon *Cautio* plusquàm necessaria? Annon distincta ibi satis *fides* officij, à *fide* religionis? Annon ex hijs verbis, *Ad hos igitur tales detegendos*, *Intentio* manifesta? Quis hæc, nisi *sinister* interpres sit, ad *Catholicam fidem* detorqueat? Quis *fidei* rem dicat hîc agi? Imò *fidem* ne negent, negent perfidiam: *fidem religionis* profiteantur, dum *fidem officij* simul; & legi satisfactum est, quæ nulla est ad *fideles*, tota ad *perfidos* detegendos. Tu tamen rectè dixti de titulo, quòd *fraudes detegat*: vestras enim profectò *detegit.*

Etiam de nomine *Iuramenti fidelitatis* nugatur, *quòd sic in lege ne nominetur quidem.* Quid tum, si aliud illi in Edicto *nomen*? An illud apud vos nouum, rem vnam varijs *nominibus* notare, dum ne contrarijs; & diuersis, dum ne aduersa sint, & inter se pugnent? Atqui nec *nomen* illud, nec aliud, nec vllum ibi omnino *nomen* inditum. Haud aliter ibi designatur, quàm ita, *Iuramentum hic subijciendum.* Author verò Apologiæ sic nominauit, *Iuramentum fidelitatis*: primùm, quia ex substantiâ, fine, scopo, ita *nominari* debet: dein, quia communi loquendi more, tàm à vestris quàm nostris hominibus, ita *nominari* solet, meritóque *fidelitatis Iuramentum* ex eo dicitur, quòd in eo verba hæc posita, quæ ibi verba *operatiua* sunt, *fidelitatem tamen & veram obedientiam Regiæ Maiestati, & successoribus eius præstabo.* Audis hic iam, non *colorem* fidelitatis, (vt tu sinistrè) sed *fidelitatem* ipsam: habes *fidelitatem*, in *terminis* quod aiunt *terminantibus.* Quid quæris ampliùs? Proinde *fidelitas*, non (vt tu dicis) color vllus, sed *substantia* est ipsa *Iuramenti.*

At etiam, pòst reperit quod pueri in fabâ, *mentionem* in Edicto *de iuramento, contra potestatem Pontificis in Principes*

Christianos, quæ quidem ibi *nulla* est. Tu qui *Iuramentum* initio ita *intelligebas*, vt præter te nemo, en iam quàm nihil *intelligas*, *fefellit te translatio tua*. Nihil ibi *de potestate Papæ in Principes Christianos*. *Prope finem* dicis *esse*; *prope* certè, fortè enim, *paulò post* finem est. Hoc vbi reperit quod nusquam est: copiam tum nobis facit *eligendi* de duobus, vtrùm malimus appellari, *an Iuramentum de Primatu Regis in spiritualibus*, *an Iuramentum contra potestatem Pontificis in Christianos Principes*. Nugatur homo ineptus, *vtrumque reijcimus*. *Prius*. *Iuramentum* enim de *Primatu in spiritualibus* appellari non potest, nisi, non dico falsò, sed, nisi absurdè loqui volumus. Nam nulla ibi, vel de *primatu*, vel de *spiritualibus*, syllaba, nulla prorsus. *Posterius*. Quia ab illo *fictum*, nec tale quid in Edicto. Illud tamen, si *contra potestatem* velit *temporalem*, accipimus libenter; sed eam tum *ad fidem Catholicam* haud vnquam, ne tortam quidem *pertraxerit*: sin *spiritualem*, (ad quam pòst *trahit*) reijcimus. *Spiritualis* ibi nulla, vel Regi ascribitur, vel Pontifici tollitur; Etiam nec *temporalis* tollitur, quam scilicet nunquam habuit, vt tolli possit, non magis quàm *cornua*. Neque verò quoad *spiritualia*, alium nos Regi *Primatum* tribuimus; neque quoad *temporalia*, alium Pontifici *detrahimus*, quàm debemus. *Prior ille* Regibus omni iure; *posterior hic* Pontifici, nullo iure *debetur*.

Quod enim *parùm interesse* putas, *Iuramentũ de primatu Regis in spiritualibus*, *an Iuramentum de potestate Pontificis in Principes habeatur, vtrumque enim fidei Christianæ repugnare*: parùm & ego *interesse* puto, sed eius hominis, cuius quid dicat *parum interest*; alioqui *interest non parum*. Nam inter *spiritualem Primatum*, & *temporalem potestatem*, non *parum interest*: & vt priori illi *fides* vestra parum faueat; tamen posterior hæc nihil ad *fidem*. Proin illa quæ sequuntur: *Prius illud* Henrici *octaui iuramentum*, *negare Primatum Pontificis spiritualem*: Verè id quidem: *Posterius hoc*, *tribuere eundem Regi primatum*, temere à te dictum. Nec enim verum est, nec veri vel vmbram habet. Nihil in eo *tribuitur Regi* præter Dominium suum, *articulo primo*: reliqui omnes articuli *negatiui* sunt; nec *tribuunt* quicquam *Regi*, imò nec Regis sunt, sed *subditorum*. Non est autem de Papæ *spirituali potestate*, vlla

vlla nobis hîc quæstio, ne mentio quidem: *Ponimus eam, non concedimus*: Ideo autem *ponimus*, quia non negatur in Iuramento: Ideo autem non negatur in Iuramento; quia sit, ne sit in Pontifice *potestas* illa, nihil ad rem nostram, nihil *ad fidelitatem subditorum*.

Neque quicquam ad rem, quod de CHRISTO addis, *non Regem aliquem, sed Apostolum Gregis sui Pastorem designante*. Certè, vt nec *Regem* sub Lege, quia nondum ibi *Rex* vllus; at vbi iam *Rex*, tum nec ei *Pastoris* nomen negatum: ita sub Euangelio, cùm non essent *Reges* adhuc, qui tum nulli erant, *Pastores* esse non poterant. At vbi Reges CHRISTO nomen dederant, tum demum, non minus *Pastores* hij, quàm olim *Reges Israelis*. Quodsi autem ab initio statim nomen CHRISTO dedissent, nulla ratio, quo minùs vt olim [a] *Iosua* Gregis Israëlitici *designatus* est *Pastor*; itidem & hij Gregis Christiani *Pastores*, qualis *Iosua*, qualis [b] *David*, *designari* potuissent. Sed & antè iam huic responsum est. Nec enim succedere *Petro* Pontificem, Scripturâ vllâ consignatum est: sed neque *Petro* vni (quantam vos vultis) authoritas à CHRISTO delegata est. Et vtcunque *Pastoralis* delegata est quàm amplissima: tamen *potestas, quâ Reges* simul de solio, simul de vitâ *deijcitis*, nihil ad *Pastoralem*. *Laniorum* illa potestas, non *Pastorum* est. Bonus senex *Baronius* hoc vidit: surgere iubet in causâ *Venetâ Petrum*, & non *pascere* quin *occidere tum*, *gladio* scilicet, non *pedo* rem gerere.

a Num. 27. 17.
b 2. Sam. 5. 2. Psal. 78. 72.

Tu verò qui semel antè falsus, cùm *Iuramenti nomen* inesse Edicto diceres, quod ibi nullum; bis iam falleris, quòd *Iuramentum* idem detrectari hîc dicis, *cum vitæ discrimine*. Ibi te translatio fefellit, hîc relatio. Fortunatum quidem iactura est, *vitæ discrimen* haud vllum, neque *causa mortis temporalis*. De *sempiternâ morte* paciscantur vt possunt cum Pontifice: *de temporali* nullum à lege periculum. Nec quod de *Iuramento* dicis, *ad decipiendum compositô*, verum est. Qui potest? Ad *decipiendum* non potuit; quòd contra fraudes vestras compositum est, vt ne eis *deciperemur*. Nisi in eo fortè vos *decipit*, quòd *deceptioni* vestræ locum non relinquit; & tu ideo *fraudem* vobis factam dicis, quòd per illud, vestra *fraus* omnis exclusa sit. Neque dexter, sed *sinister interpres* Pontifex,

 qui

qui quod pro *salute Regiâ* factum est, & regni; id contra *titulos suos* fieri interpretatus est: potiùs autem quàm de *titulis suis, titulus* vllus deperiret, nihil pensi habuit, Catholicos suos cõijcere in difficultates non necessarias. Certè enim, si *Breuia* illa illius *breuiora*, si *breuissima*, imò si *nulla* penitus fuissent, vestri hîc (quorum sic vicem dolet) omnino non laborarent. Sed interea tamen *dextrâ* datum, *dextrâ* positum, quicquid in iuramento positum: Quod *dextrâ* datum est, vos *sinistrâ* accepistis, & de *Malchi* prosapiâ estis, cui præcisa auris *dextra*, nec vlla vobis auris reliqua nisi *sinistra*, quâ auditis omnia, omniumque quæ à nobis dicuntur *sinistri auditores, & interpretes*.

DIxit Apologia; *Peccâsse Pontificem, in bonos mores peccâsse*. Quid ni diceret? *Peccare posse* Pontificem etiam vos dicitis, (etsi *errare non posse*) & quidni *in mores*? Pontifex enim, etsi apud vos *legum* Dominus, *morum* tamen Dominus non est. Quod dixit, id ita conclusit, *dilemmate*. [*Factum Regis; vel alienum erat ab illius foro, & cur falcem immisit; vel non alienum, & cur Regem non monuit, sed citra monitionem damnauit?*] *Damnâsse* negas, vel *iudicâsse* Pontificem *de Rege*, ne quid tamen illi de *potestate* pereat, ais *potuisse*. Atque hîc primò aperis nobis forum; & *tribunal* ponis Pontifici, ac præfaris de *Iudice competenti*; *Esse Pontificem omnium Christianorum iudicem, ac per hoc etiam Regum, vt Christiani sunt*. Bene habet, quòd tantùm *vt Christiani*, non etiam vt *Reges* sunt. Illi verò, non *vt Christiani*, fidelitatem exigunt à suis, aut iuramentum postulant, sed vt *Reges*; possent hoc etiam non *Christiani*, quâ *Reges* tantùm. Vt Reges ergo, nihil ad forum eius pertinent. Quare claudenda tibi iam denuo Curia, & tollendum *tribunal* est: exceptionem enim habent, vt vides, *de foro incompetenti*.

De *personâ* non successit; meliùs fortè succedet de *re*. Saltem in quæstione de iuramento *iudex* est, atque ita, vt *nec fingi possit iudex magis competens. Quippe res sacra iuramentum; res spiritualis; res quæ ad salutem animæ pertinet*. Itane? Quæ modò dicebas solui *iuramenta*, nec secus quàm *peccata*, ne tenerent quemquam; ea iam, *res sacras, spirituales, ad salutem pertinentes* agnoscis? Proinde res ita *sacra*, Pontifici tuo plus magis *alliganda*, non tam leuiter *soluenda*; ne, si res *soluat* ita

 sacras,

sacras, ita *ad salutem animæ pertinentes*, causa sit ijs ipse, quos ita *soluit*, mortis sempiternæ. Fuerit tamen *Iudex* (vt tu vis) *de personâ*; *de re* etiam; An hæ *Iudicis* partes, nec *vocato in ius reo*, *nec dictâ causâ*, nec *defensione auditâ* eius quod fecit, prosilire statim ad damnandum? Perperam id omnino à te dictum, *non opus vt causam diceret*, *qui in ius vocatus non fuerat*. *Opus* enim fuit, *in ius* illum *vocari*, *vt causam diceret*; nec sic, *causâ non dictâ*, *personam damnari* contra ius; in eóque Pontifex, si *Iudex*, *Iudex* sanè iniquissimus. Non potuit ipse sibi *Tortus* solutione hac suâ satisfacere; vidit iniquam rem esse penitus. Aliud ergo effugium quærit, & negat *iudicâsse* Pontificem, &, quod planè ridiculum, *non de personâ facientis*, *sed de facto iudicâsse*. Et quidem, si ignota prorsus *persona* facientis, aliquid diceret: ibi enim *de facto* solo ferri posset sententia, cùm *de faciente* non possit. At hîc quî potest, vbi notus satis author Iuramenti? vbi autem de *personâ* constat, quis vnquam audiuit, in iudicio abstrahi *personam* à causâ, in *factum* ferri sententiam, *personâ* dimissâ? Præterea, in ipso quidem Breui, priùs de *Rege* mentio fit *Authore Iuramenti*, quàm de *Iuramento* ipso: Præfatur enim de *atrocissimis* eius *persecutionibus*, priusquam ad *Iuramenti* mentionem descendat. Quorsum autem ei de *personâ* mentio prima, si *personam* eius attingere noluit? Perinde verò illud erat, quasi si dixisset, Regem habetis *Persecutorem atrocissimum* (coniugata enim, *persecutio & persecutor*) ille iam vobis, contra ius omne atque fas, edixit *Iuramentum* omni modo illicitum: potiùs autem quàm hoc *Iuramentum*, tam iniustum, ab eo *Persecutore* tanto, suscipiatis, atrociora vobis tormenta adhuc subeunda, etiam mors ipsa oppetenda est.

Aptum ergo *dilemma* illud, sed inepta tua responsio: nec enim damnari potuit *Iuramentum*, *Authore Iuramenti* cognito, & non damnato. Vidit ipse incommodè dictum hoc à se, & pœnituit. Quare *non propriè* dicit *damnâsse Regem*. Non *propriè damnâsse*? *Damnâsse* igitur. Vera ergo accusatio, & *peccasse Pontificem* fatetur. Et eo ipso loco tamen, quo fatetur, quasi correptus vertigine, *falsò* dicit *Apologiam clamare*, *Regem indictâ causâ condemnatum*, quo Re-

 gem,

gem, etſi non propriè, at *condemnatum* tamen dixerat.

Vide autem commentum aliud non illepidum. Cùm hoc, (quod dixi) à Pontifice, tanquam *iudice*, fieri minùs iuſtè cerneret, *forum* relinquit; & rus *in agrum* ſe recipit, ac Pontificem ſubitò, de *Iudice* tranſmutat in *Paſtorem*; vt quod facere non potuit vt *Iudex*, ſaltē faciat vt *Paſtor*, *qui à pabulo quod noxium eſt abſterret oues, terram tamen, nec vocare in ius, nec iudicare, nec punire ſolet, pabulum illud proferentem.* Quis ferat primò, quoad peccatum & peccati pœnam, cum *homine* reo *terram*, rem mutam, ſine omni vel reatu, vel ſenſu, conferri? Et quis neſcit tamen, quàm ſæpe *terra* hæc Pontifici pœnas dederit; quàm ſæpe *illi* malè tum dixerit, tum fecerit? Hoc tamen intereſt: quando hoc facere, quando punire vult Pontifex, *homines* tum erunt, quos æquum eſt luere; quando non libet facere, erunt *terra* tum & *agri*, quæ non eſt æquum vapulare. Ita & rei, nunc *agri* ſunt, nunc *homines*: & Pontifex ipſe, de *Paſtore*, *iudex*, de *iudice paſtor*, cùm ei viſum fuerit.

Sed & illud dicendum fuit; Si ſic voluit perſonam *Iudicis* exuere, cur non induit perſonam *viri boni* & beneuoli? Cur non, *quod boni mores poſtulabant, & conſuetudo Principum*, priùs ipſo cum *Rege* egit, quàm cum Regis *ſubditis*, *Regis* dico *ſubditis*, non *ſuis*? Inſolens id verbum, vt vllos hîc dicat *ſubditos ſuos*. Cur *illum* non priùs monuit, quàm *hos* abſterruit? Cur ποιμένα λαῶν, *paſtore populi* præterito, *populum* primò adijt?

Porrò autem & hîc, mali reſponſi malè ſibi conſcius, rem tentat iterum, iterúmque in eodem luto hæret. Sic enim ipſe ſibi obijcit. *Qui iuramentum reprehendit, ſanè reprehendit & illum qui illud iubet ſuſcipi.* Quid verò reſpondet? *Negari non poteſt, quin aliquo modo reprehenſio ad Regem pertineat*; id eſt nimirum, *negari non poteſt quin reprehendat.* Et tamen ecce alterum ſcotoma; qui hoc faſſus verbis hijs, verbis proximis putidam illam ſuam, & antè damnatam à ſeipſo diſtinctionem, tanquam non propriam, *rei* & *perſonæ*, reponit hîc denuo, ſub terminis tantùm alijs, *operis* & *hominis*; *operis, quod reprehenditur: hominis, qui in iudicium non vocatur: operis, quod non placet: hominis, qui iuridicè non damnatur.* Vbi ſi vrgeas; Regem *aliquo modo reprehenſum* (vt hîc iam dicit) negare non poterit.

poterit. Sic igitur, quod negare non poteſt, fateri non audet, & vbi ſit, neſcit, quaſi non curet, ſi interim illum Lector *ſenſu carere* putet, dum Pontifex modò *culpâ carere* poſsit.

Nec fœlici magis ſucceſſu, *accuſationem geminam* declinat. *Priorem, de Rege inter perſecutores numerato*; *non* (inquit) *abſolutè hoc fecit Pontifex: fecit* ergo. Ita iam, quod tu initio ludens dixiſti *inſolubile*; per te quidem, *ſic eſt*. Ter enim conatus es ſoluere: ter in eo luſiſti operam. Recognoſce enim hîc paululùm nugamenta tua. *Damnauit*, ſed *non propriè: reprehendit aliquo modo:* numerauit, ſed *non abſolutè*. Benè ſit tribus hijſce particulis; *aliquo modo, non propriè, non abſolutè*; abſque hijs foret, nullus fuiſſes. Tria verò hæc, ſi dentur cuiquam anniculo Sophiſtæ in *Papienſi* Scholâ, non dubium quin contemnet omnia ſtatim argumenta, tutus ſub hijs tanquam ſub *Aiacis* clypeo. Nunquam vrgebis, quin ſtatim dicturus ſit, Concedo, ſed *non propriè*, ſed *quodammodo*, ſed *non abſolutè*. Ita quicquid attuleris, eludet. Macte verò Dialecticâ (*Matthæe*) *tria* hæc in promptu habe; cum *tribus hijs*, nec te *Chryſippus* vicerit.

Repeto iam reſponſum tuum; *Numerauit* (ais) *quanquam non abſolutè*; *Non abſolutè* verò, *quia in Regis arbitrio, vellet neceſſare à iuramento obtrudendo, & Rex pacificus haberi, an ſæuire vellet in innocentes, & perſecutor ſanctorum martyrum nominari.* Itáne? *reliquit* hoc *in Regis arbitrio?* Scin' quomodo *reliquerit?* Audi ergo, &, ſi vlla tibi frons eſt, erubeſce. Annon diſertis verbis dicit in Breui; *cùm ſuſtinuiſſent antea, tribulationes & calamitates* (nimirum ſub Reginâ *Elizabethâ*) *omnia hoc tempore* (ſub Rege ſcilicet) *exacerbari magis?* Annon *grauiſsimis iam* (ſub Rege ſcilicet) *pœnis propoſitis compelli?* Annon *reſplendere hijs temporibus* (ſub Rege ſcilicet) *egregiam virtutem & fortitudinem in martyribus veſtris?* Quid verò? Annon apud te relata ſunt, *Martyr* & *Perſecutor*? Sine *perſecutore* non fiunt *Martyres*, nihilo magis ſanè, quàm filij ſine patre: túque adeo ipſe priùs duo hæc coniunxiſti, *Perſecutor martyrum*. Dic nunc igitur, ſi veſtri *Martyres* ſunt, annon Rex *perſecutor?* An hoc in arbitrio iam poſitum Regis, velit ne ſic *haberi, annon?* Nonne, habeatur neceſſe eſt pro *perſecutore*, ſi veſtri illi pro *martyribus* habeantur? Numquid non ille eſt, qui

qui *omnia hoc tempore exacerbat?* Numquid non ille est, qui *grauissimis pœnis propositis iam compellit?* Quis non miretur iam os illud, à quo, tam sine veritate, fide, fronte, affirmatur, in *Regis arbitrio positum, an velit Persecutor nominari?* Imò *posuit* rem totam Pontifex *arbiter* tuus, extra *Regis arbitrium*, Breui suo; túque infelix, Breue illud præfigi hîc curâsti, vt *tanquam sorex* tuo indicio petires. Nihil ibi in dubio: asseruntur, assertiuè ponuntur omnia, nec magis, *in Regis arbitrio reliquit, velítne persecutor*, quàm tu iam *in lectorum arbitrio reliquisti*, debeásne *Calumniator* appellari.

De *accusatione* verò *posteriore*, quòd prohibuit Iuramentum Pontifex, & prohibendo fecit vt subditi obedientiam Regi debitam non haberent; cùm nimis in aperto res foret, *fatetur prohibuisse*, sed protestando tamen; *non id facturum fuisse, neque Breuibus Apostolicis opus futurum, si solius fidelitatis esset, si nihil requireret aliud, nisi vt subiecti essent in ijs omnibus, quæ contra fidem Catholicam non essent, aut obedientiam Deo & Pontifici debitam. Fides* enim *Catholica* non sufficit iam, & *obedientia Deo debita*; nisi *Deo Pontifex* accedat: nam sine *Pontifice*, non satis si *Deo*. Incurreret certè in reprehensionem Pontificis, *soli Deo obedientia*, & opus erit *Breuibus*, vt populus de eâ (ne præstet) admoneatur, si *Deo* tantùm, & non *Pontifici*. Quòd si autem *Deo & Pontifici*, tum demum plena est; alioqui, *inuenta est minus habens*.

Breuibus autem *Apostolicis?* Quid hoc verbi est? Nam de *sede Apostolicâ*, quia fortè in eâ aliquando sedit qui Apostolus fuit, etsi eadem iam non sit, (vt de *Thesei* naue) ferre possumus. At *Breuia Apostolica* quis ferat, quæ nullo sensu sano quidem *Apostolica* dici possunt? Non enim, vt *sedes* olim illi *sessa* dum viueret: ita hæc olim illi *dictata*, dum in terris esset, & in scrinio aliquo *asseruata*, eximenda cùm opus esset, & (quasi Canonicæ Epistolæ) per orbem transmittenda. *Breuibus* dic *Papalibus*, dic *Pontificijs*, si voles; *Apostolicis* non damus, nisi *Apostolus* sit vnus aliquis de *duodecim* qui scripsit, nisi *Paulus* 5. *Apostolus* iam sit supernumerarius. Quòd si [a] *Paulus* 5. quid ni & *Paulus secundus*, qui fuit tamen (si *Genebrardo* vestro credimus) *osor virtutis & Literarum?* Nos *Paulum* vnum agnoscimus, sed sine *numero ordinali*, qui *secundum*

[a] Nota Chron. ad Paul. 2.

cundum non habuit, & de *Saulo Paulus* fuit, non de *Camillo*; cui *Tertius* amanuensis, non *Petrus Strozza*; qui se, *Paulum Apostolum* nominare ausus, vt *Epistolæ* eius meritò *Apostolicæ* dicantur, non (quod facit vester) qui se *Paulum Episcopum* scribit, vt illius *Breuia Episcopalia* dici debeant, non *Apostolica*. *Paulum* nouimus: ab illo si *Breue* habetis vllum, erit sanè *Apostolicum*. *Paulos* verò *secundos* & *quintos* nescimus, nec *Breuia* illorum, nec *Bullas* magis *Apostolicas* censemus, quàm *atramentum Apostolicum*, quo scribuntur, vel *plumbum Apostolicum*, quo obsignantur.

Redeo vnde digressus sum. *Nisi aliud quid, quàm fides & obedientia requisitum esset Iuramento, Pontifex haud vnquam reprehendisset*. Fauere enim Pontifices certum est *ijs omnibus, quæ contra fidem Catholicam, & obedientiam Deo & Pontifici debitam non sunt. Fauisse Clementem 8. & de obedientiâ Regi diligentissimè exhibendâ, non semel monuisse*. Quàm *fauerit Clemens* Regi nostro, quàm *clementer* cauerit *de præstandâ illi obedientiâ*, qui cum Catholicis egit, ne eo loco esset, quo *obedientia* illi præstari posset; appello *Breuia* illa *in cineres versa*, sed quæ tamen adhuc in exemplis suis *supersunt*. Vidit inuitus *Clemens*, quod noluit videre, *Breuia* illa sua non succedere: Aliâ rem aggressus est viâ; *Ad faciendum populo fucum*, quem Regem esse *noluit*, Regi iam (vellet nollet) facto, obsequi: omnes *voluit*, & huic rei *Breuia alia* transmisit. *O bonæ fidei Pontificem! Breuia* ad excludendum habet; *Breuia* habet ad obsequendum, & *Apostolica* vtraque. Sed *monuit Clemens de obedientiâ exhibendâ*. Quali autem *obedientiâ*. Nemo hoc melius nobis dixerit [a] *Domino tuo*, qui alicubi sic interpretatus *obedientiam*, quam *Gregorius Mauritio* exhibuit, nempe ex *necessitate*, ferreâ illâ necessitate, & *non debitâ, sed coactâ*. Proin, *coactam*, & non aliam fuisse *obedientiam*, quàm Tyrannis præstitit Ecclesia tota Primitiua. Ita scilicet *Clemens* vestros homines *obsequi* voluit. Quoúsque verò hoc? Quoúsque nimirum *adessent vires, Illius* eijciendi, cuius admittendi, aditum omnem interclusum voluit. Nec enim tam stolidi Pontifices sunt, vt consultum putent, nouo tumultu quotidie permiscere omnia, vnde ad Authores certa crux, vnde ad sectam totam perennis infamia redundare possit. Nolunt etiam Re-

[a] Recog. pag. 16

ges ipsos, ita in se suspiciosos reddere & vigiles. Aliquando *Breuibus obsequio plenis* demulcendi sunt, vt remittant de diligentiâ, atque eò facilius opprimantur. Interim Pontificis mentem, vestri tenent, & *voluntatem* (vt loquuntur) *interpretatiuam*. Sic enim, cùm de toto consilio suo, tollendi de medio Regis, referri vellent ad *Clementem 8.* alij quidam de Coniuratis, in nouissimâ hac pessimáque proditione, Caput Coniuratorum *Catisbeius* respondisse fertur, *Quorsum hoc? nihil opus certè: Ego verò* (inquit) *de Pontificis mente nullus dubito; quin, qui admissum noluit, eiectum velit; nec sublatum è medio agrè feret, quem exclusum initio cupiebat.* Et obtinuit, ne tum referrent: vsque adeo conscij hij homines, quid Pontifici in votis. Atque hæc fuit *Clementis* in Regem *clementia*.

Vt verò fauisse *Clementem* antè, ita non minùs nunc fauere hunc ipsum *Paulum quintum*, virtutum reliquarum in *Clemente*, atque inter reliquas *fauoris* huius successorem. De quo mirum inprimis, quòd *qui obedientiam Regi diligenter exhiberi non semel monuit*, is *obedientiam Regi diligenter exhibiberi non semel vetuit*. De *priore illo*, tibi credimus: De *posteriore hoc*, duo ipsa *Breuia* loquuntur. Idemne, obsecro, *Paulus quintus?* Idemne, qui à *seditionibus* omnino *cauere* monuit; Et qui omnino *cauere* monet *ne iurent* tamen *se cauturos?* Aut numquid diuisus est *Paulus quintus?* Non: sed eodem spiritu aguntur vterque, *Clemens* & ille. *Clementina* fuerunt *literæ binæ*: Binæ vnæ, vt *Regem non agnoscerent*; binæ alteræ, vt *Regi obsequerentur*. *Pauliana* iam *Breuia* nihilo meliora. Duo *Breuia*, vt velint *præstare*: Duo alia, ne velint *iurare* obedientiam. Annon hij Satyri Satiram merentur?

De *Paulo* verò *quinto*, operæ precium puto aduertere, quòd Regi exhiberi monet *obedientiam quæ Regibus, secundum scripturas Sanctas, debetur*. Vbi, si vera narrat *Matthæus*, bona spes est. Nouum enim hoc in Pontifice, vt *Scripturas Sanctas*, regulam figat *obedientiæ*. Nos verò *regulam hanc* agnoscimus, atque ad eandem, eam quoque non minùs quàm sibi Pontifex quærit, *obedientiam* expendi volumus. Denique omnia, quæ inter nos vltrò, citróque controuersa sunt, *ad hoc examen*

reuocari,

reuocari, *secundùm scripturas Sanctas*: secundùm eas quæ *debentur*, dentur; quæ *non debentur*, ne nominentur quidem. Sed ô illas *Scripturas Sanctas*: vt semel eas videre contingat, secundùm quas hæ *Regum depositiones, regnorum dispositiones, inuasiones, machinationes* sint licitæ: Valde vereor, vt contingat. Interim dabit mihi veniam *Matthæus*, si reuocem illi subinde in memoriam, Pontificium hoc *de exhibendâ obedientiâ, non aliâ, quàm quæ secundùm Scripturas Sanctas debetur.* Iam verò cùm *secundùm Scripturas Sanctas* certè Regi debeatur, illum *non deponere, non consentire deponenti, non de regno disponenti, non inuadenti, non tumultus seminanti*: Cur non sinit sic *profiteri?* Quia *Catholicæ fidei abnegatio petitur*, id est, quia *principium petitur*; vides enim quò reuoluimur. Nos verò contrà, non *abnegari*. *Potestatem* enim illam priuatiuam in Principes, quæ negatur *sola*, non esse *de fide Catholicâ*: *Potestatem ligandi, vel soluendi*, quod B. *Petrus*, vel ligaret vel solueret, esse *de fide*, sed non *negari*.

Hîc *Tortus* de suo addit, *monuisse Pontificem vt cauerent insidias Catholici sui, & Apostolici dicti memores essent, Obedire oportet Deo, magis quàm hominibus*: & hoc tamen in *Breui* non legitur. Credo vt aliquid diceret, *secundùm Scripturas Sanctas*. Quorsum enim hæc; nisi *Torto* detur, fidiculas suas hîc adhibere, *magis Deo, id est, Pontifici, quàm hominibus, id est, Regibus.* Accidit tamen hîc sanè incommodè. Nos enim verba hæc, ex Apostoli ipsius, tum vsu, tum sensu, contra vos atque *Pontificem* ipsum militare dicimus. Nam verba hæc *Pontificibus ipsis* in os dicta sunt ab Apostolo, *non Regibus*. Hij *homines*, de quibus sic Apostolus, *magis quàm hominibus*, *Pontifices* erant ipsi: vt Apostolicus sensus sit genuinus & natiuus, *Oportet Deo magis obedire quàm Pontificibus*: vt non fuerit in sacris literis sententia vlla, quæ proposito hîc tuo, minùs quadrare, quæ in te, tuíque similes Pontificios, fortiùs retorqueri posset, quàm eadem hæc quam attulisti. *Petri est*; & contra vos est. Nec enim vllum est sub cœlo genus hominum, qui *hominibus* plus tribuant, priùs auscultent, magis obediant, quàm *Pontificij & Papistæ*; *Pontificij* ideò dicti, quia *Pontifici*, *Papistæ*, ideò, quia *Papæ* tantum tribuant, vt toti ab eo pendeant, illius *Breuia*, pro oraculis, sanctiones quasi *Scripturas sanctas*, imò illius

dispensationes, contra Dei leges, contra *Scripturas Sanctas* suscipiant. Noli verò dehinc loco huic manum admoliri, vita quantum potes, quem nescio quis hic tibi malus Genius suggessit. Qui *homines* quos *Papas* dicitis (homines enim sunt) *ad Dei locum* vsque, si non *supra Deum*, extulistis, vobis nihil posthæc si sapitis, cum hac sententiâ, *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus*.

AGedum iam de *Bullâ Pij quinti*, & *Breuibus Pauli quinti* videamus, quàm conueniant inter se vel quantum etiam intersit, *Pij quinti*, ab obedientiâ Reginæ, *absoluentis*; *Pauli quinti*, ne obedientiam Regi præstent, *prohibentis*. Rhetorem hîc agit *Matthæus* (est enim Rhetor non malus.) Cùm enim in more positum sit, institutóque Rhetorum, vt *reticere* se multa dicant, quæ tamen si iubeas dicere, *dicenda non habent*: hoc te Rhetoricæ suæ flosculo (Lector) hîc beare vult *Matthæus*. *Omittere* enim *se* dicit, quod si permittas eloqui, *mutus sit* illicò, & tamen ex eo laudem captat, quasi pij inimici, quòd ad illa non *respondeat*, quæ nunquam dicta, quæ nulla ibi erant, ad quæ posset *respondere*. Quæ enim *conuitia* illa sunt, vel *blasphemiæ* in *Pium quintum*? Dixit Apologia, *Pium, etsi minas spirâsset, & ruinam Reginæ meditatus esset, etsi atrociter in eam sæuijsset, & anathemate fulminâsset*; nihil tamen in eam statuisse grauius, quàm in Regem iam nostrum *Paulus* Pontifex. Quis hoc negat? Ex ipsâ *Bullâ* ebulliunt omnia hæc. Lege verò *Bullam*, leges, *minantem, ruinam meditantem, atrociter sæuientem, anathemate fulminantem*. Quid tu? Negas *minari* interdum Pontifices & *sæuire*; & cùm *fulmina* sua vibrant, *ruinam meditari*? *Seuera* tu hæc paulò pòst vocas (& in hoc *facta* fateris) nos verò qui sensimus, *sæua* etiam, citra tamen *blasphemiam*: quando & *sæuijsse* leguntur Pontifices, & leui de causâ; nec tam placidæ naturæ fertur fuisse *Pius*, vt in eum *sæuitia* non caderet.

[a] In vita Pij 5. de Angl.

Vis *Gabutium* audire? vis *Catenam*, homines vestros? *Cogitabat* (inquit [a] *Gabutius*) *Pius Reginam, illam malorum sentinam, seu, vt appellabat ipse, flagitiorum seruam* (verba enim hæc Bullæ sunt) *de medio tollere*. *De medio tollere*, annon *sæuum* apud te? Vis etiam aliud? *Pius omni studio faciendum curauit, vt per Rodulphum suum, incolarum animos ad Elizabethæ perditionem* (de-

 strucți-

ſtructionem, ait [b] *Catena) rebellione factâ commoueret. Perditio, destructio*, & *rebellio*, nec hæc tibi *ſæua* videntur? *Ad hanc conſpirationem augendam & confirmandam, extrema remedia Pius adhibere conſtituit. Extrema remedia*, annon *atrox* verbum? *Pius non modò quicquid poſſet collaturum auxilij, ſed etiam ſi opus fuiſſet, vt optimè de Christianâ Repub. mereretur*, [c] *præſentem ſe affuturum, cunctaq; ſedis Apoſtolicæ vectigalia, item ſacros calices, cruces, atque adeo veſtimenta ſua ad id oppignoraturum pollicebatur.* Annon *ſæuus* hic homo, qui ipſe *præſens* rebellioni, & perditioni *intereſſe* vult, qui ad eam rem *calices* & *cruces*, qui ſuas ipſius *veſtes* oppignorat, *vt Reginæ malè ſit?* Nam de anathemate ſcio non dubitas: *Omni Regni iure & titulo ſpoliatam decernit, & declarat. Subditos à Sacramento ſolutos*; *etiam anathemate ijs propoſito, qui ei deinceps paruiſſent*, [d] *etiam conceſſione factâ, vt quiuis contra eam poſſit inſurgere.* Et vbi iam *conuitia* illa? quæ, pergratam rem nobis faceres, ſi *promeres* potiùs quàm *celares*. Moneo verò Lectorem hîc, de inhoneſto hoc *Matthæi*, & peſsimo iſtorum hominum more *inſinuandi*; per quem, ſiquis parum attentus ſit, fraus illi fiat, vt inaudita neſcio quæ *conuitia* ibi congeſta putet, vbi nihil *conuitij*, nedum *blaſphemiæ*, vbi minus etiam dicitur, quàm res poſtulat.

[b] Pag. 113.

[c] Caten. pag. 117.

[d] Caten. pag. 114.

Rem verò hîc aſtutè gerit, vt quæ ſibi ipſi meritò obijcienda videat, prior ipſe obijciat. Vtinam verò, ſi animus eſt illi *conuitia omittere*, non hæc Apologiæ, quæ nuſquam ibi ſunt, ſed *ſua omittat*. Cùm enim per Apologiam integram, duo tantùm loca ſint, quæ ad *falſi* vel vmbram pertrahi poſsint, quæ tamen ipſa, aſperiùs multo *Latinè* ſonant quàm *Anglicè* (nec enim ægrè feret, ſi iam inter Editiones has duas diſtinguimus, quod ipſe nos facere docuit) cùm duo (inquam) ſint tantùm pro duobus hijs modò, nec tamen tam vel aſperis vel directis; vix vllum concludit locum, in quo non *falſum* ſub ipſis terminis: etiam *mendacij* ſæpe vox ipſa, tam odioſa. Cuius liber ipſe, farrago tota *conuitiorum* & *ſcommatum*, qualia nimirum hæc: *Nolo in nugis tempus conſumere: Poſt varias nugas atque calumnias: Mitto lutulentam orationem: More ſuo calumniatorem ſe prodere: Aduerſarium ſatis fœliciter progredi: Mirum eſt quâ fronte Author Apologiæ.* Quid quòd homo procax & contumelioſus, non Regiâ Maieſtate, non ipſâ ipſius perſonâ abſti-

 neat?

neat? Quem ausus sine omni circumlocutione, ore spurco, conferre cum *Iuliano Apostatâ*: Quem *Christianum* disertis verbis *pernegare*, IACOBVS *non est Christianus*: Quem petulanter affirmare, *Puritanum in Scotiâ fuisse, & Protestantes persecutum; hîc iam in Angliâ, vice versâ, Protestantem factum, & Puritanos persequi.* Tum nec *titulos* illi adhibere, de more, de iure debitos, sed interdum IACOBVM *modò* (quasi quidam de plebe esset) interdum *Regem Anglorum*, de quo antè mihi monitus. Denique quod Apologiæ vitio vertit, id ipse præstat strenuè, magnus scilicet *conuitiorum* artifex, & quasi ex *Scioppij* scholâ formatus: qui proin benè faciat, si ipse sibi suum illud accommodet, quòd *conuitia solis conuitiantibus nocent. Nocent* certè *soli*; proin tu posthæc illa *omitte*, non *Apologia* quidem, sed *tua*.

Pòst autem prolixè rem repetit, vt doceat, multùm inter duos hos *Quintos* interesse, *Pium*, & *Paulum*: *Seuerus* nempe *Pius, sed non sine iustâ causâ*, (& causam tamen reticet) & pro illâ suâ seuerâ pietate, *Reginam antè à iure & generatim excommunicatam, iterum nominatim excommunicauit, & excommunicatam declarauit. Subditos pòst ab eius obedientiâ iustissimè absoluit & liberauit.* Hæc *Seuerus* ille *Pius*. *Lenis* autem *Paulus* (medicus iam factus, & medicinam profiteri volens) *priùs mitia quadam medicamenta experiri voluit*, an laborantem graui morbo Regem curarent: *nec iudicauit hoc tempore expedire*, (quid alio pòst iudicaturus, incertum) *vt Rex* (quamuis & ipse forsan à iure, & generatim quoque excommunicatus) *nominatim excommunicari, & pro excommunicato publicè declarari debeat: Nec soluit obedientia subditos* (sed nec ligari sinit iureiurando) *nec vetuit, vt Regi præstent tam in temporalibus*, sed vetuit tamen iurare se eam præstituros. En *Paulus Pio* quid præstet; En quantum intersit, inter *lenitatem Pauli*, & *seueritatem Pij*. Sed noster tamen adhuc scrupulus manet. Discrimen enim quærimus, inter *soluentem* ab obedientiâ subditos, (quod fecit durus ille *Demea*) & (quod fecit nouus iste *Mitio*) subditos, vt eâ se astringant *non ferentem*: inter *solutum* ab obedientiâ subditum, & ea se obligare *recusantem*; hoc est, inter eum qui *solutus* sit, & eum qui *ligari nolit*. Soluebat *Pius*; ô *cauterium*, ô *cruenta incisio*! non sinit ligari

Paulus;

Paulus; ô *dulce pharmacum*, ô *lenis olei infusio!*

Sed tamen audi (*Matthae*) si hoc illud tuum sit tam *lene medicamentum*, vt interdicat subditis, ne sub *interuentu sacramenti* Regi parêre velint, vnde necesse est sequatur, vel, vt sinat se contemni Rex, & leges suas; vel, cum distinguere nequeat inter eos de subditis qui religionem vestram profitentur, & animo non malo sunt; & eos qui sub eius prætextu, animo maligno sunt & perfido, vt sic *incesto addat integrum*: atque ita rigoris nomine, malè apud exteras gentes audiat, quæ quidem religioni *Romanæ* fauent: tum vt seueritate illâ promiscuâ (quia iuramento locus non est) suorum quoque, alioqui non malè affectos animos in se concitet: si hoc (inquam) illud est *medicamentum lene* quod laudas; non aliam equidem *lenitatem* video, quàm qualis olim erat *cicuta*, quæ damnatis porrigi solebat ebibenda: noxia enim certè, & perniciosa, tum Regi, tum Reipublicæ. Quamobrem si *medicus* esse vult, & vult *lenis* esse, (vt dicis) petimus ab eo porrò *medicinam* adhuc paulò magis temperatam, vt *vnguentum* etiam *mollius* illinat, *pharmacum* adhuc *dulcius* propinet. Nam hoc quod dat, nescio quàm tibi *dulce*; hoc scio, vt æger est, parum *salubre* est.

Etiámne, putas, haberi sibi gratias *expectat* Pontifex, quòd *non iudicauit hoc tempore expedire, vt Rex nominatim excõmunicetur, vel excõmunicatus publicè declaretur? Expectet* verò; nam quod hoc tempore *non iudicauit*, potest alio *iudicare*; *Experiri vult* paulum, vt dicis; quare, ni filium se præbeat dicto audientem, & morigerum, lubrico in loco versatur, à Papâ, si non *hoc tempore*, at *alio* corrigendus. Tum fortè, *lenis Paulus* fiet *seuerus Pius*. En, quo loco sit Noster; en, quo Reges reliqui per orbem Christianum; quàm non certi de fide suorum. *Ex hypothesi* tantùm subditos habent fideles, atque eâ lege, dum ne eos Papa in ius vocet. *Soluendos* enim habent ab omni obedientiâ subditos, si non *hoc* iam, at *alio* vllo *tempore*, quocunque Papa *iudex eorum competens*, id *iudicet expedire*. *Non iudicauit hoc tempore expedire*. Verba sanè sunt attentione digna; Regum autem præcipuè, Regis cuiusque pro se, eorum verò præcipuè, quorum propitium hunc sibi *iudicem* habere præcipuè interest. *Noster* enim exceptionem fori habet, & vt

vt habet, ita semper habiturus est: *Papam* scilicet pro *non iudice*, vt frustra hic ponatur terretrum illud, *non hoc tempore:* Nam *quocunque tempore* hoc *expedire iudicet*, fortasse illi *expediet non iudicasse*.

Sed tamen & illud percontari iuuat à *Matthæo*, quorsum tam longos logos habeat *de excommunicato à iure & generatim, & de excommunicato nominatim: de excommunicato tantùm, & de excommunicato, & sic publicè declarato?* An hoc ad rem? An totus hic processus necessarius? At rident hæc, & irrident *Rossæus, Philopater, Didymus*, & alij, *quorum nota vobis vera nomina*. Illis verò quæ *à iure est generatim* sufficit, nec expectandam tuam hanc, quam dicis *nominatim, & à Pontifice*. Citra & *illam*, & *Pontificem*, posse Reges exeui, palam scripserunt. *Excommunicatio* sola sat est, quæ *à iure* est, vt nec *Pio* nec *Paulo* opus sit. Et quidem mirum, si sic (vt ais) iuridicè affectus est Papa *Paulus*; quòd hos homines non compescat, quòd coram *Collegio Inquisitorum* sisti non iubeat: si sic pergant vtique, & Reges abdicent, *Pontifice non vocato*, superuacuum reddent totum Curiæ processum; pòst fortè & Curiam; & Pontificem quoque ipsum superuacuum denique; videat verò, an quæstionem haberi de illis, *non iudicet hoc tempore expedire*.

QVod verò dicis, *non vetuisse Papam, vt Regi obedientia in temporalibus* præstaretur: cùm nihil ibi in Iuramento insit, nisi de *temporalibus*; cur illud vetat? cur illud non sinit suscipi? Recipis ergo te tandem ad murum illum tuum ahæneum, & dicis, *non prohiberi iuramentum fidelitatis cuiuscunque*. En iam, vt inseruit, *cuiuscunque*. Non *cuiuscunque?* Cuius igitur? *Solius fidelitatis, quæ cum infidelitate coniuncta est*. Mira verò rerum oppositarum coniunctio: quasi si pietatem coniungas cum impietate, cum luce tenebras; sed quæ hæc *fidelis infidelitas?* Hîc tu missam facis *fidem Caholicam in Deum*, quæ te hactenus detinuit, & *fidelitati* iam inhæres in *Principem* nescio quem, certum autem est, non *Deum*. Comminisceris autem nobis *principatus* duos; *terrenum*, & *spiritualem*: *terrenum* sub *Principe terreno*, id est, Rege; *Spiritualem*, sub *Principe spirituali*, id est, Papâ. *Fidelitatem* vtrique huic *Principi* deberi vis, *Iuramentum fidelitatis* vtrique præstandum;

Cauendum ne *iuramentum iuramento* elidatur, id fieri in *Regio*, rectè ergo interdici.

Expedi primùm, cur *terreno, ſpiritualem* opponas? *Cæleſtem* oportuit. Videbas *cæleſtem Principem* tuũ non eſſe, ſed ſublunarem: maluiſti incidere in τὸ ἄκυρον, quàm in τὸ ἄτοπον, & *ſpiritualẽ* potiùs dicere, quãuis impropriè; quàm *cæleſtem*, abſurdè. Laudo verecundiam; nam [a] *Salmeron* non eſt veritus *Proregem cæleſtem nuncupare:* Frons enim durior ſolet eſſe Ieſuitis. Vbi de *cæleſti* dixiſti, dic etiam de *Principatu* hoc nouo. Nouus enim eſt, necdum nobis ſatis intellectus, credo autem nec vobis ipſis. *Papatus* certè non eſt. *Papa* enim non facit multa, quæ tamen *Princeps ſpiritualis* facit. *Papa*, vt *Papa*, *Reges non deponit*; id ſcilicet ſpirituali huic *Principi* reſeruatum, qui nuper emerſit: calet enim adhuc ab incude Domini tui, & eſt certè *Eleuſinium* ſacrum hoc de *Principe* iſtò nouo, illi cum paucis cognitum. Tum dicendum tibi, vbi loci, aut in quibus ſcripturæ Sanctæ verbis fundatus ſit *Principatus* hic Meminiſti enim obedientiam præſtandam nobis, *ſecundùm ſcripturas ſanctas*. Vetera autem verba ad eam non ſatis: in illis *Papatus*, vt Papatus creatur; Sublimiora aliqua, alicunde vobis quærenda ſunt, vt *Principatus* hic ſubſtet. In Matth. 16.

Sed & explica nobis adhuc aliud. Cùm dicas *Vicarium eſſe Chriſti hunc Principem*, quomodo id ſibi conſtet: cùm *vicarius Principis* non ſoleat dici *Princeps*, non magis quàm *Prorex Salmeronis Rex* dicendus? Chriſtus autem *Rex* ille ſit, & *Princeps* noſter *ſpiritualis*, cui iam in baptiſmo fidem ſacramento aſtrinximus, vt iam *vicario* eius non oporteat. *Regi* enim ipſi ſolet fides iurari, non *Proregi* vel *Vicario*; Gentium hoc iura non ſinunt. Quare malè omnino mentio tibi facta de *Vicario*, cùm volebas *Principem* creare. At etiam ei (quem tu vis) *Principi* vt præſtetur iuramentum à populis, inauditum antehac; *Terreno* quidem præſtatur, vbi non Gentium? At *tuo illi* hactenus haud quiſquam præſtitit, niſi fortè qui de Clero, & promoti. Quî ergo abiuret quis, quod illi nuſquam iuratum eſt? Poſtremò, quod tu ſperas, propulſabo facilè. Non enim iurabit quiſquam *ſe illi non paritur ũ in ijs, quæ propriè ad ipſius pertinent poteſtatem.* Nam *ſpiritualia* propriè *ad ipſius poteſtatem ſpectant* qui vult eluere *Princeps ſpiritualis:* At hic

nulla *de spiritualibus* mentio. *Spirituale* ius illi non læditur, securus sit; saluti tantùm *terreni Principis*, Iuramento prospectum est.

Sic habet *Breue*. *Vobis ex verbis ipsis perspicuum esse debet, quòd huiusmodi iuramentum saluâ fide Catholicâ, & salute animarum vestrarum, præstari non potest.* *Perspicuum esse* dicit *ex verbis*, nec *verba* tamen illa indicat: *multa continere* affirmat, nec vnum tamen no at *de multis* Quæritur, annon *parum prudenter* hoc factum à Papâ *Paulo*, annon *minùs iustè?* Non vult desiderari vel *prudentiam* in Pontifice suo *Matthaeus* vel *iustitiam*; non cadunt in illum *incuria*, vel *iniuria*. Defensionem ergo meditatur. Nec ita tamen festinat *Matthaeus*, aut zelo rapitur, ad Pontificis defensionem, vt non impingat ad *nugas*, ad verba *impropria* adhærescat, & *lutum* hîc *interpretis* transire non possit. Mitte verò *interpretem*; de *Libro* dic, siquid habes. Fuit ibi culpa leuis *interpretis*: Quid *interpres* ad *librum?* Eóne peccauit *liber*, quòd *interpretem* nactus fortè minùs commodum? Fortè & satis, si & tu commodus *interpres*. Et tamen, vt quod verum est eloquar, (nam de vero, seuerè edixit nobis Rex ipse, ne quid de eo quis celare audeat) tantillum temporis interfuit inter Editionem hanc & illam, Anglicam & Latinam, vt non posset, qui *interpres* fuit, per otium omnia ad normam exigere, & enixè voculas omnes perscrutari, quò vel lectori *Torto* placere posset. Id modò pensi habuit, vt sensum verè redderet, fidelis magis quàm curiosus interpres. Nec erat id initio consilium, vt Latinè quicquam ederetur. Quare enim? Cùm iusiurandum ipsum, cùm Edictum de iureiurando, *Anglice* conceptum, vtpote *Anglis* hominibus, & solis illis promulgatum: Etiam *Breuia* ipsa Pontificis vtcunque Latinè missa, ad *Anglos* tamen missa, quos etiam illa solos spectabant: Quid hîc vllâ opus Apologiâ Latinâ? Nescio tamen quomodo factum, cùm hoc ab initio propositum non esset, visum pòst quibusdam factu opus; quò totius causæ processus, quò Regis iustitia Orbi Christiano innotesceret; ex eo festinatum est, vt Editionem Anglicam, Latina quamprimùm subsequeretur Inde adeo factum, vt properaret interpres; qui si tempus sit, & si eò velit incumbere, polire potest quæ scribit, vt nemo *Papiæ* magis luculentè.

luculentè. Et vbi tamen *lutum* illud sit, quod te tam malè habet, non facilè conijciat quis; aut quæ illa vocum *improprietas*, quam non libet discutere. Lector verò, qui nimis tibi familiarem iam nouit, *reticentiam*, nec vllam ibi *improprietatem* vocum esse, quam discutere possis, nec *lutum* vllum, quod excutere, facilè suspicetur, sed quòd more tuo, vbi *luti* nihil est, *lutum* tamen te dicis transilire.

Videamus iam de Pontificis prudentiâ. Ad æquissimum Apologiæ postulatum, si refutare nollet, *saltem indicaret*, quid illud esset in Iuramento quòd sibi tantopere displiceret; vide tu hîc quàm lutulentè respondeas; *Non fuisse Pontificis propositum, non necesse illi fuisse, vt librum refutationis conscriberet, Philosophorum more, argumentis, varijs ex locis petitis.* Et quis hoc postulauit, *de libro Philosophorum more*, aut *tanta argumentorum varietate*, quantam tu prædicas? Quasi vel in Epistolâ ipsâ adeo hoc illi operosum fuisset, *indicare paucis*, & digitum ad locos intendere, quibus peccabat illi Iuramentum. Poterat verò, si ita illi visum, præstare hoc, nec epistolæ tamen modum excedere. Esset enim *imprudentiæ summæ*, quam tu tamen omni conatu remouere hîc conaris à Pontifice, si vel existimaret non posse se *indicare*, quid minùs sibi placeat, nisi scripto libro integro. De actione quidem, (inquam) si constet iniquam esse, nihil opus eam notare: sed vbi agenti videtur æqua, ne id quidem iniquum videri solet, quâ parte iniquum sit, quâue ratione, *indicare* paucis. Et hoc quotidie fit in Regum Edictis, nec ex eo tamen *Philosophi* fiunt, aut *Philosophorum more libros conscribunt.* At in Pontificis hoc non fit; alius Curiæ *Romanæ* stylus est; id querimur, quòd se ad tantæ magnitudinis instar emicuisse, vel extumuisse potiùs censeat Pontifex, vt nec charitatis lege, nec vel æquo & bono teneri se putet. Æquum enim certè; & eò vsque condescendere, à charitatis regulâ non alienum, *aliquam* saltem vt *rationem redderet*, cur vnâ liturâ ita simul totum obduxerit. Eo magis, quòd Regi in animo (quod & ego ex ore audiui ipsius sanctissimè id asserentis) vel *delere* ex eo, vel certe *mollire in eo*, si coniecturâ modò posset assequi, phrasin ibi vllam esse, vllam clausulam, vnde iusta metus causa vestris hominibus; dum id tamen capiti ipsi

Iuramenti de fidelitate fraudi ne foret.

Sed dic etiam hoc, *Epistolæ* ne *Pontificis, vicem Edicti repræsentant*, & vestrósne semper obligant? Scis ipse, non obligare; *Edicti vim* non habere; Breuia tantùm esse, & vada; à pedite tutò transmeari posse: vt si quantum posint, velint Catholici tui, posint si velint, iusiurandum etiam iurare, ni maior quàm Epistolæ authoritas superuenerit. Quodsi recusent, ex aliâ id causâ fieri, quàm Epistolâ, aut certè Epistolæ ab ijs vim ignorari, quæ, vt de astris dicitur, *inclinat, non necessitat*. Etiam, si vel Bulla foret; at & peti potest, & concedi solet *facultas* eius *explicandæ*, sic *vt non obliget*, nisi cùm Pontifici visum *facultatem* reuocare. Sed clandestinum hoc mysterium, nec temerè vulgandum: Non enim omnibus hoc datum, at quibusdam certè.

Quòd enim benignitatem hîc Regis respuis, nec *partem* vllam *iuramenti circumduci* vis, sed quasi ex tripode (consulto primùm, vt puto, Pontifice) *totum deleri* iubes, (*non enim particulam eius aliquam, quin substantiam ipsam iuramenti, scopumq; adeo ipsum & finem penitus displicere:* in eo biliosè nimis & proteruè; at alicubi vrbanior aliquanto es. Ibi enim *maximâ tantùm ex parte*, non vt hîc, *ex totâ substantiâ*; & *vndecim modò* ibi, non *omnes quatuordecim reijcis*; ibi, præterquam quòd mētio facta *de Excommunicatione*, & aliquo modo *tacta* in eo *potestas Pontificis*; cætera non malum Iuramentum aiebas: hîc tanta peccati vis, vt deleat *substantiam* etiam ipsam Iuramenti, quod tamē in Scholis peccatum non facit. At *substantia* quidem eius, detestatio proditionis in *deponendo Rege, disponendo de regnis, inuadendo, arma gerendo, tumultus concitando, vim afferendo*. Caue enim putes Papam, aut potestatem eius, *substantiam* esse hîc: Nam si sit, inhærent illi accidentia pessima. *Accidens ille* quidem est iuramento; *substantia* autem, proditionis eiuratio. Quod nisi Papa se interdum negotijs hujsce immisceret, nec *nomen* ibi *Papæ*, nec *mentio* vlla fuisset. *Indirectè* hîc potestas eius interuenit, quemadmodum & potestas ipsa illi conuenit *indirectè*: *Scopus* autem & *finis* eius, Regis salus, Regni pax. Illa (quæ modò dixi) *media* sunt, hic autem *finis*. Et hæccine *media*, hic *finis* Pontifici displicet? Nam de *scopo* nunquam dabimus, vt *Papiensi*, vt Papistæ, vt Papæ ipsi

notior

notior ſit, quàm legislatori ipſi, qui Dei virtute in viuis eſt, & de legis ſuæ ſcopo, atque intentione optimè teſtari poteſt. Ei, par eſt, credamus de intentione ſuâ, & hoc leges ipſæ, æquiſſimum ſemper cenſuerunt. Quanquam quæ *ex proditione* nata lex eſt, res ipſa loquitur, quòd *contra proditionem* deſtinata fuerit. Verùm etſi *proteruè* tu in hoc, *directè* tamen; cùm ipſam dicis Iuramenti *ſubſtantiam* Pontifici non probari, *ſcopúmque* adeo, quò verba omnia *diriguntur*; *Diriguntur* autem eò, vt ſimplex ſit ſubditorum, & per ſe conſtans obedientia. Id Papæ non probatur, (vt dicis) qui ſcilicet *abſolutam* non vult *obedientiam*, quæ ad Reges eſt; ſed ex *Hypotheſi*, & conditionalem, nec *ſimplicem*, ſed *relatam* ad *aliquid*, ad *aliquem*, vt conditio ſit illis regnandi, *ſi probent* ſe; vt perſona *cui probent*, ſit ipſe ille Pontifex. Ita enim paulò ſuprà, *Principem ſpiritualem* feciſti & *terrenum*: *Spiritualem* autem, *Categoricum*, *terrenum*, *ex hypotheſi*, cui nulla obedientia deberi, nullum iuramentum præſtari debeat, niſi annexa illi conditio hæc, tantiſper dum probetur *Categorico* illi, *ſpirituali*, *nuper erecto Principi*; nec ſine conditione hac, ſubſtet iuſiurandum vllum, ſed ſine eâ ſemper vobis aberret à ſcopo.

Sed tu tamen in hoc magis probandus, quàm ille alter *Tortus Anglicanus*: ſpem nobis facit homo ille ineptus, *ſatis Pontifici fore*, ſi id modò conſtaret ei, Regem ita animum habere, *vt ſi quam ibi particulam Pontifex culpare poſſet, mutare vellet.* Ille autem eſt homo, neſcio quis, nihili: tibi, qui Cardinali tanto à ſacellis es, magis credendum eſt, qui *niſi tranſubſtantietur Iuramentum*, apertè dicis Pontifici non placiturum. Sed etſi nota magis *Domino* tuo mens Pontificis, & per eum tibi: tamen quid tibi in mentem venit, vt cùm *ſperare* iubeat Apologia *de mutandis* etiam in Iuramento (ſi cui bono foret) particulis quibuſdam; tu contrà, de eo prorſus *deſperare* iubeas? Non hoc tibi reuelare potuit vel Pontifex ipſe, qui *corda hominum non nouit*, qui *corda Regum in manu non habet.* Nimis ergo hoc temerè abs te dictum, nunquam hanc Regi mentem fuiſſe, *nunquam facturum fuiſſe* quod diceret: Vide autem quàm fragili ratione, quia *nihil mutauit in Iuramento Henrici octaui*, fragili ſanè, ab *alieno* facto, ad *ſuum*. Fortè enim *in alieno*, à ſe non edito, nec authoritate ſuâ, edito ante

 tot

totannos, per tot iam annos recepto, hoc non faceret. At *in suo* faceret, quod ipse nuper curâsset edendum, & in quo solo, ipsius authoritas interuenisset; faceret certè si diceret, cui tam facile hoc facere, quàm dicere. Quare & tu hîc nimis importunus interueniss, qui vbi nihil opus, adigis *ad desperationem* homines tuos, & quod in procliui erat vt fieret, vt *aspera* mutarentur *in plana*, *dura in mollia*, id tu impedis, cúmque dicas ferri ab illis tuis *onus importabile*, *Pharisæum* te præbes, nec vis illud vel *vno digito leuare*.

Nec hoc tibi visum satis, nisi & admisceres etiam *de Puritanis, etiam illos abhorrere à Iuramento Primatus.* Quid? numquid & *Tortus* inter *Puritanos?* An & vos iam amici illis, illi vobis, inter quos idem velle & nolle? *Atque idem iungat vulpes?* Quis non *Torto* de *illis*, iam *suis*; Quis non *illis* de *Torto*, iam *suo* gratuletur? Sed in hoc tamen, aut tu certè falleris, aut illi nos fallunt; cùm & suscipiant vltrò Iuramentum hoc, & professi sint sæpe, idque editis à se libris, calumniam esse hanc meram, nec se Iuramentum illud vnquã detrectâsse. Quodsi illis scrupulus fuit vnquam, *de voce* fuit, *de re* non fuit. *Caput Ecclesiæ* cùm de CHRISTO dicatur, titulus ille magis augustus videbatur, quam vt mortali cuiquam tribui posset. Ita *de titulo* hæsere aliquandiu, iam non hærent: *De re* autem ipsâ, de authoritate Regiâ prolixè semper professi sunt. Sin intus apud se secus sentiant, & æquiuocè vobiscum respondeant; non certè tanti apud nos sunt, vt valdè referre putemus, si quomodo olim *Herodes* & *Pilatus* ad interitum *Christi Domini*: ita vos inter vos, in præiudicium Regis (qui *Christus est Domini*) conspiretis; tu vt Pontifici tuo, illi vt Presbyterio suo, *primam atque summam authoritatem* diripiatis: Vtérque in Reges iniuriosi ex æquo, qui *authoritatem illis suam*, quam vos sub lege habuisse non negatis, nec sub Euangelio exuere iussos, detractam vultis.

Sed & illud etiam quod ais, *Iuramentum Primatus*, *Regem sub pœnâ capitis suscipi iussisse à quoquam*, apertè falsum est. Nostri homines illud indies suscipiunt, illis defertur: At vestrûm adhuc nemo suscipere iussus, *sub pœnâ capitali*; imò nec omninò iussus suscipere, nisi quis mutâsse se in opinione professus, vltrò illud sibi deferri postulârit.

Tum

Tum denique, cùm vindicare vis Pontificem iterum à secundâ notâ *iniustitiæ* in Catholicos suos, secundò iam *desperare* te dicis *facturum Regem*, quod *diceret*: atque hîc tibi responsio vere ducitur à *desperatis*, vbi nulla tamen *desperandi* occasio data. Quanquam enim de reliquâ tuorum *anxietate*, nihil ad hanc rem de quâ agitur: siqua tamen ex *Iuramento* isto suo, animi *anxietas* incidisset, eam Rex illis eximere voluit. Cúmque vellet, næ tu parum *anxius* videris de tuorum hominum *anxietate*, qui malis torqueri illos, quàm animi hac sui *anxietate* releuari; nec cessare vis *persecutionem* hanc tam apud te grauem, quæ, si vllam partem æqui boníque dixisset Papa, tam facilè cessare potuisset. Totum hoc illi ἐν χερσὶν αὐτοῦ; posset leuare si vellet; si cùm possit, nolit, iniquus esto.

Tui verò illi, si (vt ais) semel iam *in coronatione Regis obedientiam illi exhibuerunt*, quid obstat quò minùs exhibeant eam iam denuò? Et si *non abhorrent à Iuramento fidelitatis*, vbi *fides Catholica* non periclitatur; fatere tu illis, quod res est, *fidem* ibi *Catholicã non periclitari*; & suscipient *Iuramentum*: quo suscepto, continuò cessabit hæc tam *grauis* scilicet *persecutio*.

EXordium *Breuis à falso*, negari non potest, túq; adeo dum negare vis, fortiùs etiam impingis, in Pōtificem tuum. Negas autem *crimen falsi*, & negas subiratus: Vt verò placatior sis, nolim hîc *crimen falsi* sic accipi, vt in Iure Ciuili, quasi syngrapham, aut scriptum aliquod *falsâsset* Papa; tum enim dextera illi amputanda, vt Apostolicam pòst benedictionem non possit vobis clementer impertiri. *Falsum ibi dixisse* volumus, (atque id tantùm vult Anglicana vox) *non falsarium fuisse*, vt Latina paulò durior: falsum certè, si in Regis contumeliam, *tribulationes* vel *calamitates* commemoret ab illo *illatas, propter quas magno animi mœrore affici debuerit*. *Falsum* ergo Pontificem dicimus, si hæc asserat: te verò, *Matthæe*, qui negas asserere, *falsissimum*. Tam enim hîc cupidus es regerendi in Apologiam mendacium aliquod, vt depositâ omni verecundiâ, mentiri te non pudeat, *de præteritis calamitatibus*, quas Reginæ ELIZABETHAE, vel etiam Regis temporibus, *passi sunt* Catholici, nullam etiam in Breui mentionem

onem fieri, quin tantùm de ijs, *quas illi hoc tempore patiuntur.* Verba enim hæc tua sunt. *Principio, non scripsit Pontifex, se mœrore affici ob calamitates, quas tempore Reginæ* ELIZABETHAE, *aut initio Regni* IACOBI *in Angliâ pro retinendâ orthodoxâ fide Catholici patiebantur, sed ob calamitates quas hoc tempore patiuntur.* Vide verò tu, quâ attentione legas, quo acumine intelligas Breue illud, quod initio præter te intelligebat nemo. *Non scripsit* (ais) *Pontifex, mœrore affici se ob eas calamitates, quas patiebantur, sed ob eas, quas iam patiuntur.* Audi iam ipsum Pontificem. *Magno animi mœrore, nos semper affecerunt, tribulationes & calamitates, quas pro retinendâ Catholicâ fide iugiter sustinuistis. Sed cùm intelligamus, omnia hoc tempore magis exacerbari, afflictio nostra mirum in modum aucta est.* Bis mœstus hic Pontifex, duplici mœrore affectus: semel, vno, propter *calamitates quas iugiter sustinuerunt*, periodo priore: iterum, altero, quòd *omnia hoc tempore magis exacerbentur*, periodo posteriore. Magnus illi *mœror* ex ijs *quas sustinuerunt*: Aucta autem *afflictio*, & *mirum in modum actua* ex ijs, *quas iam sustinent.* Dic iam, poteſtne augeri quod priùs non fuit? Sed quid ego de priore aucto? Dic potiùs ad illa, *semper affecerunt, iugiter sustinuistis*: *Affecerunt* & *sustinuistis*, cuius *temporis?* annon *præteriti? Hoc tempore exacerbari*, nonne *præsentis?* Quid ego te, nunc Presbyterum & Theologum, Grammatica hæc doceam? *Sustinuistis*, referri non posse nisi ad *calamitates quas patiebantur*; *exacerbari* autem *hoc tempore*, referri solùm ad *illas quas iam patiuntur.* Pontifex disertè dicit *affecisse se mœrore calamitates, quas sustinuerunt*: at tu incurris in ipsum Pontificem, & ex opposito dicis, *non affectum mœrore vllo ob calamitates quas patiebantur*: id est, dicis Pontificem teneri falsi.

Nihil autem te iuuabit, quòd nulla ibi de Reginâ mentio, quòd nomen ibi Regis prætermissum. Dic enim bonâ fide, quænam tandem *calamitates* illæ prioris periodi, *quas antea iugiter sustinuerunt, magni* illius *mœroris causa Pontifici?* Quando inflictæ, vel à quibus? Non enim *sustinuerunt iugiter*, quas nemo imposuit; Certè autem nemo, si neque Regina neq; Rex. Ita vel *calamitates* illæ nullæ, & sine causâ *mœstus*, atq; ita *mendax* Pontifex: vel si verè *mœstus*, horũ alter necesse est

impo-

impoſuerit quas illi ſic *ſuſtinuerunt*, atque ita *mendax Mattheus*; & quod grauius eſt, *mendax* in Pontificem ipſum, ſanctiſsimum Dominum ſuum, & Beatiſsimum Patrem, cui *crimen falſi* aſcribit, in quem ſi non regerit, egerit *mendacium*; quod non modò *conuitium*, ſed & *blaſphemia* eſt. *Blaſphemiæ* enim capax, non minùs *Paulus* quàm *Pius*, vterque quintus. Ecce tibi iam non *colorem*, ſed *veritatem* ipſam, per quam liceat *accuſare falſi Pontificem*, quem tu, dum *ne leue quidem ei veſtigium* adhærere ſinis, *totum volutas* in mendacio, dum prima ipſa Breuis verba *mendacij* arguis, vbi etſi *mendacium* reuera eſt, non id tamen quod tu affingis. Et ob *calamitates priſtinas, & ob recentiores has*, *mærebat* Pontifex, & *Mattheus* qui ſic *bis mærere* negat, ipſe *mærendus*, bis *mærendus*; propter intelligentiæ defectum primò, pòſt etiam propter exceſſum arrogantiæ, qui alios contemnit præ ſe, quaſi ſolus omnia ſciat, qui ſolus nihil.

Opportunè hîc videor Lectorem monere poſſe, quàm iuſta illa dehinc cauſa ſit, vt ſuſpectam habeat fidem iſtorum hominum, ſiquando de *Patrum ſcriptis*, ſi de *hiſtoriâ veteri* quicquam proferentes legat (quorum etiam vix iam breui vetera vlla & incorrupta ſuppetent exemplaria, non vlla ſanè, niſi *expurgata* ad eorum Indices, Priſcis illis verè *purgatorios*) cùm hic illuſtre ſpecimen videat in *Torto* tam ferreæ frontis homine, vt in Breui ipſo *Pontificis* ſui, re ita publicâ, ita præ manu, præ oculis lectoris ipſius, quod ante quintum vix folium, ille ipſe deſcripſit integrum, & præfixit, clauſulam tamen eius, atque omnium primam clauſulam, homo impudens impudenter inficiari audeat.

Parentaſſe ſe dixit *Reginæ defunctæ manibus Apologiæ Author.* Id tu leuiter modò perſtringis, & præteris. In eo humanior multo, altero illo *tenebrione Anglo*, qui petulánter nimis deſæuijt in *phraſin* illam, nec impropriam ei rei, nec ineruditam. Vbi quicunque tibi in *Illam* animus, etſi nihilo fortè æquior, at plus tamen eruditionis oſtendis, quàm *ille* homo non modò politioris literaturę, ſed & humanitatis expers, qui & inde occaſionem arripuit non valde idoneam, *manes* eius mordendi. Nec dubito quin lectori haud vlla videatur melior *parentandi* ratio, quàm ſiquis honoris *eius* quæ diem

P obijt,

obijt, atque existimationis iustam defensionem suscipiat. *Parentandi* autē verbo, quod quidem Anglicè respondeat, habemus nullum, *sacrificandi* pro eo vsurpamus, transumptâ voce à ritibus Ethnicorum; *quis negat?* sed ad pium, Christianúmque erga defunctos officium accommodatâ; *quis vetat?* vobis enim & qui vestræ sunt professionis, non potest hoc incongruum videri, quorum tota religio conspersa est illiusmodi flosculis, quâ ex Poëtarum hortulo, quâ ex Rhetorum officinâ petitis. Nec excusari potestis aliter, cùm B. Virginem *stellam maris* compellatis; Propria enim illa *Veneris Cypriæ* nomenclatura, quæ *mari orta*, & *de spumâ maris*, *mare præstat eunti*. Nec verò de rythmis vestris & versibus Leoninis, quibus B. eiusdem Virginis interulam, vittam, zonam, quibus CHRISTI fascias, & ascias salutatis, aliter soletis respondere, quàm plerasq; in illis voculas, ex Poëtis desumptas, & ad eorum imitationem expressas esse. Domino quidem tuo *parentandi* vel *litandi* phrasis non displicebit scio: Debet ille multum *Virgilio*, nec id modò de verbis interdum, quin de rebus ipsis etiam. Nec enim illum pœnituit, cum de Purgatario vestro ageret, non infimo apud vos, certè non infimi precij dogmate, inter Authores quos corrasit ad fidem de eo faciendam, *Virgilium* etiam, classicum sanè Authorem nominare. Vocem verò vos *parentandi* repudiare non potestis, quibus res ipsa tam est fructuosa.

Bellar. lib. 1. cap. 2. de Purgat.

MIhi verò multò magis improprium videtur & ἀπροσήγορον vicinum, de quo commonendus mihi iam es, quòd Pontificem nouo nomine, nec ei *in scripturis Sanctis* vsquam attributo, *Christum Domini* indigitâsti. Nec id à te figuratè dictum (vt illud *parentandi* modò nobis) sed seriò vt videtur, quasi cum stomacho. At non sic feres. *Reges* quidem reperio sic in sacris literis, sæpe sæpiùs nominatos, tum ab hoc illorum nomine argumenta peti, ne quis manum contra illos leuare audeat, ne quis vt leuet dispensare audeat, quia nimirum *Rex* CHRISTVS *Domini est*: Pontifici nomen hoc tributum ibi non memini. Iuuet nos *Matthæus*, & *vel vnum locum designet, in toto volumine Bibliorum*, vbi nomen hoc vlli Pontifici, sacri illi scriptores attribuerint. Non facies. Túque adeo ipse, quasi malæ fidei tibi conscius, & sermonis noui

noui quem nemo intelligat, apponis hîc tuum [id est] & *Christum Domini*, ais, id est *Pontificem maximum* : veritus scilicet, quod res erat, hoc nomine, *Regem* à Lectore aliquem intelligendum fore, (quos sic fere scriptura vocat) nisi hîc tu nouam illam Glossam addidisses [id est *Pontificem maximum*] quam nisi addidisses, *Pontificem* ibi dici à te, haud quisquam, credo, somniâsset.

At tu, cùm *titulus* hic illius non sit, quid hîc alienum *titulum* inuadis, & qui ad eum nihil attinet? Quorsum Pontifici *titulum* asseris, quasi suum, qui suus non est? An nihil ab illo intactum oportet, nihil immune? An omnia ille quasi gurges absorbet, haud quicquam cuiquam relicturus? An ius illi in *titulos* quosuis, quorumuis? nec liceat ei dicere, Mitte verò hunc; *titulus* hic *Regum* est, non tuus? Et quidem si amicus *Regum*, si illis, si illorum authoritati benè vellet, litem fortè illi non facerent, non inuiti illum fortasse, in huius sui *nominis* societatem admitterent. Sed quorsum ei gratificentur, vt *Christum Domini* appellari sinant, qui *Christos Domini* sic insectatur: nec illis regna sua, nec subditorum suorum fidem saluam vult? An quò *Christos illos Domini Reges* meliori iure deponat, *Christus* & ipse indigitari vult? *Antichristum* magis oportuit. Nam vt taceam de *Christo Domini*, certè *Christis Domini* nemo illo magis ἀντίος vel ἐναντίος est. Quare quicquid id est criminis, siue *falsum* est, siue est *mendacium*, quod hîc intentari vis: non rectè id in *Christum Domini* abs te dictum est intentari. Si verum vis *Christum Domini*, si est titulus ille (vt est) maximè honorarius, tua sunt (*Matthae*) in *Christum Domini* mendacia; tu in illum committis; tu cum *Shemei*, maledicis *Christo Domini*. *Illi*, si peccatum est crimen inferre, magnum est peccatum tuum; & quod redundet in *Dominum* ipsum, cuius *Christus* est; de quo non *parentandum* quidem tibi, sed *litandum*, censeo.

Præstituis pôst, & prescribis ipse tibi, quid & quantum probare velis, quid *satis sit si probes*; vt verax sit, nec mendacij teneatur Pontifex, nempe *si anno 1606. quo tempore Breue scriptum est, Catholici tui ingentes ærumnas tulerint*. In quo, prudenter tu quidem: nec enim legem à quoquam sumis probandi, nisi à teipso. Illud autem etsi satis non sit, (quod

 nos

nos, satis iam, credo, docuimus) tamen quia tibi plus probare non libet, vel non suppetit, videamus sanè iam, videamus *ærumnas* illas quas dicis *ingentes*. Hîc tu *Edicta duo* nominas, *quæ duo vel sola sufficere*, ais, *ad omnia Apologiæ mendacia coarguenda*. Tu verò hîc *deficies*, qui *duo* dicis *sufficere*: Etsi enim duo nominas, vnum modò recitas, cuius in *titulo* antè vellicando infœlix satis fuisti, in *lege ipsâ* iam longè infœlicior. Eam verò in quatuordecim *articulos diuidis*; Credo autem vt numerus numero responderet, vt quatuordecim istis tuis Edicti, quatuordecim illis Iuramenti vicem referres, (sic simiæ homines imitari solent) vel potiùs in *articulos* non *diuidis*, sed in tot *frusta comminuis*, rectène an secus, nihil pensi habes: nec enim ordo ibi nec methodus, sed nec veritas vlla in numerando.

At *quatuordecim* illi *articuli* in *Iuramento*, ita omnes, & verè inde collecti, & bonâ fide, ita omnes manifestò veri, vt ille alter *vernaculus*, vt *tu*, vt *neuter* ausi sitis attingere, vrerent certè tangentem; quare, laudo ingenium vestrum, salutâstis à longè & transijstis; nec enim locus in ijs relictus vobis, non vel dentem imprimendi. At *quatuordecim* illi tui, quàm fraudulenter auulsi, quàm verò malè conciliati? Plures possem; nolo Lectori molestus esse, *quatuor tantùm tuas ibi malas artes* indicabo.

1. Dolus *primùm* in eo malus, quòd *articulos* quosdam de tuo capite *comminisceris*, pôst inseris quasi Edicto: *quorum* in eo vestigium nullum. 2. *Tum* fraudem olet, quòd *ordinem interturbas* eorum, nec sinis loco suo stare quemque, sed planè peruertis. 3. *Tertiò*, & in eo veteratorem agis, quòd & *stilum* immutas, & *loquendi morem*, & dialecto tuâ loqui facis non suâ, tuâ (inquam) sæpe non bonâ, sed planè Bœoticâ. 4. *Postremò* pessimâ fide & illud, quòd cum multa in eo sint ad mitigandam legis seueritatem, & in fauorem vestrorum hominum, ea tamen, quasi nihil tale sit, *supprimis, & celas* omnia.

1. In eo dixi *primùm* dolo malo agier, quòd *affingis* ei *articulos*, qui nulli ibi sunt, nec vsquam nisi in mendacis cerebri tui cellis, articulati; *Ille* scilicet omnium *primus* (solenne enim tibi auspicari tua semper à mendacio) *Inprimis*, *confir-*

confirmari ibi *in primo articulo leges* ELIZABETHAE *aduersus Catholicos iam olim stabilitas.* At ibi nihil quicquam eâ de re. Non est articulo primo, vel legum, vel legis vllius, vlla renouatio, non vel Reginæ ELIZABETHAE ad eam rem mentio. Bonis auspicijs; *primum* ergo hoc crassum *mendacium.* Illud verò multò adhuc crassius à te positum, *articulo decimo, decimum*, & *pessimum* mendacium. *Si tertiâ vice quis positum sibi iuramentum recusauerit, capitis vitaque dispendium patiatur.* Hîc lata nimis tua culpa est, & tu nimis insignitè mendax. Nec enim cuiquam *tertiâ vice* iuramentum *proponitur*, nec *proponi* lege *iubetur*, neque *vitæ dispendium passus* quisquam est, neque verò *pati* debet, neque est *capitalis* lex ista *cuiquam, quacunque vice, quocunque casu*, neque est de totâ hac re *syllaba* vlla in Edicto. En vt tu res nostras hîc intelligas ad vnguem; En vt os vobis sublinant nostri homines, vestri interpretes; En vt iam transferatur in nos labor tuus. Coarguere dixti velle te *mendacia nostra:* nobis iam *tua*, vt video, *coarguenda.* Sic iam habet lector *primitias*, & *decimas mendacitatis* tuæ.

2. Posui loco *secundo, peruersum* à te Edicti *ordinem* totum. Multùm autem refert, quo quidque *ordine*, quo *loco* dicatur; & tu quasi si *loco* suo quidque referres, cautus homo, posuisti illos tuos ordinales *primo, secundo, tertio*, &c. quasi bonâ fide rem gerere velles. Posuisti *primum* quod *nullum* est, quasi si *ciphram primo* loco poneres. Qui verè *primus* est in Edicto, de ijs est: qui, cùm cætera conformes sint, concionibus, precibus, sacris intersint; ad Eucharistiam sumendam tergiuersantur. Is inter tuos nusquam comparet, nusquam certè vt in Edicto est; non vel *primo* tuo, vel *secundo.* Qui verò tibi est *tertius*, is perinde rem refert, quasi si ex eo solo mulctentur homines vestri, quòd *recusent sacram communionem sumere*; atque ita, mulcta sit vna, preces ipsas; altera, communionem detrectanti. Quod ipsum egregiè falsum est; cùm is totus articulus de ijs sit, qui sacrorum omnium participes esse volunt, Communionis nolunt; quos constat, vel apud vos, *Catholicos* iam non esse, nec pro *Catholicis* reputari, quippe *non immaculatè ambulantes in lege Domini.* Pari modo in reliquis, mira *crypsis methodi*, & quasi fraus sola sub-

 sit,

sit, suo loco moti pene singuli & disiecti, quasi si fuisset ibi *Dauus aliquis*, qui *interturbasset* omnia.

3 *Tertia* tua fuit ars mala, *mutati stili*, dum effers more tuo maledico, quæ in Edicto secus posita. Quis enim ferat, citari legem, verbis non suis? non suis dixi? imò penitus alienis, & à viperinâ glossâ detortis, in sensum planè contrarium, quale illud est *Aduersus Catholicos*, *De perquirendis Catholicis, vt puniantur Catholici*, leges stabiliri? Quasi vllæ apud nos leges ferantur in *nomen* illud; Imò in *Papistas* ibi dicitur: ita titulus, ita tenor, is stilus est legis totius. Sic enim estis; sic vt estis, audire debetis, *vni homini, vnius hominis parti* addicti, vt olim *Donatistæ*, & ex eo quòd sic vni addicti, *Catholici* esse non potestis, nec de eo quod *vniuersum* est, (idem enim τὸ ὅλον & *vniuersum*) nisi falsò nominari. Quale & illud, vbi lex Ecclesiam adire iubet, *ad rem diuinam* audiendam, tu iuberi dicis, (bonus legum citator) *vt templa hæreticorum adeant, quò ibi hæreticorum sacris intersint*; quasi hæresis *in ipsis terminis*, eiusque tum templa, tum sacra Edicto stabiliantur.

Præcipit lex de *benedicto Sacramento cœnæ Dominicæ* participando: tu statuere eam dicis, *vt cœnam Hereticorum more sumant*. Hoccine est referre legem? *Quænam hunc tam barbara morem, permittat tellus?* Non hæc summa Edicti est nostri, sed maledicti vestri. Nemo autem nostrûm *Papiæ* studuit vnquam, vt legerit ibi de cœnâ aliqua à *Caluino* institutâ. *Profunda hæc Satanæ* sunt, & vestra. *Cœnam* nostram *Dominus* ipse instituit, *Paulus* recensuit, & præiuit nobis nomine *cœnæ Dominicæ*: ita, vt recensuit; nos, nec aliter celebramus. Vos videritis, & Papa vester, de Missâ vestrâ, & crudâ victimâ, vnde nomen illud vobis, vnde res ipsa, annon prodierit vobis è gurgustio aliquo; annon Papæ alicuius constitutio sit, postquam mutilâsset institutum *Domini*, & parte eius alterâ, populum *Domini* fraudasset. Simile verò tribus hijs & *quartum*, vt *Rex inuadat duas tertias bonorum* (quâ voce *inuasit te Satanas, & oppleuit malitiâ cor tuum*) quasi *inuasor* dici poßit odioso nomine, qui id adeat, quod ei Curiatâ lege legitimè rogatâ, adiudicatum sit. Simile & *quintum*, de *carcere sicariorum & latronum*; cùm ibi nec de *sicarijs* vel *latronibus* vlla mentio; & in *carceribus* ad quos vestri amandantur, ex genere

hominum

hominum promiscuo sint, qui in ære alieno, qui Prætoris Edicto non parent, tam qui *leuiter*, quàm qui *atrociter* peccarunt; Nec opus fuit *sicariorum* adiunctum addere, nisi quia inuidiam inde vtcunque conflare voluisti.

4 *Postremò*, vide ingenium hominis, quasi ex omni astus dolique genere concretum. Nam, vt principiò superaddidit de suo, ac de nouo conflauit, & percussit articulos qui nulli ibi sunt, per fraudem, nescio dicam, an malitiam, an vtramque: ita per vtramq; non imparem, tum malitiam, tum fraudem, subduxit alios datâ operâ, & de industriâ prætrerijt, quos tamen præterire minimè oportuit, si *summam Edicti* tibi (Lector) vt erat, repræsentare voluit. Eo autem solo nomine præterijt, quòd per eos, duriora quædam quæ videri possunt inesse in lege, in Papistarum ipsorum commodum & fauorem, minuantur saltem, atque molliantur. 1. Prouisum ibi est & cautum, ne in *duabus* illis *tertijs* terrarum Regi (vt dictum est) adiudicatis *comprehendi* debeat, sed excipi planè, *domus* ipsa, & fundi, in quibus illis habitandi locus. 2. Tum si *elocentur* reliquæ *duæ* cuiquam, id ita fiat, *ne quid* vel ædes, vel fundi *detrimenti* capiant. 3 Præterea, etsi in famulatu suo, vel familiâ refractarium vllum Papistam retinere, sub certâ ibi pœnâ interdictum fit: at id simul prouisum, ne hoc ad *parentes* se extendat, aut *pupillos*, quibus ex lege *tutores*, vel *curatores* sunt. 4 Tum *ne de* muliere vllâ *coniugatâ* exigatur mulcta, neque de marito eius, quantumuis illa ad Eucharistiam non accedat, siue, quoad marito conuixerit, siue postquam marito superstes fuerit.

Vbi, perspiciat facilè lector, abundare charitatem nostram, supra *Papistarum* illam & *Romanam*. Nec enim illi, totius *Patriæ Patrem ipsum* censuris eximunt, aut (quæ illas sequitur) subditorum à fide absolutione, in eoque (quantum quidem in ipsis est) gentem totam, & in eâ multa millena millia, quasi orphanos relinqunnt cuiuis iam genti diripiendos; & tanquam ἀκέφαλα πλοῖα abrepto per vim *Palinuro*. Atqui nos contrà, nec vel vni vlli familiæ ita grauiter incubamus, vt velimus, vel parente liberos priuati, vel pupillos Curatore. Ita, quod Pontifici videtur leue, in *Dei ipsius Locum Tenentes* exequi, *quique superiorem in terris non agnoscunt*, (vtcunque,

cunque, totum ex eo politiæ corpus ruat in perniciem certam,& orbitatem:) id Regi nostro grauius videtur, quàm vt vel infimo cuiquam de subditis suis, velit infligi. Tanta est enim misericordia eius, in vel tenuissimum quemque, in vel familiæ etiam minimæ œconomiam, vt, quæ intra eam sunt naturæ vel fidei vincula, ea, legum suarum seueritate vel euerti, vel dissolui nullo modo patiatur.

Addo tribus hijs & quartum: vbi enim ad extrema deuentum est, & mortis quis reus fit: hîc tamen (quod in cæteris solenne semper est capite mulctatis, vt fiat) *prouisum est* ne fiat: ne vel *dos vxori* pereat, vel *facultas liberis* hæreditatis adeundæ, vel *infamia iuris redundet in stirpem*, vt vltra peccantem ipsum pœna non progrediatur, vt nulli suorum, præterquam ipsi soli, præiudicio sit. *Prouisum* etiam, vt quocunque demum tempore Papistæ cuiquam mens animúsque fuerit, *conformem se reddendi*, & *iurandi iusiurandum*: ex eo, fas vt ei sit, actionem vllam priorem, totúmque adeo iuris processum irritum facere, & possessionem adire suorum omnium. Vt verò, in extremo etiam actu sui similis sit, *Primo ne medium, medio ne discrepet imum*, vt vnde exorsa est summa eius, in eodem & terminetur (in *mendacio* scilicet) verba ipsius sunt nouissima, *Iuramentum in Edicto deferri contra potestatem Papæ in Principes Christianos.* Nouissimum hoc eius *mendacium*, in verbis ipsis *nouissimis*, iam antè mihi nominatum, atque idem ipsum Omega *mendaciorum*. Hæc illa est *Matthæi summa*, ex tot mendacijs *consummata*.

Proximum iam nobis est, vt de eo quæramus, ecqua illi causa fuerit iusta, in seueritatem eam, quæ verè ibi est in Edicto, tam acriter inuehendi, quasi in eo vno satis sit, ad *Apologiam de mendacijs* quæ dicit *coarguendam*. Vbi vim hanc videtur complecti argumentum eius, vt cùm iam omnium in oculis tot sint Edicti illius clausulæ, tam rigidæ, vt videri vult illas, exinde Lectori liquidò constet, Catholicos eius, *ærumnas* hic *ingentes sustinere*, quò sic Authorem Apologiæ falsi teneat, qui dixerat *nullam* hîc conscientiæ causâ *grauiorem persecutionem* sub Rege extitisse. Quò ergò, quod Regi semper in votis, quôque nihil illi vnquam antiquius, *magna illa veritas*

veritas hic semper *praualeat*, vincat semper, & triumphet, (quod, vt in *fronte libri* fuit, ita in *corde scriptoris*) en, tibi iam (Lector) vera illius *membra* pandentur & *scopus*; perspectis ijs sedeto iudex, & sententiam ferto; illa *Apologiæ affirmatio*, & hæc *Torti negatio*, vtra vtri præponderare debeat, ab vtrâ *veritas* sit; & quæ *veritatem* semper comitatur, pars potior, certa victoria.

Veruntamen etiam illud priusquam aggredior, fac primùm quæso cogites de *tempore ipso*, quo lata lex est. *Tempus* semper vim magnam habet; plus in illâ circumstantiâ, quàm in ipsa sæpe substantiâ, ad res gerendas, momenti. Lata autem lex est, *illâ* (vt hîc loquimur) Parlamenti *sessione illâ ipsâ sessione*, quæ prima fuit & proxima, postquam horrendum illud, & iam iámque admittendum scelus, detectum est. Fac, quæso, vt & illud cogites, annon *iusta* Senatui populóque *doloris causa*, annon *læsi animi*, cùm considérent illis ipsis in *ædibus*, & *subsellijs*, intra illos ipsos *parietes*, quorum abesse non potuit quin conspectus quotidianus eos admoneret, eísque in mentem subinde reuocaret, quæ ibi in *locum* illum, inque *ipsos* immanis, & post homines natos, inaudita *cædes*, *strages*, *clades* designata tum esset, ídque (quod apertè fassi sunt criminis conscij) *zelo tantùm*, vt obtinere posset hîc religio Romana; ídque intercedentibus ad consilium hoc, & rem totam procurantibus *Presbyteris* & *Iesuitis*, qui sæpe sceleratis illis Eucharistiam *porrexerant*, quíque ipsi cum sceleratis, ipsi magis scelerati, *sumpserant* sacramentum illud (Deum, vt appellant, suum) ídque ad ipsorum animos atque fidem, ad hanc scilicet actionem tam piam *confirmandam*, & magis indies atque magis *obligandam*? Satis hæc, vt credo, valere potuerunt, ad Senatorum animos irritandos, cùm in *flagrantiâ criminis* hoc fieret, vt si etiam asperius aliquid tum statuissent: non id, credo, cuiquam, qui æquior modò esset, vel *iniquum*, vel *mirum* videretur.

Ausim verò affirmare, vbi multitudo hominum *tanta*, hominum *talium* tanta, iusto *dolore* percitorum, iustâ etiam *irâ* (nam dolor addidit iram) contra illos, qui *Regem*, *qui se* qui quàm latè patet *Regnum* totum, conati sic pessundare, vt nec *parietibus*, *nec tectis* parcere, si non seueram, sed sæuam

aliquam *Draconis* legem, & *sanguine scriptam* promulgâssent, contra *haeresin* illam, quíque eam sectantur (ex quâ quotannis penè pullulant fructus tam amari) *Regem*, qui quidem saperet, ex ipso rationis dictamine, & politicâ prudentiâ, *cedere* aliquantum turbæ *tantæ*, ita tum incensæ, & graui, iustáque de causâ *ita incensæ*, debuisse. Certè, tempus non fuit refragandi. Parciùs verò hîc ista commemoro: legas enim hæc apud Regem ipsum, multò & fusiùs, & ad viuum magis expressa.

Quæ modò pollicitus sum, Edicti *membra*, nec qualia nuper *Tortus*, *Absyrti* diuulsa, sed suo loco posita, quæque ipse sic agnoscat, de illis iam, Lector, sic habeto. Pro rerum quæ ibi sanciuntur naturâ atque ratione, *quatuor* illius *propagines* videntur esse. Vna, de *Refractarijs* in genere. Eos nos peculiari nomine, nec vsquam alibi noto quàm apud nos, *Recusantes* dicimus. Alia est de *Apostatis*, siue recidiuam passis. Tertia, de *praestando Iuramento*; cuius nos iam quæstio exercet. Vltima de ijs, quæ ad *commodum Papistarum* sancita sunt. De hac verò vltimâ, nisi pessimâ indole sit *Tortus*, & mediâ nocte natus, etsi (vt video) gratias non meditatur, qui silentio premit quantum potest: at actionem, spero, haud vllam intentabit. Quò verior autem hæc tibi herciscendi ratio constet esse, visum hîc totius Edicti vim ob oculos ponere; non vt ille, quatuordecim, sed viginti duobus articulis comprehensam.

1. *Sancitur, vt quicunque conuictus fuerit, quòd rei sacræ interesse pertinaciter recusârit; pòst autem conformem se reddiderit: ei vt non satis sit, si templa adeat, nisi & intra annum sacrâ etiam Eucharistiâ communicet, atque ita deinceps, semel saltem quotannis. Qui secus faxit, pecuniariâ mulctâ luat, anno primo viginti; secundo, quadraginta; tertio sexaginta librarum nostratium: sin vbi semel communicauit, pòst detrectet iterum, quotannis sexaginta.*

Primum hoc est, in quo (vt vides) nihil vsquam de *confirmatis confirmandísue Reginæ* Elizabethae *legibus*, sed neque vel nomen ipsum, vel *legum*, vel *Reginæ*. Temerè ergò hoc, & falsò. *Vnicum* verò hoc nescio quo consilio (fide quidem non bonâ) diduxisse videtur *Tortus* in tertium

& *sex-*

& *sextum*; atque ita, de *vno duo fecisse*; *fecisse* dico; de duobus enim *neutrum* verè ponitur; *vtrique* eorum affingit de suo.

2 *Quotannis semel deferantur ad Iudices, eorum nomina, qui de menstruâ absentiâ notati sunt: etiam si quos habeant liberos nouennes, vel supra, qui apud parentes agant: tum seruorum etiam nomina. Ni deferantur, decem floren is mulctantur, quorum id ex lege munus est.*

Secundum hoc, *Torti* quoque; & in eo *bis* mendax; Duplicauit enim mulctam, & pro *decem* florenorum mulctâ, *viginti* posuit. At illud vbi iuberi dicit, *vt inquirant Catholicos omnis ætatis*, mendacium est hyperbolicum. Inquirunt enim non nisi nouennes, nec eos vt rei sint; fortè vt de familiæ numero constet. Nec enim lege apud nos vllâ inquiri potest in quenquam vt reus sit, qui annum ætatis *decimum sextum* non attigerit.

3 *Potestas Iudicibus fit, vt statis temporibus, quibus ius dici solet, bis, quatérue in anno, audiant offensas cuiusmodi, atque statuant in reos ex legis sententiâ. Quod si tum subducant se qui rei sunt; præconio publico sistendi sunt, in terminum proximum iuridicum: quo tempore, ni se stiterint, pro conuictis habeantur.*

Hîc *Tortus* statui dicit, *de Catholicis acriter puniendis qui Communionem sumere recusant*. Falsò autem. Nihil enim habetur in *tertio* de pœnâ eorum. Vbi verò habetur (in *primo* scilicet) non *Catholicos* passim, qui Communionem sumere recusant, ea mulcta attingit; nec *alios*, quàm qui, cùm templa priùs adirent nobiscum, ac cæteris sacris interessent, pòst iterum desciscunt, non quidem à cæteris sacris, sed *à cœnâ Domini* sumendâ. At hij vobis, puto, *Schismatici* sunt, *Catholici* non sunt, saltem non *immaculati*, sed *maculosi Catholici*.

4 *Edicitur, vt qui pertinacis absentiæ à sacris legitimè conuictus fuerit, (vi legis quæ iamdudum eâ de re rogata fuerat)* Paschæ *termino vel Michaëlis, qui proximè tum subsequetur postquam ita conuictus fuerit, soluat* fisco Regio, *mulctæ nomine, libras nostrates viginti pro ratione mensium qui tabulis accusatorijs comprehensi sunt: atque vt eiusdem deinceps*

mulcta in menses pòst singulos teneatur, citra nouam vllam in iudicio postulationem, præterquam, si duæ tertiæ terrarum in manu Regiâ sint. Hoc autem, quoadusq; reus legi pareat, de sacris adeundis.

Nihil verò *hoc articulo* vel accedit vel decedit legi diu iam latæ. Id tantùm cauetur, vt vbi (alio pòst huius Edicti articulo) fisco datur optio, malitne *duas* terrarum *tertias*, an *viginti libras* in mensem: ibi si *duas tertias* terrarum optauit fiscus, ne & *viginti* quoque *libras* illas posit exigere, id est, ne vtrique pœnæ reus obnoxius sit. Hæc huius *articuli* mens est. At *Tortus* ita rem refert, ac si *noua* articulo hoc pœna in absentes à sacris, & de *nouo* rogata esset, quæque priore aliquâ lege pridem sancita non fuisset: vitiosè verò illud, & malitiosè.

5 *De ratione cauetur, quâ certiores reddantur qui fisco præsunt, quid à quoque, & quo tempore persolui debeat: tum; si cessatum sit à quoquam in persoluendo, quâ ratione mulcta leuari posit.*

Huic verò quod respondeat, nihil apud *Tortum*.

6. *Cùm de mulctâ illâ viginti librarum compertum sit, magis onerosam esse eam, ijs qui tenuiore fortunâ sunt, quàm qui amplâ: quodq; ditiores hij, dum terris suis sibi frui detur, viginti libras malunt pendere, vnde illis, etiam mulctâ solutâ copiosè superest; quod verò ita superest, in* Iesuitas *insumunt, aliosq;, qui regno huic Reipublicæque infesti sunt: edicitur, vt* fisco Regio *optio fiat, vtrum viginti libras menstruatim accipere, an verò illarum nomine malit duas tertias adire terrarum, relictâ Refractarijs tertiâ suâ. Ita tamen, 1. vt cuiq; bonæ fidei creditori saluum maneat ius suum debiti sui exigendi: 2. vt in duabus illis tertijs (quas* Fiscus *adeat) fundus ipse primarius, vel ædes, comprehendi non debeat, in quibus commorari solent: 3. vt alteri, qui & Refractarius ipse sit, duas illas tertias dimittere ne liceat: 4. vt si cuiquam locentur duæ illæ tertiæ, de sartis tectis præstandis idonea sit cautio.*

At quod in Edicto hoc *sextum*; *Torto quintum* est. In *sexto* autem suo, denuo iam inculcat, *de pœnâ non communicantium Eucharistiâ*; quâ de re nihil quicquam *articula* hoc, nec nisi *semel* cauetur in Edicto; idque membro *primo*. Sed neque in

illo

illo, alia legis mens, quàm quæ explicata nobis, responso ad *tertium*. Æquè verò in hoc atque in illo mendax, & malâ fide. Peccat itidem in eo non leuiter, dum statui dicit *mulctam viginti librarum, leue onus esse copiosis hominibus*. Non enim id dicitur sed compertum esse, quòd *ditiores* illi, abusi hac moderatione legis, cùm etiam post solutionem menstruam copiosè satis haberent; alerent ex residuo *Iesuitas*, & eius generis alios, ciues perditos, & perniciosos. Quò ergo ratio par seruetur in pœnâ partiendâ in copiosos hosce; potestas Fisco fit, viginti libras illas repudiandi, atque eius loco duas tertias terrarum sublegendi.

7 *Quò exploratum sit quoad fidem in Regem, quo animo sint subditi, potestas sit Episcopo cuiuis in Diœcesi suâ, vel Eirenarchis duobus (quorum tamen, de Præsidentibus vnus sit) cuicunq; qui de Nobilium numero non sit; quique decimum octauum annum agat, maiorue natu sit; qui quidem postulatus iam antè in iudicio pertinacis à sacris absentiæ; siue qui intra annum tum elapsum Sacramento bis non communicauerit; siue etiam qui ignotus oberrauerit, dum, vt fit, aliquò se iter habere fingit, (cùm se tamen, de eo rogatus, non diffiteatur, sacris interesse nolle, vel superiore anno bis Sacramento non communicâsse:) Iuramentum, quod nono pòst articulo sequitur, deferendi.*

Torto hoc *septimum* non est; Quod illi est, de iis est, qui relabuntur in crimen templa non frequentandi. Mendacium verò & illud. Nihil enim ibi tale, sed nec in Edicto toto. Sicubi autem de *Relapsis* mentio fit in Edicto, in *primo* membro est, nec inde tamen relatum, nisi fide pessimâ. Nam quę ibi *recidiua* taxatur, eorum modò est, qui vbi communicauerunt mensâ sacrâ, relabuntur pòst, nec per annum integrum communicant. At, quoad recidiuam vllam de templis frequentandis, vel non frequentandis, figmentum merum.

8 *Statuitur, si quis Iuramentum delatum respuat, nec de numero Nobilium sit, vt in carcerem communem amandetur, ad proximum vsque conuentum iuridicum. Quod si conuentu tum illo, publicè* in ipso Iudicum consessu *delatum ei denuò, denuò respuat, pœnam eam incurrat, quæ est amissionis bonorum, & carceris perpetui: mulieres tamen con-*

iuges ibi excipiuntur, quibus nulla pœna est nisi solius carceris, nec eius, nisi tantisper dum iuramentum ita delatum subeant.

Octauum hoc quoque *Torti* est; sed & *nonum* eius *octaui* huius pars est. Verùm *carcer* ibi in Edicto *communis* est, is scilicet, quò mandari solent homines qui laborant ære alieno, atque adeo plerique alij, qui Prætoris decreto non parent: *Carcerem* hunc *Tortus*, vt horrorem incutiat, sed vanum & falsum, *Sicariorum carcerem & latronum* dicit; sed de suo dicit, extra Edictum scilicet, nec *latronis* enim ibi vsquam, nec *sicarij* nomen est. Tum quod generatim ponit, *si quis recuset, vt amittat bona, & perpetuo in carcere sit*, non oportuit ita positum. Non enim qui minor sit quàm *annorum octodecem*, quenquam attingit *octauus* hic articulus.

9 *Formula ipsa Iuramenti, conceptis verbis, hoc Edicti membro ponitur.*

Pars & hæc *octaui* est, in eaque peccat antiquùm *Tortus*. Mulieres enim *nuptæ* excipiendæ erant, quibus *solius carceris* pœna est, si præfractè respuant iuramentum, nec nisi quoad ita præfractè respuant.

10 *Cauetur, ne ad actionem intentatam, siue de re diuinâ neglectâ, siue de non sumptâ Eucharistiâ, vlli liceat diuerticula iuris quærere, ex, siue apicum defectu, siue alio quouis formulario, sed vt rectâ rem petat, & de facto suo vel affirmet, vel neget; interfuisse nimirum rei diuinæ; Sacramenti participem fuisse. Quodsi tamen quispiam in iudicio postulatus, de obedientiâ suâ in futurum respondeat, quocunque id tempore faciat, statim vt actionem institutam, ac processum iuris omnem, irritum facere liceat, nec Edicto obnoxius sit.*

At quod *Torto decimum est*, adeo est enorme mendacium, vt nec pater ipse mendacij par ei posꝭit fingere: totum, quantum quantum, ex *Torti* cerebro. Nam nec *tertiâ* vice Iuramentum proponi fas, nec de eo quenquam in capitis discrimen vocari, nec de totâ hac re verbum in Edicto. Tum verò in vndecimo *Torti*, quod videtur decimo huic respondere; vide frontem hominis, *vim suam obtinere* (ait) *tabulas accusatorias, non obstante quocunque errore, qui in accusatione formandâ aliterue contigerit.* Partem legis allegat, quod reliquum est omittit:

mittit: nam quod mox sequitur præcîdit, *præterquam si inficietur factum, Templum, scilicet, adijsse se, Eucharistiam accepisse.* Hac enim parte si tabulæ veræ non sint, licet vim earum totam euertere. Id tantùm agitur, ne delusorio, vel dilatorio responso locus hîc sit ex causidicorum formulis. At quæ est, de accusatione totâ depellendâ, clausula benigna, eam perfidè dissimulat.

11 *Cùm & illud habeatur pro explorato, qui vltrò peregrè in militiam profecti sunt exterorum Principum, plerumque ab officio suo, quà in Deum, quà in Regem, abduci per transfugas quosdam nostros, & Iesuitas: cauetur, ne quis Regno exeat militaturus vspiam, neue ex aliâ causâ egressus, militet Principi cuiquam extero seu Potestati, nisi suscepto priùs iuramento hoc in Lege posito: qui secus faxit, vt pro felone habeatur. Pariter & ij, qui* Equestris ordinis *sunt, vel superioris vllius, aut qui functi aliquo* castrensi *munere, vt ne exeant regno in militiam, neue cuiquam militent, nisi syngrapham priùs dent, & cum fideiussore gemino se obstringant, (summa autem sit, viginti librarum, cautionis nomine) ne Papæ reconcilientur, vel in coniuratione vllâ sint contra Regem, actu vel consensu, aut celent vllam, quacunque tandem ratione sibi cognitam.*

Vndecimum hoc discerpsit *Tortus*, atque ex eo *duodecimum*, & *decimumtertium* concinnauit: in quibus & omissa illi *legis ratio*, malus mos (nempe quòd fraude Iesuitarum, animum mutant, qui trans mare currunt) vnde bona lex orta est. Et *perduelles* (in *duodecimo*) dicit *habendos*; falsò; cùm *felones* tantùm dicat lex. Aliud autem longè apud nos crimen, alia quoque pœna, *perduellis*, & *felonis*. Tum, vbi de coniuratione non faciendâ, non reticendâ conditio etiam est; eam silentio præterit.

12. *Siquis de subditis Regijs quenquam, trans mare, vel in ipso maris transitu, seu alio quocunque loco, intra ditiones Regias vel absoluere tentet, vel abducere à naturali suâ obedientiâ Regi debitâ, aut Papæ reconciliet Sedíue Romanæ; vel eò adducat, vt obedientiam suam spondeat, cuicunque authoritati prætensæ, seu Sedis Romanæ, seu exteri vel Principis vel Potestatis cuiuscunque: Qui fecerit, quiue instigator, consultor, aut patrocinator, consciúsue facti fuerit, læsæ Maiestatis cri-*

mine

mine teneatur. Eadémque vt pœnâ plectatur, cui persuasum est, quiue abductus à fidelitate, vel reconciliatus, vel eiusmodi prætensa authoritati fidem spoponderit. Qui tamen ita reconciliati, si intra sextum à reditu suo diem, Regiæ se Maiestati illiúsque legibus parituros fidem dederint, suscepto, eo quod hac lege propositum est, atque altero illo (quod ELIZABETHAE *primo conceptum olim) Primatus Iuramento, eis vt hoc nomine lex ista capitalis ne fiet. Qui inferioris ordinis sunt: vt peragantur rei, coram* rerum capitalium Quæsitoribus, *aut qui de* subsellio Regio Iudices *sunt, ex lege Maiestatis læsæ; ídque quasi eâ ipsâ in prouinciâ peccâssent, quâ primùm eis manus iniecta est. Qui verò de ordine sunt Procerum; vt in eos statuatur, per Pares suos,* Iudices Honorarios.

Hoc *Torto vltimum* est, in quo *bis* falsi tenetur: verba ponit *Edicti*, quasi si *de fide Ecclesiæ loqueretur.* Totum verò hoc commentitium est. Nec enim ea res agitur; tantùm ne à *Reipublicæ*, & *natiuâ in Regem* fide discedant: tantùm ne Papæ reconcilientur, & vel ipsius authoritati prætensæ, vel extero cuiquam Principi seu Potestati fidem obstringant. Tum quod secundò iam iterat de Iuramento Regio, nusquã id ibi dicitur, *Iuramentum contra potestatem Papæ in Principes Christianos*, id tantùm; *Iuramentum Edicto hoc propositum.* Atque ita vnde exorsus est, à mendacio, in eodem illi *summa* terminatur. Sunt verò & alia *Edicti* membra à *Torto* prætermissa: Nam cauetur,

13. *Siquis à re diuinâ absit diebus Dominicis (ex lege primo* ELIZABETHAE *latâ) mulcta ei sit semifloreni, in stipem & eleemosynam eroganda eis, qui in parœciâ illâ sunt pauperes. Qui vero huius Edicti mulctam soluerit, is alteri illi, in Edicto priore, obnoxius non erit.*

14. *Siquis seruum alat, aut aduenam contubernio excipiat, qui rei sacræ recuset interesse, nisi legitimâ causâ impeditus, id si sciens prudens fecerit, mulcta ei in mensem dicitur (quamdiu ita penes se in familiâ retinuerit) decem librarum: At id simul sancitur, vt si Parentum alter, cui res vel ædes de suis non sunt: vt si pupillus; si custodiæ alicuius, ex authoritate vllâ publicâ mandatus; liceat apud se habere, atque alere, quantumuis sacra adire recusantem.*

15. *Si*

15 *Si, Decreto Iudicis ad Prouinciæ Præfectum transmisso, aut alium quenquam cui id exequendi ius est, de refractarij alicuius Papistæ prehensione, qui, ex eo quòd refractarius sit, sub excommunicationis censurâ maneat; sancitur, vt fas sit* Præfecto (*si aliter nequit*) *ædes eius intrare per vim; quodsi resistat, etiam vicinia opem aduocare, vt educat inde, & in custodiam det.*

16 *In admissa omnia contra Edictum hoc inquiri poterit, atque animaduerti per* Regij subsellij Iudices; *vel eos qui in* Prouincias peragrant vt ius dicant: *seu* Quæsitores rerum capitalium. *Quæ verò citra læsam Maiestatem consistunt, ab* Eirenarchis *Prouinciarum, quo tempore Trimestres Conuentus agunt.*

17 *Statuitur, quicunque demum feloniæ reus peractus fuerit, ex Edicto hoc violato; vt (quod in reatu illo apud nos fere fit) dos vxori ne pereat, néue hæredes infamiæ iuris obnoxij sint, aut hæreditate exclusi: sed vt prærogatiuâ sanguinis fruantur, & liberè hæreditatem adeant.*

18 *Siquis ex eo capite, actionem in quenquam instituat, quod fecerit iusseritue quæ ad Edicti huius executionem spectent: reo fas sit in Genere, hunc sibi Causæ Statum constituendi, & per idoneas rationes probandi, Quæ ita fecit, ea se ex mente legis fecisse.*

19 *Cauetur, ne per Edictum hoc fraus vlla fiat Iurisdictioni Ecclesiasticæ; sed vt liberæ etiam maneant Censuræ eius omnes, in Refractarios, quibus vti fas fuit, ante legem hanc rogatam.*

20 *Sancitur, ne vxoris non communicantis pertinacia, redundet in maritum, aut is mulctæ cuiusquam reus sit propter vxoris delictum: néue mulier ipsa, iam vidua, & sui Iuris facta, mulctam eius luat, quod nupta peccauit.*

21 *Quibus in causis Episcopo ius est, vel duobus Eirenarchis, Iuramentum (de quo iam antè mentio) cuiuis, qui de inferiore ordine sit, deferendi: in ijsdem ipsis, idem ius sit quibusdam de sanctiore Regis Consilio Dominis, ab ijs, qui de Nobilium numero apud nos sunt, & decimum octauum annum excesserint, illud ipsum Iuramentum exigendi. Quodsi præstare renuant, (dum ne mulieres sint nuptæ) vna est eademque pœna, bonorum publicationis, & carceris perpetui.*

22 *Quodsi quis peregrè in militiam profecturus nauem soluat, ex vllo quinque Portuum Nobiliorum, vllóue qui eis subsunt alto,* Illustri *Portuum illorum* Limenarchæ, *potestas datur, eiue qui vices illius obtinet, Sacramenti huius illis deferendi.*

Propago, vti vides, Lector, prima *de Refractarijs* est *in genere*, multi autem eius ramusculi sunt. Vt verò iustam subesse causam videas, non communi illâ ratione, quæ apud omnes valet, sed peculiari etiam quadam, quæ ad nos spectat, cur homines hij præfracti & contumaces, qui sacris se subducunt, legibus hîc magis quàm alibi obnoxij esse debeant; operæ precium facturus videor, si rem repetam ab origine, *quando* scilicet, *quáque occasione*, genus hoc hominum *primùm* hîc apud nos *emerserit*.

Ineunte hîc regnum Reginâ (*exceptis aliquot de Clero Mariano*) *non multi* præterea fuerunt, qui sacris tum nostris & ritibus abstinerent. Satis hoc supérque notum ijs, qui per ætatem possunt adhuc prima illa Reginæ tempora recordari. Tanta quidem tum eorum paucitas, vt per aliquot lustra, *Recusantem esse*, quid sibi vellet, ignotum penitus; necdum enim nata hîc apud nos vox ipsa, vel titulus *Recusantis*. Vel ex vno etiam hoc facilè id sciat Lector, numero fuisse non magno: quòd silerent Leges, quòd nihil actum in Senatu de ijs, toto decennio. Fuisset autem actum lege aliquâ vel Senatusconsulto, nisi numero fuissent contemnendo. Intererat enim Reipub. eos non negligere, si ad numerum tum aliquem excreuissent. Tam verò exploratum hoc, vt cùm sisteretur pro tribunali reus *Garnettus*, hócque illi, quod modò dixi, de numero tum exiguo obiectum esset, diffiteri non posset; id tandem diceret, *nonnullos* quidem, quos ipse vel nôsset, vel sic inaudîsset, à sacris nostris per id tempus abfuisse. Nec si in hac tantâ Regni amplitudine, abfuerunt tum *nonnulli*, momentum in eo magnum: nobis enim ad causæ caput satis, si *proluuies* illa, quæ pòst fuit, *Recusantium*, ex *Pij* censurâ, (quasi ex pluuiâ ranæ,) prognata primū atque propagata est.

Atque, hoc quidem loco, res hîc religionis, decennio primò, cùm nondum *Pius 5.* in Reginam anathema suum fulminâsset. Vndecimo demum anno, cùm prodijsset *Bulla* fulminâ-

minâtrix, non eadem in multis meqs. Ilipo; quibus antè, religio nulla, sacris nostris intercsse; *Recusantes fieri*. Vt quid autem *Recusantes*? non culpâ religionis aliquâ; (erat enim non alia tum quàm antè fuerat) sed, quòd intonuisset tum Pontifex: quasi non in rebus ipsis, vel conscientijs hominum, sed in plumbo Pontificio religio latitaret.

Non ergo *Conscientiæ* causa dicenda, vel *Religionis*, Recusantium hîc causa apud nos. Nam si *Religionis*, quinquennio primo Reginæ ELIZABETHAE, cùm eadem per omnia fuit quæ nunc est *Religio*; cur non eadem tum illis *Conscientia*? cur *Sacra* tum nostra execrati nòn sunt? cur *Templa* tum adierunt? Adierunt enim tum, si non omnes, at (quod fassus vel *Garnettus*) *plurimi*. Etiam de vestris *quidam*, (addo, & *primarij quidam*) rationes scripto diuulgârunt, cur id liceret facere; etiam id vt facerent, quibusdam tum de suis, authores insuper fuerunt: vt consulenda fuerit eâ de re Synodus *Tridentina*. Quinquennio proximo, cùm iam Duodecim viri illi *Tridentini sententiam* eâ de re suam interposuissent, [de non adeundo nobiscum templa]; cur neque tum Sacris abstinuerunt omnes? Discessio quidem ex eo facta à nonnullis: pars tamen multò maxima, (sententiâ illâ non obstante) etiam tum, nobiscum assiduè rem diuinam audiebant. Quæro iam, cùm nihil de nouo mutatum tum fuerit in religione, quod ità licuit *per decennium*, cur anno pòst *vndecimo* cœpit non licere? Adduco & aliud argumentum huic rei; Nam si religio ipsa *Romana* causa sit sola, cur hij sese sacris subducant, cùm & alibi etiam religio *Romana* sit, & vbique (vti præ se ferunt) eadem; qui fit, vt alibi, pérque alias passim gentes, illud quoque hominum genus non existat? Non enim existere, *Scotia* testis sit, in quâ, etsi plerique sint vtriusque sexus Papistæ, noti satis: haud quisquam tamen ex illis fuit, quamdiu inter eos Rex, (nec Sedem hîc habuit) in toto *Scotiæ* regno, qui se templo subduxerit; sed neque nomen ibi *Recusantis*, neque res cuiquam cognita. At illud, credo, *Matthæus* dabit, Catholicos suos, vbi vbi sunt gentium, quoad conscientiam pariter affectos esse, pariter quoad obedientiam erga Pontificem, quem quasi Ecclesiæ suæ & *fidei caput* omnes venerentur.

Extiterunt itaq; hîc apud nos *Recusantes* ex *Bullâ* primùm; cuius ea tum vis, vt simul res *sacras*, simul *ciuiles*, eodem anathemate inuolueret, vt non modò *sacra* tum hîc non *sacra*, sed neque *Regina* tum *Regina*, vel *subditi* dein *subditi*. Duo enim hæc quasi connexa essent inter se atque implicita, nec separari possent, ita vnam in Bullam compingebantur, vt non liceret iam Catholico esse, nisi ei qui clandestinus hostis esset *Reginæ*, nec cuiquam castè Deo seruire, nisi *Perduelli*. Prouenerunt inde nobis, vnâ eadémq; operâ *Recusantes* simul & proditores *Bullati*; & olim quidem dici solebat, *Homines Bullæ*: iam verò, Homines Catholici Bullæ, quasi ex stillicidijs Romanæ pluuiæ, postquam detonuit. Simul ergo mutare tum in religione cæperunt, simul nutare in officio erga Principem, quasi iam non Principem, quam sanctissimus eorum Pater, pariter Ecclesiæ communione, pariter regnandi iure priuasset. Ita religioni permista seditionis semina, nec quisquam iam in Deum pius, nisi qui in Principem, patriámque simul impius, nec bonus Catholicus, nisi malus subditus. Neque verò diu res exemplo caruit: ebullijt enim confestim atque efferbuit ex hâc Bullâ; quæ subsecuta statim est, *Rebellio Borealis*. Inde quidem prima lex in vestros, ex Seditione *Boreali*, vt ex eodem fonte lex vltima, ex Proditione Fulminali.

Cùm ergo fide Romanâ fidelitatem Anglicam labefactari, misceri cum fide perfidiam, Maiestatem cum pietate lædi cernerent; fecit ea res, vt & Reginæ ipsi, & Regni tum Ordinibus consultum videretur, maturè hijs, qui sic affecti erant (seu malis, infecti) notam aliquam inurere *lege aliquâ pœnali*: quæ tum nota, quasi discriminaret à bonis ciuibus, quos ita non puduit recusare, quominus simul, & *Sacris* præsentiam, & *Reginæ* officium præstarent, vsqueadeo vt non modò *Religionem*, sed nec *authoritatem* vllam *Regiam* agnoscerent in *Reginâ*, quam Pijssimus eorum Dominus non minùs Regno quàm Ecclesiâ mulctâsset. *Lege aliquâ* dixi *pœnali*, non *ærumnosâ* tamen, vel *atroci*, nec quales scribuntur apud vos: *florenorum* enim ea, non *flammarum* fuit; *pecuniæ* modò *mulcta in mensem*, non *iactura* semel & simul *famæ*, *capitis*, *fortunarum omnium*. Atque hæc *vera*

origo

origo fuit, *vera conditio est Recusantium* apud nos. Nec ex alio capite *recusabant* initio, nec ex alio iam *recusant*: vt aliter, apud nos habendi, aliter accipiendi sint Papistæ, quàm qui vspiam alibi gentium vel terrarum sint. Ex ijs quæ mihi dicta iam sunt, nemini potest esse obscurum, leges quæ feruntur, mulctas quæ dicuntur hîc apud nos in *Recusantes*, ferri & dici non religionis causâ meræ, sed mixtæ; mixtæ cùm malâ mente & fide in Principem: nec nisi in Recusantes *Bullatos*, quibus fides non solùm sacra, sed ciuilis etiam, ex Pontificis nutu pendet, nempe post missam ab eo Bullam vel Breue aliquod, nec præstanda iam Principi, nec profitenda: Qui verò sic *Sacram* confundunt cum Ciuili, vt sub *Sacra* obtentu *ciuilem* profiteri *recusent*; in eos tam iniustè Recusantes, iustè animaduerti, iustum omnibus videatur necesse est, apud quos professionis illius *recusatio*, iustam excusationem non habet.

Venio iam ad eos, qui secundo loco sunt Edicti, *Relapsos* scilicet, seu *recidiuantes*, *quâ parte* articulos illos complector omnes, qui de ijs sunt, qui postquam omnem à se contumaciam abdicârunt, cætera quidem conformes satis sunt, ad *Eucharistiam* tamen nondum accedunt. Hos autem duplici in differentiâ sitos video. Nam vel nunquam illius participes fuerunt priùs: vel fuerunt sanè priùs, pòst verò esse desiêrunt. De duobus hijs, sunt in Edicto articuli nonnulli; sed de illis haud credo nos iubet causam dicere *Matthæus*, haud alius quispiam veri nominis Papista. Nam hij quidem cùm sacris sæpe intersint (frustra toties reclamante Pontifice) *schismaticorum* in numero sint necesse est, nec pro vestris dehinc iam habendi, vt quicquid in illos statuatur durius, id totum redundet, vel in Hypocritas, vel in Pseudo-Catholicos, vel quocúnque alio nomine appellare libeat, nec vllo modo in illos *immaculatos fidei vestræ Romanæ professores*. Et quæ tamen vel in istos mulctæ irrogantur, ita non graues sunt, præut sunt vestræ illæ, quibus nos mulctatis; vt puderet, credo, quenquam, qui prudens videri velit; cùm de illis mentio fit, *ingentes ærumnas* vel nominare.

Nam de *tertiâ* Edicti parte, quæ ad illos spectat qui iurare nolunt, conceptum in eâ iusiurandum, mitto hîc dicere. Arx ipsa quæstionis est: Nam si de religionis in eo rebus non

agatur, sed de obsequio tantùm, & fide ciuili (quod & Apologia docere vult, & hæc Apologiæ defensio) quæcunque tandem in eos pœna fertur, qui iuramentum abiurant, ærumna dici non potest, propter causam conscientiæ vllam. Sed enim, vt ciuile delictum est, ita ciuilis & ipsa pœna dicenda erit. Nam de fide quidem Catholicâ si sit: & hæc iam ratio hîc, & quæstio statim omnis nobis cessat.

De *postremo* verò eius membro, quo grauia multa mitigantur, idque in Papistarum commodum: dixi iam, gratias referre debent; si illas nolunt, at litem, credo non mouebunt. Vides iam, Lector, quid *montes Matthæi parturiant*; quò *ingentes* illæ *ærumnæ* iam recidant, quas ille tanti putauit, tanti venditauit esse, vt solæ sufficerent, ad Apologiam vel totam, vno impetu refutandam.

At etiam vnum me præterijt in Edicto, cùm cætera recenserem, nec tamen iam prætereundum. Clausula autem est, in quâ de pœnâ agitur *ijs imponendâ*, qui ipsi cùm sint Romanæ sedis obsequio (vt loquuntur) iam *reconciliati*, id agunt, vt & alios auocent *ab obedientiâ Regi debitâ*. Ipsa verò ibi verba sic posita; *Ab obedientiâ Regi debitâ*, satis per se valere debent, quiuis vt ex illis, certò sciat ibi de pœnis agi perditorum ciuium, & qui proiecti iam sunt ad seditionem aliquam: ad *res* autem *fidei, religionis, conscientiæ*, à nemine cui quidem mens læsa non sit, traduci potuisse.

Post *quatuordecim* demum *articulos suos*, (verè dixi *suos*, non enim sic in Edicto positos, sed mera figmenta *sua*) totus ad *ironiam* fertur *clementiæ Regiæ*, magis ipse dignus *ironiâ*, qui cùm in crimen falsi incurrisset Pontifex, propellit etiam magis. Nam quod *de Regis clementiâ* in Pontificios dictum ibi in *Apologiâ*, locum habet in Pontificis *mærore magno* & *primo*, non in *aucto* iam & *secundo*, post Edictum scilicet. Neque satis commodè diuisa tibi *Matthæe* temporibus hæc. Priusquam inhumano illo incæpto, ad iustam iram irritati Ordines: tùm certè *clementia summa* fuit, nec vlla tum Pontifici causa magna *mæroris*. Fortasse causa iam aliqua ex Edicto, *mærendi*; nec tanta tamen, quantam videri vis; sed meminerit, ei faciendo homines suos execrando scelere suo, causam dedisse. Vide verò *quid à nobis negetur* hîc:

Pontifi-

Pontificem adeo valdè *mæstum* esse debuisse, *priusquam* exiret Edictum hoc: vide autem *quid à te probetur*, Pontifici caussam fuisse *mœrendi*, *postquam* exijt Edictum hoc. Hæc illa sunt quæ in *Dialecticis* dicuntur *disparata*; nôsti cætera.

Sed neque tantum in Edicta *ærumnarum*, quantum autumas; neque tantùm, quantum meriti sunt illi, aut qui illorum similes, in quos ferebatur; saltem non tantum, vt mereatur tuum illud tragicum, *Quæ maior excogitari potest? Mulctari in menses singulos viginti librarum mulctâ*, non ita magna *ærumna* est, quin *maior excogitari* possit, nempe quam nostros homines subire hîc coegistis regnante *Mariâ*, vt bona eorum simul & semel, primo momento, *omnia abirent in fiscum. Carceri perpetuo mancipari, calamitas* quidem est; non tam magna tamen, vt non *excogitari possit maior.* Illa enim certè *maior*, quam vos nostris infligitis, *damnari ad triremes, vel ad metalla.* Tum *morte mulctari*, etiam magna & illa; sed *maior* adhuc *excogitari potest*, quod nobis scilicet facitis, *lento igne torreri.* Quare sat erat, si *magnas ærumnas* dixisses, nec nisi quia *Gnathonem* volebas imitari, opus vllum vt *ingentes* diceres: *Maiores* autem *excogitari non posse*, id verò *Gnathonem* superat. Quòd si *ingentes* verè *ærumnas* videre vis, & *calamitatem* quâ *maior excogitari non potest*, abi ad Inquisitionem vestram; illam specta; ibi visurus ea, præ quibus ludus iocusque sunt, quæ vestri hîc patiuntur apud nos.

Sacra verò nostra *Sacrilega*, quâ fronte dixisti? Nihil ibi *sacri tollitur*; vide, ne vestra potiùs dicenda sint, in quibus *sacrarum* orationum pars melior, mens orantis scilicet & intellectus; in quibus *sacer* calix, altera nempe Eucharistiæ pars, ausu *sacrilego* tollitur: in quibus diuini & Deo *sacri* honoris pars similitudini ligneæ defertur, & crustaceus panis pro Deo, non sine *sacrilegio* summo adoratur. En tibi, si quæris, *sacrilegium*. Porrò si fuisset in nostris tale quicquam, designâsses scio.

Æquè & illud absurdè, cùm id *perfidiæ Iuramentum* dicis, quod *perfidiæ* quâ in præteritum notandæ, quâ in posterum cauendæ, conditum est: quod iam contra *perfidiam* fertur, quodque erit in libris & legibus nostris æternum *perfidiæ* monumentum, & quidem vestrorum hominum *perfidiæ*; qui gemino se sacramento ad *perfidiam* in Patriam ipsam, in Patriæ

Patrem.

Patrem obligârunt. Vos autem qui *fidem*, qui *fidei* vincula, iuramenta soluitis, quò *perfidis* esse liceat: vos qui *fidem* non seruandam, id est, *perfidiam* licitam, legitimamque dicitis, etiámne vos quicquam de *perfidiâ* audetis hiscere? & in turpitudinem vestram eius vel nomen nominare?

Ad cumulum denique accedit falsitatum & illud, quòd tu, tam magnus scilicet mendaciorum hostis, cui crimen falsi ita odiosum, tertio ibi loco falsò dicis & mendaciter, quòd scilicet, *exhortatio ad fidem Catholicam cuiquam hîc sit capitalis.* Veriùs ibi dictum oportuit, *Exhortatio ad perfidiam* vel (si *fidem* vocari vis) ad *fidem falsò nominatam*, nempe *perfidiæ* matrem, atq; nutricem. Ideo enim quia abstrahuntur per vos à nexu naturali *fidei suæ in Regem*, ideo quia Pontificis nutui, contra Principem, patriam, ius fasque omne, quasi mancipia addicuntur, & nexui dantur, (quod vos *reconciliari* dicitis) ideo plectuntur; non *quòd Catholicam* (quàm falsò sic putant) *fidem* profitentur. Alioquin extra *perfidiæ* illius notam profiteantur illam (quam dixi) *fidem*, & (quam tu ipse tertiâ post lineâ vocas) *ciuilem obedientiam*: sentient alteram illam (quam dicis) *fidem* eis non fore capitalem.

At etiam *ærumnas* has suas claudit *ærumnis Archipresbyteri*, vel post susceptum Iuramentum, *in carceribus detenti.* Quanquam ille iam *Archipresbyter* non est, Presbyter modò; excidit gradu suo; vos illum exauctorâstis, vt mirum videri posit quòd tu ita iam sis de illo sollicitus. Non vna modò *Iuramenti*, verùm aliæ sunt causę *Archipresbyteri*: atque audi etiam, iustę causæ inprimis, quòd sic mulctetur *carcere*, imò & gratia magna, quòd non nisi *carcere*. Qui enim contra leges publicas capitali pœnâ sancitas, ausus iurisdictionem in regno hoc vllam sumere, & de *Româ* sumere, eámque tot iam annos hîc exequi, censuras & facultates, & reliqua *peregrinæ potestatis* munia obire; is si in carcere modò est, (quæ tamen *libera* potiùs *custodia* dici debet, quàm *carcer*) secum non malè actum putet. Quod si simile quid nostrûm quis ausus esset in ditione vllâ, vbi Papa quid habet potestatis, vbi *Inquisitio* vim obtinet; quid illi futurum censes? an ei pœna *carceris* satis foret? annon acerbissimâ morte moriendum? vel *Papam* ipsum iudicem appellare ausim, ita res est in manifesto.

Id

Id verò etiam de eo affirmare ausim, *detentionem* illi suam beneficij loco esse, nec illi ipsi secus videri. Nam id illi, credo, satis exploratum est, si quò vellet, liber abire posset, atque ita liber in Papæ manus veniret, vbi reddenda illi ratio de suscepto à se iuramento; peiùs etiam multò *Romæ*, quàm nunc *Londini* est, acceptum iri. Verè tum quidem foret *ærumnosus* senex.

Sed quoniam incidit de eo mentio nobis, volo etiam à te sciscitari quidpiam, vnde hoc (nos enim certè satis mirari non possumus) cùm scripta sit atque edita *Apologia*; (*Cuius authoritate* edita, scitis, scitis etiam *à Quo*) cùm etiam *Qui scripsit* eam, de Religione Suâ fateatur, vt mirum iam non sit, liberiùs *ab Illo* dictum quid, vel in Pontificem vel Cardinales; cùm hæc (inquam) ita se habeant, eâ vt celeritate, & verò etiam vi, *à duobus* iam *duplex, duabus linguis* factus sit in Eam impetus, *tam breui*: & tamen *Archipresbytero*, à *quo* iamdiu *Liber* extat, in quo libro ingenuè respondet ad interrogata singula, ciúsque paginis singulis subscripsit *se*, nec mutauit ex eo mentem; qui *Liber* æquitatem *Iuramenti* illius *de fidelitate* non minùs asserit quàm *Apologia*: cui subiecta quoque per eum *Epistola*, quâ Catholicos suos, etiam atque etiam hortatur vt *Iuramentum* illud intrepidè, vtroque Breui non obstante, *suscipiant*: vbi etiam & suprema Regis *in temporalibus* potestas *propugnata* ab eo, & Pontificis *ad deponendos Reges potestas* acriter *oppugnata* est: fusiùs autem vtrumque & prolixiùs multò quàm in *Apologiâ*: nec dum vestrûm vllus vel verbo responderit, nec (quod cuiquam hîc constet) responsum vllum meditetur. At æquum erat vos in *illum* magis excandescere, *qui vester* sit, *qui* vos inter vos, tanquam *Cadmæos* fratres, *committit*, & eos, qui inter vos, maximi momenti, *Authores* sunt, vestra in vulnera *conuertit*.

NOndum tamen debellatum est. Quò enim rem totam hîc conficiat *de persecutione Regiâ*; En, vt homo Stratioticus (iures sacellum iam suum abiurasse) *volo* (inquit) *ipsum adigere, velit nolit. Audire vocem visus sum modò militis*; *atque eccum*; *salue mi Thraso*; Quis te enim aliter alloquatur, qui vim affers, atque *adigis* homines, *velint nolint*, vt in se, pro te testimonium dicant? En verò, vt *adigat*. Quicunque intra

Regni fines sacrificuli consistunt, mortis rei sunt omnes; Lata ea lex est à Reginâ *Elizabethâ 27°.* demum anno Regni sui; lata autem necessariò, cùm constaret id genus hominum confluere huc indies, vt flabella essent seditionum, & ad res nouas moliendas suorum hîc hominum animos, quasi solum subactum redderent: cùm constaret, missis ad *Patrem Generalem* literis, subinde sic scriptitare, *Ego intra proximum* (trimestre vel semestre) *tot* (puta quinque vel sex) *reconciliaui*, pro quibus spondere ausim, quòd *quæcunque occasio inciderit, à parte nostrâ* futuri sint omnes. Moriendum ergo erat sacrificis, qui comprehensi erant: moriendum & reliquis, si quando comprehensi essent. Hîc tu, falsi vbique prodigus, parcus veri relator, ex semisse rem decurtas. *Gratiam* vtrisq; facere rex voluit; fecit: Liberi dimissi sunt quotquot tum erant vllo in carcere. Aude verò etiam hanc gratiam negare. Ad reliquos autem qui in latibulis tum erant, necdum comprehensi, *parem gratiam* suam Rex permanare voluit, ne vel eorum cuiquam ea lex capitalis foret, etiam vel si se profiterentur tales, dum intra certum diem Regni fines excederent. Tibi verò hæc nulla *gratia* videtur, mortem exilio commutare? & illudis ei? Certè sub æstu *Mariano*, & diebus illis *canicularibus*, de nostris hîc multi parem *gratiam*, vt flammas effugerent, summo beneficij loco erant habituri. Habe tu vt voles; *gratia* illa quidem fuit, etsi ij non *grati*, quibus facta est.

Quæris autem, *si exilium gratia sit, quo nomine supplicia appellanda sint.* Dicam; *vitæ*, vel *membri* iacturâ, *supplicia* sunt & appellantur, præ quibus *exilium* supplicium non est. Id tu *Matthæe*, si hîc sis, sentias, & quasi de *gratiâ* factâ, gratias ageres, cùm capitis damnatus esses, si solum tibi tum daretur vertere. Non tum diceres, opinor, imò nolo exulare, *supplicium verum est, calamitas magna est, exulem esse; gratia nulla est; nusquam cogar pœnas grauiores exilio præuenire.* Non hoc certè tum diceres: vel si diceres, omnes te insanum *Italum* dicerent, qui malles trans *Acheronta*, quàm trans mare nauigare. Mitte verò aliquem de nostris coram Inquisitione vestrâ ad flammas damnatum; iube illum intra certum tempus vltra *Apenninum* esse: vide, annon insignem sibi *gratiam* factam agniturus sit: Agniturus certè, sat scio. Quanquam

quid

quid ego iſta diſputo? Quis neſcit,grauiorem pœnam leuiore præuenire, ſemper beneficij loco habitum eſſe, & minùs malum, boni, tum locum, tum nomen ſortiri, ſi cum maiore conferatur? Id vel ipſa nos natura docet, quæ brachium capiti nos obtendere docuit, & illius noxam, huius, vel liuore, vel vulnere præuenire: tum pedis vel manus præciſione,vniuerſi corporis exciſionem redimere. Ad *teſtimonium* quidem nullum *adigunt* hæc tua, præterquam vt *teſtentur* omnes inſulſum eſſe te, ſi neges, morte mitius ſupplicium, eſſe exilium: & quod mitius id,præ aſperiore ſemper eligendum.

At *comprehendi non poterant*. Quî ſcis? An *Gygis* fortè annulum acceperant à Papâ,cùm huc miſsionem haberent? Poterant verò. Quidni enim ſic aſſeram, cum vix ſeptimana vlla abeat, quo non contingat ex illo numero, aliquem comprehendi? Etiam ex illis,qui legis illius *gratiâ* tum euaſerunt, erant, qui, (octiduum modò hæſiſſent hîc) ſenſiſſent ſe *poſſe comprehendi*. Etiam & illud conſtat, ex ijs qui hinc tum abierunt, & ex eo reuerſi denuò ſunt, *comprehenſos* aliquot, ac proin, vt nunc poterant, ita tum *potuiſſe comprehendi*. Quicquid ergo hîc garrit *Tortus*; & *gratioſum* illud *Edictum*, & *Rex clemens*. Nec enim iuſtior *clementiæ* laus vlla in Principe, quàm ſi legum ſuarum ſeueritatem *temperet*, & *mitiore* pœnâ contentus ſit,præut illa eſt, quam ipſa lex irrogat. *Mitior* autem illa, & in ſe, ſi ad mortem conferatur, quam auertit; & illis ipſis,in quos irrogata mitior, quibus nec exulare moleſtum: cùm,præterquam quod ſemper incedant in vitæ diſcrimine,nihil hîc habeant apud nos, nihil poſsideant eorum, quæ ad victum faciunt. Exilio autem; vnde prodierunt è Seminarijs, eò redeunt, vbi commorari tutò poſſunt, vbi religio illis ex ſententiâ, vbi *perſecutio* nulla, nec *ingentes ærumnæ*, quæ *magno animi mœrore* afficiunt, adeoque pœnè *conficiunt* Pontificem ipſum. Linguæ autem Latinæ beneficio, quo ferè valent cùm educati in ſcholis ſint, ſimul & victum ſibi quæritare, & defungi ſuo munere poſsint, quod in Miſſis, Horis, Officijs è Breuiario demurmurandis, maximâ ex parte verſari ſolet.

Tum verò vt ſciat Lector, non modò *adigere* homines obiectione ſuâ, ſed & ab alijs obiecta non minùs eleganter *abi-*

gere; sic ipse primò obijcit sibi tacitè: siquid in Edicto durius, id eò fuisse, quòd *praecesserat* dira illa *coniuratio*; nec enim nisi detectâ demum illâ, quicquam in illos asperius esse statutum; sic verò sibi subijcit. *Non ad proditores puniendos pertinere Edictum, sed ad Catholicos vexandos.* Non ad *puniendos* proditores? Non certè; Lege nouâ ad hoc nihil opus: ex vetustâ & fieri potuit, & factum est: Ad *detegendos* verò, nouâ opus. Malè autem disiungis hic *Catholicos & Proditores*, non *Catholicos*, sed *Proditores*, quasi hij alij essent ab illis. Coniunge verò, *Matthaee*, & dic veriùs, ad *Catholicos proditores* pertinere; nec enim vlli erant proditores tum, nisi Catholici. Ad illorum similes Catholicos *detegendos* lex; detectos autem *reprimendos*: ad reliquos verò Catholicos, qui proditores esse oderunt, *detegendos*, quò ne simili vt illi pœnâ inuoluantur. Causa autem iustissima certè, vt in *Papistas omnes* tum inquireretur. *Papismus* enim, eiúsque reuocandi zelus, proditionis *causa vnica*. Ipsi fassi sunt. Iesuitæ (qui *Papismi* iam Atlantes videri volunt) proditores ipsos, porrectâ eis Eucharistiâ, in scelere sæpe obfirmârant: ex ipsis etiam Patribus, nonnulli participes criminis. Intererat tum Regis, tum Reipub. scire quo loco res esset. Poterant enim in aliorum nescio quot *discipulorum* animos, idem quod in hos venenum instillâsse; *cuius* poterant, quod *cuiquam* poterant. Ita ferè euenit, scelus ad paucos peruenit, suspicio ad multos: & zelotypia nulla inanis est, vbi Regis, vbi Regni totius salus agitur. *Detegantur* sanè omnes, de quibus suspicio est; vbi *detecti* omnes, *reprimantur* illi quos opus est.

Diffisus huic scopæ tàm dissolutæ, subiungit ei aliam; *Ante coniurationem illam conceptam, primo anno, primo Parlamento, confirmasse Regem omnia Regina Edicta; eáque non parum auxisse.* Vide quàm multa peccet hic. Quorsum enim ante *illam*, si post *aliam*? *Ante illam* dixit; non satis dixit: *ante vllam* debuit dicere; debuit, sed non potuit. Nam ipso statim anni primi initio, & vel ante coronatum Regem, coniuratio alia prægressa est Sacerdotum; quæ an dederit fortè, haud scio, certè causam dare potuit, ei, quæ subsecuta est, legum seueritati. Tum *anno primo* dicit, *ante illam conceptam*. At etiam (quod antè docui) anno primo illâ ipsa coniuratio

concepta est, etiam *articulata.* Tum de *primo Parlamento* quod dicit, prodit inscitiam rerum nostrarum. Nondum enim absolutum est; etiamnum durat *Parlamentum primum. Sessione primâ* credo dicere voluit, in quâ tum *confirmata* sunt *Edicta* priùs edita; sic est. Ad illa enim pariter, reliquásque Regni *leges*, legitimè sancitas; pariter etiam ad receptam tum in regno *religionem* retinendam; cùm corona illi imposita est, fidei suæ sponsione sanctè interpositâ, sese Rex de more deuinxerat. At verò quòd de *additione* ad illa *addis, additio* verè est, sed tua, ficta scilicet à te, ab illo facta nunquam. Non ille tum Edicta *auxit*, tu *auges* maledicta tua & mendacia, ad periodos penè singulas. De *confirmatione* factum tum, quòd facto opus fuit; de cætero nihilo illa tum fuerunt *auctiora.* Verùm semel hoc habeas pro responso, iniquum postulare te; vt abrogetur hic vlla *Lex*, vlla legis particula, quò vestris hominibus meliùs sit apud nos: nisi priùs refigat ipse Pontifex, quæ vel ille, vel qui ab illius nutu pendet, in Regum omnium perniciem cùm volent, & interea dum volent, lubricam conditionem, fixerunt diu iam; & libris in lucem editis defenderunt. Faciat exuri libros illos, scriptores eorum adigat ad palinodiam: tum demum verba faciat de *nostris*, postquam cauit de *suis*. Ni fecerit, frustra hic quicquam mutari speret. Quid enim, vt nostra iam sublata sint; stent illa illius, quibus stantibus, stare non potest incolumitas sua vlli Principi Christiano? Qui & sciunt hæc iamdudùm, & cùm simile quid in illos tentatum fuerit, simile & ipsi facturi sunt.

Hic oblitus iam sui *Matthæus*, eiúsque quod *ipse sibi sat fore* dixerat, si probaret (*de ærumnis ingentibus anni 1606.*) postquam benè & grauiter impudens, *nusquam maiore dixerat affectum Pontificem ob calamitates, quas tempore Reginæ* ELIZABETHAE *passi sunt Catholici*; recurrit iam, non vt de mendacio præcedente satisfaciat, sed vt Reginam etiam paulùlum *exagitare* possit, & illius *manes mordere*. Quid autem commisit Regina? Non enim *illi* vitio vertendum fuit, si leges seueriores sciuerit, quæ & *sententiâ excommunicationis* lacessita fuerat, & eâ etiam, quæ sententiam illam subsecuta est, *Rebellione.* Res adeo vera, adeoque iusta rei causa, vt & Presbyteri vestri, editis à se libris fateantur; *nullam in orbe*

 Chri-

Impor. Confid. Pag. 16. 24. 37.

Christiano Principem quantumuis Catholicum; ita à Pio *Pontifice acceptum, secus fuisse facturum*; nec *Matthaus* ipse videtur abnuere *ex eo tempore*, iure illam exacerbatam esse.

Subjicit ergo, *ante latam illam à Pio sententiam, ante vel Pontificem, Pium: initio statim Regni Iuramentum de Primatu reuocâsse*. Certè reuocauit. Nam quid faceret, postquàm vobiscum in Religione non sentiret; postquàm ritu reformato, & sacris literis magis conformi Deum colere, fixum iam in animo haberet, ritu illo, quo fratre regnante imbuta fuerat; sineretne, quas *Maria* soror paulò antè leges rogauerat contra reformatam Religionem, suo loco stare, nec abrogaret illas? Aut cùm decretum ei esset, morem atq; ritum meliorem Dei colendi reducere, à Sorore antiquatum; nonne & vnà, quâ sese Soror exuerat, potestatem reuocare ad se debuit? Quid ergo? eam, quæ iam est, religionem stabiliret, *Papa* tamen *Primatum* agnosceret? Certè illud tentatum constat; & à *Paulo quarto* conditionem impetratam, porrò & Reginæ ipsi delatam esse, dum in Primatum ipsius consentire modò vellet, de cęteris, si à se fieri peteret, si authoritate suâ factam agnosceret, gratiam facturum Pontificem, vt sacra hîc omnia, hoc ipso quo nunc sunt apud nos modo procurari fas esset. Vt verè, Primatus sit illud [illegible]; nec quicquam pensi sit Pontifici, quid reliquis illis fiat, si hoc vnum modò exorari posset.

At hæc *de Primatu noua Hæresis*. At hîc iam *Matthæo vetus mos*, petere principium, & quod probare debet, miserè illud & turpiter emendicare. Damus hoc tibi; si illa Hæresis est, mala materia est iuramenti, malè vrgetur iuramentum quod de Hæresi. Sin, quod rei veritas est, quod nos, cùm res feret, probando erimus, *Hæresis in eo nulla*, nec vlla iuramento eo *obedientia* requiritur, nisi quæ *secundùm Scripturas sanctas* Regibus debetur; nihil à suis postulauit, nisi quod iure postulare potuit, & iniuriam in eo non fecit, cùm non nisi iure suo vteretur. Sed neque tu impugnas illud ratione vllâ; & nobis de Primatu hîc nulla, de *fidelitatis Iuramento* tota lis est. Non demittimus ergo nos in quæstionem illã, quin te potiùs remittimus ad *Gardineri Wintoniensis* Librum *De verâ obedientiâ*, ad *Boneri Londinensis* ibi *præfationem*, ad *Tonstalli Dunelmensis*

mensis ad *Polum Epistolam*, ad *Longlandi Lincolniensis concionem*, ad alios multos libros & tractatus (atque audi) *vestrorum hominum* omnes, qui rem totam hanc accuratè scriptis suis complexi sunt. Illos, si cuiquam alij de vestris, si tibi *Matthae* libido est refellere, nos statim responsum adornamus, quod te torqueat. Satis interim hoc proposito nostro, quòd ineunte Regnum Reginâ, cùm plerosque de vobis iniquiores reperîsset in ius ipsum, & successionem suam; quò subsisteret ipsa per se, ac regno securiore frueretur, iure suo vsa sit, eámque à subditis obseruantiam exegerit, quam exigi per ius posse, Deique verbum, ex tot suorum eruditis scriptis, diu iam antè didicisset.

Nam quod grauem Authorem imprimis *Sanderum referre, refers*, illa: non poteras ipse tibi magis incommodare, magis fidem omnem detrahere, vel tibi, vel argumento tuo, quàm si illo *referente*, quicquam nobis *referas*. *Sanderum* quis nescit? Túne vt illum perditum transfugam, virulentum calumniatorem, nefarium patriæ proditorem, inque ipso proditionis suæ actu cæsum, priùs tamen (diuinâ manu) rabie percussum, túne vt illum hîc testem citare audeas? Notum verò iam orbi satis, quot in libello illo famoso, *de schismate* congesserit prodigiosa mendacia, quot in reliquis etiam scriptis, quæ reliqui fere omnes hauriunt ex isto mendaciorum Patre *Sandero*. Audiat illa tantùm quis, rem nesciat; si non suffusus illi maleuolentiâ animus, (vt tibi) statim conspuat ad singula: Produnt enim ipsa se, tam sunt, & turpia, & tamen stulta; mirabitur illi ita non frontem modò, sed & mentem omnem perijsse, vt talia referre non pigeat, quæ sic pigeat audire: silicem illi certè pro fronte, nouaculam pro linguâ fuisse.. Quodsi nihil etiam esset præterquam hoc, quòd *capitalis hostis*, quòd *perfidus perduellis* fuerit, ecquem non pudeat hunc sibi testem producere? Illene, vt hîc testimonium ferat, cui, quæ *duæ res* in omni teste requiri solent, & quarum neutrâ abesse potest, *honesta fama*, *æquus*, & in neutram partem propendens *animus*: ex in hoc, *ambæ*, ex toto prorsus deficiunt. Nisi siquis putet, hærere posse *honestam famam* infami proditori, vel *æquam mentem* in iurato hoste reperiri; qualem illum fuisse facta clamant, (nempe turpem proditorem:) qualem illum

fuisse

fuisse scripta clamant (nempe hostem capitalem) non Principis modò suæ, sed & Principũ qui vspiam sint omnium, illiúsque adeo, *quæ omnibus inesse* debet Principibus, *authoritatis*; *quæ omnibus præstari* debet à subditis, *fidelitatis*. Apage verò *Sanderum*; quid ille *referat*, parum certè, imò (parum hîc nimium est) nihil omnino *refert*.

Pòst verò *de mulctâ* multus sermo, quam irrogauit lex illis tum, qui *ritu, veteri*, dixit, (*ritu* enim *vero* dicere non potuit) *& Romano* (qui fortè quàm CHRISTI vel Apostolorum melior mos est) *more officium missæ procurabant*. Vbi Lector aduertit scio, qui Edictum nostrum antè calumniatus est, eique mendaciter affinxit quòd *cœnam Caluinisticam* sumi iuberet: is ipse iam Sacramentum sumi vult *Romano more*. Monendus mihi hîc de *more* illo *Romano*. Nos enim non ex *more* Gentis vllius sumimus; is nobis *sumendi modus solus* placet, eo *solo* sumimus, quem Apostolus *Corinthijs* tradidit acceptum à CHRISTO: Non illum quidem *Romanum*, quippe tum (cùm *Roma* nihil etiam audîsset de fide) à Seruatore ipso *more suo* institutum. Eo & nos *sumimus*, & *Roma* ipsa *sumeret*, nisi CHRISTO se & *Paulo* plus sapere putaret.

De *mulctâ* quid attinet dicere? Quasi verò quid in eâ nouum. Quis enim Princeps, nisi illi iam integrum non sit, liberum & *sine mulctâ saltem* sinit esse apud se exercitium cultus peregrini? Hospes es in historiâ si nescis, sub bono, pióque Principe *Theodosio*, & qui illum secuti sunt, *Donatistis* (qui perijsse de orbe toto Ecclesiam Catholicam, nusquam esse, nisi apud *partem suam*, vt vos iam apud *vestram*) *Donatistis* (inquam) refractarijs, *libram auri* mulctam dictam esse, fisco tum applicandam. Quam *mulctam Augustinus* sæpe, semper autem cum laude, commemorat. Quid? vestrum quis aliter facit? Numquid cuique (quæ vult) sacra cudendi, liberum apud vos, aut cuique quæ vult sacra adeundi, copiam facitis? Non facitis. Alius verò generis mulcta vobis est. Quod si *persecutionem* addiscere voluisset Regina ELIZABETHA, poterat certè à MARIA sorore, quæ nostræ professionis homines sub se, qui *Missam*, *lege* tum (vt iam *Liturgia* nostra) *sancitam* audire nollent, non pecuniâ aut carcere mulctauit, *mulctam* infixit capitibus non aliam, quàm vt capita

simul,

ſimul, & corpora eorum, in bonum & luculentum focum conijcerentur, ibi ad cineres vſque concremanda. Ea veſtra tum mitis *mulcta* fuit, ita *mulctati* nos, non lanâ, ſed *pelle* ipſâ, & (*pro quâ, cuncta quæ habet, dabit homo*) *vitâ* & ſpiritu; Et vos, qui *flammâ* rem geritis, de *florenis* hiſcere auderis? Atqui nos tum, ſi *pecuniâ*, & *re totâ* tranſigere, ſi *carcere*, ſi *exilio* licuiſſet; *gratioſum* illud *Edictum* ex animo omnes diceremus. Noli ergo rem iſtam *nummariam* magis premere; elicuiſtis *ſanguinem* de nobis; *ſanguinem* enim bibit *meretrix* veſtra. Æquus autem Lector agnoſcet ipſe per ſe, conſtare pacem, non poſſe vlli Reipublicæ, ſi *patria ſacra* aſpernari liceat, ſi *ſacris peregrinis* operari, impunitate datâ. Indignum etiam eſſe in eâ Repub. quæ legibus tenetur, diſcedi à legibus. Quod autem fecit Regina, hoc tantùm fuit; quam Ipſa Sibi, vt veram maximè, ita animæ ſuæ maximè ſalutarem, in animum induxerat; quam lege ſanciendam curauerat; eandem vt omnes religionem amplecterentur; qui ſecus facerent, eis vt vel pecuniario aliquo damno, vel libertatis (mitiùs autem id multo quàm *Soror*) impunè ne foret.

Tum quod dicis ex *Sandero*, de *plurimis Epiſcopis ſecundùm eam legem, mox in carcerem coniectis*; quàm falſum ſit, vide, & crimine ab vno, diſce reliqua. Nec enim *plurimi*, cùm & *omnes illi* quos memorat, non *plurimi*, nec tamen omnes illi coniecti; vix mediam *omnes illi* hîc partem ſuperant Epiſcoporum apud nos; Nec *mox coniecti*, Actis enim publicis conſignatum extat, cuius eorum quiſq; vel *fratris*, vel *affinis*, vel *amici* ſui, priuatæ & *liberæ cuſtodiæ* commiſſus fuerit: Nec *ſecundum eam legem* coniecti, ſed quòd, fortè quidam ex ijs inſolenter ſe & proteruè gererent. Falſi ergo tenetur de *omnibus*: nec pigebit tamen decurrere per *ſingulos* ab eo notatos, ſi tamen pauca præfatus fuero. Enimuerò, Regina ſi in omnes fuiſſet inclementior, plurimùm id eorum merito feciſſet, cùm conſpirâſſet inter ſe maior eorum pars, ne quiſquam ei coronam imponeret, vt redierit res ad *Carlioleuſem* in illo ordine penè infimum, qui rem non inuitus præſtitit. Tum, vbi *capita religionis quædam* tractari vellet, inter Epiſcopos, atque eos qui illis ex aduerſâ parte; primò *tergiuerſari* omninò, *nec intereſſe* velle: pòſt, vbi veniſſent tandem, atque audiſſent

quid vrgerent Aduersarij, vt responsum eis vllum darent, omnino *recusare*. Meritas certè debitásque pœnas luissent, si de contumaciâ hac suâ tam peruicaci, ijssent omnes in carcerem. At Illa, cui mitior multo quàm Sorori indoles, durius in eos nihil statuit; Sororem quidem imitata non est, quæ ad ardentem pyram omnes, non custodiam amandâsset: quemadmodum & quinque de Episcopis suis, viuos exuri iussit, non quòd in eam, patriámue quicquam admisissent, sed quòd fidei suæ renunciare & Euangelio; & quod omnia quæ sic Pontifici visa sunt, vera itidem esse deierare, nollent.

Præfatus hæc, vt, quid optimo iure posset Regina si vellet, Lectori constet: redeo iam ad illud, quid fecerit, *Plurimis illis Episcopis secundùm eam legem; mox in carceres coniectis*, nec tamen *plurimis*, nec *mox*, nec *secundùm eam legem* coniectis. Nam vel ex illis *quatuordecim*, *nouem* extra carceres diem obierunt, *tres* vltrò excesserunt Regno, *duo tantùm* in carcere mortui. E *primis nouem*, *primus* mihi sit *N. Hethus* solus *Archiepiscopus, Eboracensis*, qui honorificè semper à Reginâ habitus est, nec vnquam vllâ custodiâ detentus, non fo..unarum vllâ parte exutus, permissus semper rure suo viuere, & cùm ad multam ætatem in otio vixisset, testamento etiam hæredes scribere. *C. Tonstallus Dunelmensis* qui ei *proximus*, consenuit in contubernio Archiepiscopi *Cantuariensis*, vbi summâ ætate *octogenario* iam maior, defunctus, nec sine pompâ funebri sepultus est. Idem hoc *Thirlbeio Eliensi* factum, qui ijsdem in ædibus Archiepiscopi lautè exceptus, decennio post *Tonstallū* fatis cōcesſit. Nam *Whitus Wintoniensis* in carcere quidem fuit ad tempus, non eam tamen ob causam, sed quòd quædam minùs pro officio dixisset in concione; verùm dimissus tamen inde pòst, atque extra carcerem, fato functus est. *Bournus Bathoniensis*, in *Carewi* ædibus, illustris viri, Decani *Exoniensis*, veteris amici sui, post vndecim annos diem suum obijt. *Turberuillus Exoniensis*, cùm per multos annos priuatus vixisset, in summâ libertate & ipse defunctus est. *Polus Petriburgēsis*, summâ comitate habitus, liber semper, Principis beneficio, & in agro suo, maturâ ætate decessit. De *Oglethorpio Carliolensi*, qui in Reginam officiosior quàm cæteri, dubium esse non potest, qui tamen non ita multò pòst *apoplexiâ* extinctus est. De *Bayno* itidem,

itidem *Lichfieldensi*, qui breui pòst tempore, *ex calculi* morbo vitã cum morte mutauit. Salutârunt fortè carcerem nonnulli ex hijs, dum non satis pro officij ratione responderent; sed dimissi tamen pòst, maximâ ex parte, atq; amicorum fidei commisſi sunt. Proximi mihi tres illi, qui ad exteras se partes receperunt. De *Scoto* enim *Cestrensi*, proteruo homine, & id constat, elapsum custodiâ, vltro pòst exulâsse. De *Pato Wigorniensi*, de *Goldwello* itidem *Asaphensi*, & illos excesſisse Regno fatemur; neutrum tamen ex legis sententiâ aliquâ, tantùm, quia sic ipsi voluerunt. Supersunt duo iam; *Watsonus Lincolniensis* morosus homo, qui & ipse tamen laxiùs aliquandiu habitus in ædibus *Episcopi Elisensis*, pòst *Roffensis*, tandem cum hîc per Emissarios vestros turbatæ res, in arcem insulæ *Eliensis* ablegatus est. *Bonerus* autem *Londinensis*, qui regnante MARIA cùm lanienæ præesset, in odium venerat omni populo (vt nec tutum esset ei prodire in publicum, ne saxis obrueretur) ille quidem in carcere consenuit; sed vbi, si vidisses, inediâ confectum non diceres; viuebat opiparè; horti erant & pomaria, si volebat spatiari; denique, nisi quòd certo spatio circumscriptus, haud quicquam instar carceris.

Habes de *quatuordecim* illis quos coniectos aiebat in carcerem. At nec hij *plurimi* erant, & de hijs quos nominauit *non plurimis*, *plurimi* mancipati non sunt carceribus, nonnulli ne viderunt quidem; libera tantùm & priuata fuit (siqua fuit omninò) custodia; recepti sunt in familias vel eorum, qui successerunt eis Episcopi, vel amicorum; quorum ipsi potiùs conuictum expetebant, gratis sine sumptu, copiosè sine defectu, in otio sine molestiâ omni, ad vltimas quas illis natura descripserat annorum metas, peruenerunt. Nulli intentata vis; nulli quæstio criminis *vel Primatus*, obiecta; quibusdam neque priuatis de rebus quicquam imminutum. *Plurimi* tui iam, *tot* tui Episcopi, vides quò reciderint. Tum, *permulti illi Nobiles*, de quibus proximâ periodo idem asseris, vnus aut alter fortè fuerunt, nec plures. Rident enim nostri homines, cùm *Nobiles* illos *Sanderi* audiunt; illusit vobis *Nobilium* titulo, quem bonus ille vir angustiorem esse nouit apud nos multò, nec posse ex toto illo numero quem *nobilitat*, præterquam vni fortè aut alteri conuenire. Ita *plurimi* illi *Episcopi* tui, &

permulti Nobiles, *tot Episcopi*, *tot Nobiles*, summis coniunctis vix *senarium* efficiunt: & illi ipsi non *solius* (quod tu ais) *religionis* causâ; non, sed procacitatis & insolentiæ suæ causâ eò amandati.

Omnino qui *vndecennium* primum meminerunt Reginæ ELIZABETHAE, haud quicquam eo mitius vel remissius fuisse prædicabunt. *Decimo tertio* demum anno, *biennio* scilicet postquam *Pius quintus* Bullam huc suam parum piam misisset, atque ex eâ Boreales illæ turbæ extitissent; paulò tum facta commotior, vt par erat, statuere cœpit contra Bullas & earum tabellarios; sed præterquàm in eos, nihil superstitionis tum vestræ causâ, sancitum est durius. *Decimo* pòst, id est, anno 23. vt videas quàm illa Princeps pigra fuerit ad pœnas; cùm Emissarij illi vestri sacrifici, ferè vel ante Missas vel pòst, venenum suû comperti sunt spargere, nec admittere ad eas, nisi qui & ipsi missam facerent fidem omnem atque officium in Principem: cœptum est acriùs in eos animaduerti, qui ita Missis interessent; *mulcta* tum illa (quam dicis) imposita; remittenda tamen statim, cùm redirent ad mentem meliorem. *Quinquennio* pòst, cùm serperent indies longiùs, & quasi examen quoddam è nouis Seminarijs sacrifici sese per regnum effunderent; cautum est lege capitali, ne Nouitij isti, qui cum religione deprauatâ in Seminarijs illis, animum etiam ab officio alienum imbiberant, & qualem ipsi imbiberant, talem aliis propinarent, ne illi (inquam) traijcerent huc in Angliam. Notum enim satis quid hîc, cùm venissent, agerent ad vnum omnes, quàm neminem Ecclesiæ suæ Romanæ reconciliarent, nisi, qui se sponderet, cùm res posceret, ad omnia Pontificis mandata, præstò & paratum fore. Atque, huc Illam tandem, post annos 27. inuitam & quasi reluctantem, nec ab indole suâ seueram Principem pertraxit, atque has Illi leges extorsit, hominum vestrorum importunitas. Quam proinde etiamnum audet *Apologiæ Author* afferere, *Neminem vestrum religionis causâ in iudicium vocâsse*, *neminem ad supplicium condemnâsse*, quamdiu scilicet *rem religionis* agerent, nec cum *religione*, *rebellionis* semina permiscerent, neque priusquam *Pius* Papa *per Bullas* suas hîc in *Angliam*, *per copias* verò & cohortes suas ibi etiam in *Hiberniam*,

berniam, impetum, & impreſsionem feciſſet: hic *plumbo*, ibi *ferro*; in *Angliâ* clauibus, in *Hiberniâ* gladijs rem geſsiſſet.

Nec enim tu ſatis videris intelligere illud *in iudicium vocare*, aut *ad ſupplicium condemnare*, quid ſibi velit. Nemo *vitæ*, nemo *membri*, nemo *fortunarum omnium* vel *perpetui carceris* diſcrimen adijt. Hic, denarijs fortè duodecim mulctatus, quòd die dominico templum non adijſſet: alius, quòd ad Euchariſtiam non acceſsiſſet: tertius, cùm in miſsificandi actu deprehenſus, per plateas in apparatu illo ſuo miſſatico traductus. Quid hæc ad ſeria? Hoccine tu *vocari in iudicium*, vel, *ad ſupplicium condemnari* vocas? Nemini *puellæ adusta manus*, (*vt Scæuolæ*) nondum reæ factæ vel vocatæ in ius: nemini *grauidæ*, cùm *apertâ aluo Embryo viuus* erumperet, *transfixus cuſpide infans* primò, pòſt etiam *in flammam reiectus*, & cum *matre* (barbaro & execrabili exemplo) ibi *exuſtus* eſt. Nemo *fame* enectus, nemo in carcere *trucidatus*; non *quadriennio quadringenti & ampliùs* flammis abſumpti ſunt. *Duodecim* toti anni erant, cùm in *Feltonum* qui *Bullam* impiam hîc auſus affigere, animaduerſum eſt: is *primus* hîc è veſtris vocatus in iudicium, atque capite mulctatus eſt; ante illum nemo. Mulcta fortè aliqua, ſed non grauis: Lex etiam, ſed non ſeuera. Exilio damnatus nemo; pauci carceribus mancipati; vbi cauſa fuit religionis nihil aſperum; vbi quid aſperum, cauſa religionis non fuit. Vis veritatem audire? vis quæ te non fallat, ex ore *hominis inimici*? Audi *Philopatrum* ipſum Ieſuitam, inſignem alioqui conuitiatorem, ſed veritatis vi victum, Reginam de Regni ſui initijs ſic alloquentem: [a] *Dum initio Regni tui mitiùs aliquantò cum Catholicis ageres, dum nullum adhuc vehementiſſimè vrgeres, nullum admodum premeres, vel ad ſectæ tuæ participationem, vel fidei antiquæ abnegationem, omnia ſanè tranquilliore curſu incedere videbantur, nec audiebantur magnæ querelæ, nec inſignis aliqua diſſenſio aut repugnantia cernebatur, nec deerant (quanquam malè) qui Eccleſias veſtras, vt vobis placerent ac gratificarentur, corpore ſaltem, etſi non animo frequentabant.* Legis hîc, Ieſuitico atramento depicta, quæ tu tum ſæua calumniaris *Regni Principia*. At tu, audire te hîc exiſtima loquentem inuidiam ipſam; puta autem minus hîc dici, plus intelligi.

[a] Pag. 103.

Audis tamen, vel ab eo, *neminem admodum* tum *pressum, non magnas* tum *querelas*, non *insignem* aliquam *dissensionem* extitisse: Non ergò ita tum refertos carceres, non *tot Episcopos, tot Nobiles, fortunis omnibus exutos, actos in exilium, carceri perpetuo mancipatos*. Crede saltem huic Testi: *inimicus homo est*, nihil in gratiam dicit: crede (inquam) vel *inimico huic homini*, & de Reginâ posthæc obmutesce.

Quid verò in animo tibi, quòd quæ paulò antè eâdem hâc vndecimâ sectione dixeras; eadem ipsa denuo, totidem penè verbis repetas? Adeone profluuiâ memoriâ Lectorem putabas esse, vt excideret ei Primatus iuramentum, nisi vnicâ sectione idem illi bis inculcâsses? Sine perfungar eo semel. Quòd delatum illud iuramentum Episcopis, non ita fuit, vt tu videri vis, facinus indignum. Nihil aliud ab ijs quæsitum, vt facerent, quàm quod bis iam antè fecerant, sub *Henrico* scilicet 8. & *Eduardo 6. Heathus, Bonerus, Tonstallus, Thirlbeus* tum Episcopi: *Baynus, Bournus*, reliqui, nondum Episcopi; præstiterant iam antè idem iuramentum omnes, alijs quoque vt præstarent, authores fuerant: etiam illorum quidam, libris scriptis defenderant. Quid hîc iniqui, si de eodem iterum compellentur?

Non enim credo tam eris vecors, vt litem moueas de sexu; *fœmina* fuit: fuit: at tu spero, cum *Knoxo* non sentis, & qui illius sectatores sunt, vt *fœminam regnantem* non feras. *Regina* fuit, æquali per omnia iure cum regibus, nec quicquam illi negandum, quod Regi conueniat. *Debora*, cùm Israëli Iudex, ius illi pari authoritate dixit, nec deteriore, quàm vel *Othoniel* vel *Gedeon* vel mas quispiam. Vel ergo, *Salica* vobis religio fingenda est, quâ excludi regni iure *fœminas* oportet, atque ita Sororem quoque eius *Mariam* exhæredari; vel si *regnare* vultis *fœminas*; & *iura* illis omnia, quæ *Regalia* sunt, cum *regno* pariter, sunt deferenda. At *Tortus* æquior esse debet in *Reginarum iura*, cui toties honorifica mentio fit de *Regina Mariâ* Serenissimi Regis nostri Matre, quæ ipsa, *Regni hæreditarij Regina* cùm esset, par vlli *Regi* fuit de tot proauis suis, atque *pari* cum illis & imperio & imperandi *authoritate* prædita.

Velim autem ex *Torto* scire, cur licere non possit Reginæ, quod

quod licet apud eos, Abbatissæ. *Abbatissa* enim *capax est iurisdictionis spiritualis*, eámque iurisdictonem in sibi subditos exercere potest. Delegatam dices à Papâ; Ergo si & Reginæ eam sibi à Papa delegatam, nec aliter quàm ab eo, sumere vellent, salua res esset. Sed nihil opus; *delegari* enim *potest à iure positiuo*, quod ad institutum nostrum satis. Verùm nec hoc etiam premo. Nam & hoc quoque contendo, *ordinariam esse*, quam Abbatissæ apud vos habent *iurisdictionem*. *Abbas* enim *ordinariam* habet, & *in administratione suâ Abbati æquiparatur Abbatissa*: eandem ergo, & eodem iure *ordinariam* obtinebit. Quid verò obstat? Quiane *censuras exercere, excommunicare* nequeunt? At *Excommunicatio* directè *ad clauem ordinis* non pertinet. [a] *Aquinas* hoc asserit. *Excommunicatio non est actus clauis directè, sed magis exterioris fori.* Et communis hæc apud vos sententia est: Omnis habens *iurisdictionem spiritualem*, etsi non habet *clauem Ordinis*, potest *excommunicare*. Negantur fœminis quæ *Ordinis* sunt, vel *interioris fori*: quæ verò *ad forum exterius* spectant, & *Laicis* communicantur, eorum, quin & fœminæ capaces sint, ratio nulla repugnat, vt pro Abbatissis suis acriter contendit, in eoque rem nostram agit *Stephanus D'Aluin** Sorbonâ sententiam eius approbante. Quanquam nos, Principi, censuræ potestatem non facimus; in eoque, plus multo *Abbatissæ* vos, quàm nos *Reginæ* tribuimus.

[a] *In 4. Sent. dist. 18. Q. 2. art. 2.*

* *Tract. de Abbat. potestate cap. 2. 3. 12*

Non est hæc (inquis) *fortasse causa religionis*. Vbi tuum illud *fortasse*, quod *ludens* ibi posuisti, nos quoque *ludimus*. Nec enim dubium hîc cuiquam est, quin quod Regi, idem & Reginæ conueniat, *summũ* scilicet *regimen* in suos, siue de Ecclesiâ, siue de republicâ sint, seu *spirituales* (vt loquimur) personæ, seu *temporales*. *Præcipere* etiam posse & *prospicere* de rebus religionis; *nihilo* autem *minùs* id quàm *Regem* quemcúnque *Christianum*. Nam *prædicandi* munus, vel *sacra mysteria contrectandi*, vel quæ reliqua sunt muneris Ecclesiastici, nec illa attigit vnquam, nec nos vel Reginæ, vel Regi putamus fas attingere; Nec hoc sibi *ius* ex illis quisquam *vendicauit* vnquam, quicquid hîc garriat illustris scilicet ille testis tuus *Sanderus*, mortalium *mendacissimus*, qui Reginam, quasi quid tale tentâsset, ausus est calumniari. At tu, cui toties illud in

ore

ore est, *repetis atque inculcas*: hîc iam, vbi nihil opus, otiosè penitus atque odiosè *repetis* ipse atque *inculcas* iterum atque iterum, ad tædium, nauseam, necem Lectoris: Et de *Iuramento proposito* 1558. & de *mulctâ impositâ* 1559, Sectione vnâ & eâdem, post lineas non multas, cùm semel dixisses; ingeminas rursus, idem ipsum, *repetis*, *inculcas*, nec *repetendi* finem vllum facis, vel *inculcandi*. *Legem* fuisse *latam* dicis: pòst, quomodo *lata* non fuerit, interrogas; Mulctam asseris *impositam*: pòst, quomodo non fuerit *imposita*, quæris. Id, credo, voluisti dicere, non modò *coniectos in carcerem*, sed & *in carcerem coniectos*; nec *mulctatos* tantùm qui *audiebant Missam*, verùm etiam qui *Missam audiebant, mulctatos fuisse*. *Coccysmus merus*, *Tortismus* merus.

Nam de *lectione tuâ rerum nostrarum* quòd ita valde gloriaris: nos te, *Matthæe*, nescimus qui vir sies, de *Torto* quàm multæ lectionis sit, nihil dum accepimus. De Domino tuo facilè credimus, quòd & *legerit* legendas nostras, & ex dono Authorum *legerit*. Nec nos in dubium vocamus an *legistis* illa quæ scripta sunt multa, de nostris rebus; sed *quâ fide scripta* sint, quæ sic *legistis*. A fugitiuis enim nostris falsò & perperam conscripta dicimus; superant ibi *mendacia* paginas, longè superant; certant etiam cum clausulis, vix enim vera in illis clausula. Sed neque potest esse vllo in libro aceruus *mendaciorum* maior, quàm est in *Legendâ illa plumbeâ*, quæ *de persecutione Anglicanâ* apud vos circumfertur. Ibi legas, Catholicos *insutos ferarum pellibus à rabidis canibus dilaniari*; ibi *Glires peluibus inclusos Catholicorum viscera exedentes*; ibi Catholicos *ad equorum præsepia religatos*, *fœno* ibi *pascendos*, nec legas solum, imò & videas; ære enim ibi sculptæ imagines. Falsa, ficta, fucata omnia. Quod si vacet iam, & nisi peccem in Lectoris patientiam, subijcerem hîc *mendaciorum fastos*, quæ in illis sunt; subijciendo facerem, vt vos *lectionis* vestræ, & *memoriæ* pœniteret; dehinc iam vt puderet, atque pigeret gloriari, quàm sæpe illa *legeritis*, vel quàm benè *memineritis*, quæ haud vlli rei sunt, præterquàm vt ignominiæ maculam inurant Authoribus ipsis, ad memoriam posteritatis sempiternam: in quibus *malitia* cum *mendacio* certat, *perfidia* cum *impudentiâ*, summa *stultitia* cum summo *scelere*. Et

hæc

hæc tamen vos *legendo* bonas horas perditis, & ea *lecta* vobis & memori mente recondita in laude vestrâ ponitis. Miseret me vestri: *misit vobis Deus operationem erroris, vt crederetis mendacijs.* At *Lectori* etiam sat iam notæ *omissiones* tuæ, ex ijs quæ prænotata mihi sunt, agnoscit statim, *omittere* te, quæ *dicere* non potes, quòd nulla ibi sint vt possis *dicere*; vt hîc iam *omittis qua Rex ad Edicta Reginæ non pauca addidit. Non pauca* certè; non enim *vlla penitus.* Quæ autem nullâ tuâ industriâ proferre posses: sine te exorem, vt *omittas* semper *de industriâ.*

DIxerat *Apologia, minus iustè Pontificem in Breui suo prohibuisse subditis, quò minùs de obedientiâ suâ erga Regem profiterentur.* Quæris, *vbi hæc prohibitio in Breui habeatur*; *nec dictum esse hoc, nec dici potuisse*; *haud vllam talem prohibitionem in Breui legi: hoc ergo inter falsa, quibus Apologia plenissima est, referendum.* Ita tu. Audi ergo vbi: Hæc Iuramenti verba sunt. *Ego fidelitatem & veram obedientiam Maiestati Regiæ, hæredibus, & successoribus eius præstabo.* Annon hijs verbis *de obedientiâ suâ* disertè *profitentur*? Quid potest esse clarius? Quid Pontifex? Annon & ille sic in *Breui* suo primo; *Admonemus vos, vt ab hoc Iuramento præstando omnino caueatis, idque acriùs exigimus à vobis?* Annon sic in Breui secundo; *Strictè præcepimus, ne vllo modo Iuramentum illud præstaretis?* Iam verò, quæ propria magis *professio*, quàm *Iuramento* dato? Quarè, *profitentur.* Quid autem? *Ego obedientiam Regi præstabo*; Quarè, *de obedientiâ profitentur.* Quid Pontifex? *Admoneo, acritèr exigo, strictè præcipio ne præstetur Iuramentum illud.* Qui *iuramentum prohibet*, quo *professio* fit, is annon *prohibet* quò minùs *professio* fiat? Iuramentum, in quo *professio* diserta est *obedientiæ præstandæ*; qui *admonet*, qui *exigit*, qui *acritèr exigit*, qui *præcipit*, qui *strictè præcipit, vt ne præstetur*; is annon *prohibet obedientiam profiteri?* Quæ hæc vecordia est? An tu *prohibitionem* nullam putas *de obedientiâ præstandâ*, nisi totidem syllabis sic legatur in Breui; *Ego prohibeo vobis quò minùs obedientiam profiteamini?* Quòd si Subdito Sacrosancta tangenti, & dicenti, *Iuro* (est autem illa *profitendi* ratio vel certissima) *Iuro me præstiturum*; Dixerit tum Papa; *Admoneo* verò, *exigo, præcipio, ne iures Iuramentum*; in quo *professio* talis, annon *prohibet profiteri?*

 Multò

Multò ſanè illuſtrior hæc conſequentia: Prohibet *iuramentum*, in quo *profeſsio*; prohibet ergo *profeſsionem*; quàm illa tua, Ex eo quòd iuret ſubditus hoc facturum ſe, *non obſtante excommunicatione* Papæ, *negari* ab eo in Papâ *poteſtatem excommunicandi Reges.* Vides iam, hæc *prohibitio* vbi *habetur*, vbi *legitur, dici potuiſſe, dictum eſſe: mendacio* tuo locum hîc nullum eſſe, referendum proin *ad te*, reponendum *à te* inter tua; ad complendam menſuram *falſitatum* tuarum, confertam iam ſanè & ſupereffluentem.

Proximus eſt tibi locus *Apologiæ*, vbi de Breui dicitur, *multa in eo dici, haud quicquam probari.* Veriſsimum id verbum fuit, nec tu illud auſus es negare, quin fateris ipſe, nihil *probatum* eſſe, dum contendis nihil *probari* debuiſſe. *Breue* enim, *breuem fuiſſe & paternam admonitionem, Theologicam diſputationem non fuiſſe.* Cui, reſponſum à nobis ſuprà, ſemper vbi ratio quæritur, ſtatim clamare *Tortum* requiri à Pontifice, *vt diſputet in ſcholis Theologicis, vt Librum integrum conſcribat.* Clamare autem ſtultè & puerilitèr. Aduertit enim ſcio etiam *extra diſputationem Theologicam*, etiam *in paternâ admonitione*, locum habere *rationes*, miſceri monitis argumenta: & poſſe & ſolere etiam, quaſi aculeos adhiberi à *parentibus*; vbi ſic adhibentur, vbi miſcentur *monitis* rationum momenta, citiùs multò & libentiùs *monitis* obtemperari. Tum, paucis hoc fieri potuiſſe, nec exire tamen res tota in *diſputationem*, ſed *Breue* etiam ſatis breue futurum. Quid, quòd non monet ibi ſolùm, aſſerit etiam: *perſpicuum* eſſe dicit *ex verbis ipſis?* At illi, infirmis fortè oculis ſunt, tale quid ibi non *perſpiciunt*; iuuaret ſaltem caligantes eorum oculos, conſpicillis *rationum* ſuarum. Verùm illud fortè erat: non decet Pontificem ſtilus vllus, niſi *Volumus* & *Iubemus:* vel illud etiam, quò filiorum ſuorum *obedientia* meriti maioris eſſet, *cæcam* eſſe voluit: vel quod magis credibile, commodum imprimis videri Pontificibus *illud dicendi genus*, vbi nihil neceſſe ſit *probationes adiungi.* Ita ſemper, vbi quid probare debet Pontifex, nec poteſt, *Pater eſt* ſtatim; *monitiones* pias ſcribit, in quibus deprecari poteſt, (quod fit in formulis) ne arctet ſe ad onus *probationis.*

Etſi autem rem non neget [*Dixiſſe ibi multa Pontificem; probâſſe*

probâsse nihil] tamen, cùm nihil *probârit*, vt nihil *probâsse* dicatur, non ſuſtinet; ſaltem non ijs verbis, *quæ fuerint Galeni, quæ Auerrois, de Christo.* Fauere linguis oportet, & abſtinere illis, nec Chriſti Vicario ſcilicet tam inclementer applicare. Et quidni *Galeni?* Cardinali, flagitium nullum fuit, in re Capitali *Galenum* authorem citâſſe: Rem magnam latè deducit ex eo; *beneficij loco* ſcilicet *eſſe hæreticis, vt de hac vitâ tollantur*; quaſi faueret *Galenus* Inquiſitioni. Quàm verò iniquè comparatum eſt, illi vt *liceat* rem vitæ atque necis, ex *Galeno* confirmare: *Apologiæ*, tritam omnium ſermone ſententiàm *citare non liceat?* De *Auerroe* autem vt video, tota res in incerto eſt: locum nullum citat, *ferunt*, modò dicit. Verùm non vult neſcire nos, quàm bonus ſit *Galeniſta*, legiſſe libros eius *de pulſuum differentijs*; ibi autem *tale quid* reperit. Sed neque *Philoſophi* nomine *Galenus* intelligendus venit, *Medici* potiùs: & libro, quem apponit, verbum ibi nullum de CHRISTO, libro *tertio* ſcilicet: *ſecundo* autem, quem volebat (credo) apponere, non illa dicit quæ *Tortus*, *dixiſſe multa Chriſtum*; Leges quaſdam memorat modò, Moſis & Chriſti ἀναποδείκτως. Quid faceret? Neſciebat Chriſtum Dei filium, neſciebat *veritatem* ipſam eſſe. Quod ſi *medicus* ille, de eo credidiſſet, quod nos Dei virtute, iam credimus; non quæſiſſet ab eo *demonſtrationem* vllam: quæſiſſet tamen à Vicario fortè, quippe qui *homo* ſit, non *Deus:* nec hæreſis ſit dicere quod ſcripſit ille, qui *contra hæreſes* ſcripſit, [b] *Omnis homo errare poteſt in fide, etſi Papa ſit.* [b] *Alph. de Caſtr. contr. hereſ. l. 1. c. 4.*

Vtut autem fuerit: quicquid de *Auerroe* ſit vel *Galeno*: dictum hoc, *multa dicis, nihil probas*, tam frequens in Scholis, tam familiare, vt nullum magis. Vnde autem in Scholas venerit, difficile dictu; nec tu, credo, vnquam probâris ab *Auerroe* deſumptum hoc, aut de *libris pulſuum*, vel inde in ſcholas profluxiſſe: aut illis omnibus *Auerroen* in mentem venire, qui ea verba proferunt: immò multos ſubinde proferre, qui an tale quid in *libris de pulſuum differentiâ*, imò an vlli libri *de pulſuum differentiâ*, haud ſanè ſciant, ſi interrogentur.

Licet verò etiam, quæ Ethnici *de Chriſto* falsò dicunt, interdum *de Pontifice* verè vel affirmare vel negare. Quid ſi enim *de Chriſto* impiè diceret Paganus quis, Deum non eſſe, homi-

nem merum esse; alter autem hoc idem *de Papâ* diceret; túne subijceres, *Bene habet quod Hæreticus de vicario Christi dicit, quod de ipso Christo Paganum dixisse constat*, aut quasi rē benegestâ apponeres in margine, *En Hæreticus loquitur de Pontifice maximo, sicut olim Ethnici de Christo?* Tum vero; quid; Pontifici tantúmne hîc licere vis quantum *Christo*? Etiámne hoc ipsum inter cætera, vt ei *satis sit dicere, nihil opus probare quicquam, non magis, quàm Seruatori ipsi.* Permitte verò, vt plus hîc aliquid *Christo* tribuere liceat quàm *Vicario*; *Vicarius* ille vester non potest dicere, *Ego sum veritas:* Christus potuit, & dixit. Multum ergo hic interest, *magna hîc pulsnum differentia*; Pontifici non licet esse tam αὐτόπιστ. Et hoc, vt non sumit sibi nisi turpis arrogantia: ita non tribuit illi, nisi turpis adulatio. De quâ, *Theologi vestri* nondum Parasiti, sugillare olim soliti *Canonistas*: iam verò supparasitari & ipsi discunt, & tibi *Theologo Papiensi*, *hæresis est hæc & noua sectariorum opinio*, & siquis dicat, *quadrare Christo multa, quæ Vicario vestro non quadrant*, Hæreticus audit. Non moror hîc lectorem; audi paucis tu: Non est ille *hæreticus*, qui hoc *dicit*: sed ille *blasphemus* qui *contradicit*.

Fingis autem ipse pôst, *fingere Apologiam sibi propositiones, quæ nullo modo in Breui continentur, eas oppugnare, in eo autem Dialecticæ terminos, & leges excedere: assumere enim Breui Pontificio prohiberi fidelitatem erga Principes, quasi ea cum religione & animarum salute pugnet, cùm nihil eiusmodi habeatur in Breui Apostolico.* Non certè in Breui Apostolico; *Apostolorum* nullius vnquam *Breuia* vlla conscripsit; si scripsisset autem vlla, haud vnquam quale hoc vestrum: omnium verò minimè *Petrus*, cuius expressa verba sunt, *de subiectione Regi tanquam præcellenti; id verò, quòd Dei Voluntas illa sit.* Sed neque *Paulus Tarsensis* ille (*Senensem* enim nullum nouimus *Apostolum*) cuius est illud *Breue* breuissimum, *Oportet subditos esse, etiam propter conscientiam*; cuius est illa *paterna monitio*, *Admone illos, Principibus subditos esse, dicto obedire.* Repetenti autem hîc tibi negationem veterem, *non contineri in Breui hoc*, repetenda mihi quoque æquæua responsio, *Contineri*. *Profiteri* enim, qui *iurat*; *prohiberi* autem ibi ne *iuret*: *prohiberi* ergo ne *profiteatur*. *Prohibere* fidelitatem erga Principes, quasi *cum animarum salute*

lute pugnet: qui *prohibet* Iuramentum, quo ſpondetur fidelitas, quaſi *cum animarum ſalute* præſtari nequeat.

Tum *demonſtratum* dicit à ſe, *quid illud ſit in Iuramento, cum religione pugnans, propter quod ab eo abſtineri debeat; quòd ſcilicet abnegetur eo poteſtas Apoſtolica ligandi, & ſoluendi; tum abiurari eo fidelitatem ad Chriſti Vicarium.* Nihil verò horum *demonſtratum* illi, nec vlla vſquam *Torti demonſtratio*, niſi quæ poſteriorum Analyticorum *terminos, & leges excedat.* At hîc iam *de poteſtate Reges deponendi*, nihil mutire audet: conſcius de illâ ſibi, quàm non ſit *Apoſtolica*: poteſtas autem *ligandi* non negatur omnino, omnino etiam nec *ſoluendi*, niſi ſi quem *ſoluerint* Apoſtoli ab officio ſuo. Tum nullam vnquam *fidelitatem* iuratam eſſe; proin, nec abiurari poſſe, ei, quem tu *Chriſti Vicarium* dicis, quem ſic eſſe tamen, nulla nos cogit *fides Catholica* vt credamus, præſertim cùm videamus, in hac *prohibitione* ſuâ, *Antichriſti* potiùs vices agere, quàm *Chriſti. Chriſtus* enim *Domini*, Rex eſt; qui verò quam *Chriſto Domini* Chriſtiani fidem debent, eam vetat exoluere, is *Antichriſti vicarius eſt*; niſi ſit *Antichriſtus* ipſe. *Hildebrandus* certè qui primus hoc *fieri*; *Bonifacius 8.* qui *primus* hoc *credi* voluit, neuter *Apoſtolus* fuit: & quâ id poteſtate fecerunt, *Apoſtatica* fuit, non *Apoſtolica*; vel *Apoſtatica* certè, vel *Apotactica*, quæ ordinem à Deo poſitum, apertè violabat. Cadit enim in Pontificem, *Apotacticum*, vel *Apoſtaticum* potiùs eſſe, quàm *Apoſtolicum*: quo elogio 50. plus minus *Pontifices* [a] *Genebrardus* veſter inſigniuit, per annos 150. ſibi inuicem ſuccedentes.

[a] In ⟨ſ⟩o ſæcul. 10.

Quæ verò ſubiunxit ibi *Apologia* de ſacris ſcripturis teſtimonia, *id falſum probant, non quod finxit ipſe*, (fictio hæc tua eſt) ſed quod *ſcripſit Pontifex*, ſaluâ fide iurari non poſſe in verba hæc, *Ego obedientiam præſtabo Regi. Dixit* olim *Ioſuæ populus*, (etiam, ſi iuſſus, *iuraſſet*) *in omnibus pariturum ſe ei, ſicut & Moſi paruerunt*: paruerunt autem & *Moſi in Eccleſiaſticis.* Non interceſsit tum Pontifex *Eleazarus*, ne *in omnibus*, ſed *temporalibus*: ne in omnibus, ſed ijs ſolùm (vt veſter nunc Pontifex) quæ *ſibi* tum *recta viderentur.* Quodſi quicquam hîc intereſſe putet, quòd *Ioſua* verus Dei cultor fuit, ne in Orthodoxis ſolis, locum habere videatur; *Rex Babel* certè *hæretico par*, nempe *Idololatra*; cui tamen Propheta non mo-

dò non dissuasit populo, sed author etiam fuit *submittendi colla sub iugo eius*, eique *seruiendi*. Idem *Pharaoni* factum, cuius *absq. veniâ*, nec pedem mouere voluerunt de *Aegypto, vt Deo sacrificarent*. Idem *Cyro*, cuius itidem *absque veniâ*, nec excedere Chaldæâ, *vt templum ædificarent*. Quid ad hæc tu? *Probari hinc obedientiam Regibus deberi, etiam Paganis, & vos hoc confiteri*. *Confiteri* sanè, nec finere tamen vt eandem *iurent Principibus*, etiam *Christianis*. *Verbis* hoc quidem *confiteri* est, *factis negare*. Verùm *non probari* dicis *à nobis*, *obediendum Regibus vel Christianis, cùm fieri iubent quod non licet Christianis*. Absit verò vt *probetur à nobis, quod nobis nullo modo probatur*. Sed quid? Cùm iubet iurari sibi obedientiam Rex, ídne fieri iubet, quo facto Christianis non licet esse? Prorsus ergo reijcienda responsio ibi tua. Nec enim in Iuramento, Rex *idola coli*, vel *thurificari*, vel *præponi se Deo* iubet, sed *ire* solùm *contra gentem perfidam*, salutis suæ hostem capitalem, etsi immissam à Pontifice, *cum opus erit*; & interea *dum erit*, ad tale se. iter paratos fore *profiteri*.

Denique *obedire vis Regi terreno, dum ne iubeat quod Regi cœlesti displiceat: hoc autem inprimis displicere, vt vicarij sui potestas negetur, vel vt ad alium transferatur*. Sed quid tu de *Rege cœlesti* verba facis, quasi vnum modò *vicarium* habeat? Multos habet. Nam & Reges ipsi in regnis suis, Regis cœlestis *vicarij* sunt, aut nos fallit *Eleutherius* vester: Sic enim ille *Lucio* olim Regi nostro, Regum Christianorum primo, [a] *Vicarium Dei illum in Regno suo*. Aut nos fallit *Anastasius* Papa: Sic enim ille, ad *Anastasium* Cæsarem. [b] *Præstantia vestra, quam velut Vicarium præsidere Deus iussit in terris*. Duo Papæ, duos Reges, *Vicarios* dixerunt. Nec minùs ergo Deo displicet, si *Regi Vicario suo* potestas detrahatur, si quæ debetur illi (quod vos fere facitis) in *Papam* vestrum transferatur, nec minùs illi displicent, vestræ, Pontificis vestri, *in Reges* contumeliæ. Alter iam error est, quòd ita videris de Papâ sentire, quasi de eo solo sollicitus sit Deus, & quid reliquis illis fiat, non magnopere curet; tantùm vt suus *Papæ* honor constet, cætera, vtcunque feret, non iniquo animo: Vnum hoc, si *Papalis potestas* vllâ ex parte minuatur, excandescet ilico. Attrahi enim vult *ad Papam*, quoad fieri potest, *detrahi* nihil ab illo:

Aliena

[a] Leg. Edw. Conf. cap. 17.

[b] Epist. ad Anast. Cæs.

Aliena *transferri* in illum, id non grauatè feret: Illius *nihil* in alium quenquam *transferri*; id enim mirificè displicebit.

Sed cùm ita de Papâ loqueris, quasi solus is sit *Dei Vicarius*, an nescis existere, qui nec omninò *Vicarium* (nedum vt *solum*) agnoscant, nisi *lectum à se*, *à seipso* sic *baptizatum*, quémque haud vllus Patrum illo nomine aut *nominet*, aut agnoscat ab vllo sic *nominatum*? Neque verò dabunt, quòd *constituit eum Christus super familiam suam*. Ad quid enim? Nónne *vt escam daret*? At certè diu iam est, cùm *escam nullam dedit familiæ*; nec *pauit verbo*: Quin neque vel *verbum* ijs permisit, quo ipsi se *pascerent*. Tùm, si *Vicarius* sit etiam, at id tamen vsuuenire, vt [a] *crebrò Vicarius non sit tantæ authoritatis, quantæ est superior, cuius est Vicarius*. Sed neque *de hoc*, erit nobis lis vlla tecum, nihil opus; verè enim hîc de *potestate* agitur *regna transferendi*: *Vicarij* autem hæc non est; non enim fuit Christi ipsius: si & ille *Vicarius* esset *Christi*, quem tu maximè vis; Non est (inquam) *Vicarij*; non eius est, qui *relictus in terris*; non enim Christi fuit *dum fuit in terris*: Non eius *quem super familiam constituit*; non enim illam ipse *Paterfamilias* vnquam habuit. Paucis rem accipe. Quæ *negatur* illi *potestas*, ea *Vicarij* non est; quæ verò *Vicarij* est, ea *non negatur*.

[a] Io. Maior. dist. 24. Qu. 3. concl. 3.

AD Patrum *testimonia sex*, semel respondet & simul: nec vacat ei excutere singula: Pungebant, credo, hominem, quare quàm potuit leuiter, attigit; quàm potuit celeriter, transijt. Concedere se dicit, quod ex ijs probatur, *deberi Principibus infidelibus, à subditis etiam fidelibus obedientiam*. Concedere quidem, at *si Papa eos soluerit, expungi* statim *debitum* hoc ex *tabulis*, nec pòst Principibus *deberi* quicquam, quantumlibet etiam *fideles* sint. Verùm & in illis, quæ dicit *concedere* se, vide quàm per omnia, egregiè tergiuersetur. Non enim *vestri homines*, si diceretur illis, *Producite aciem, ite contra aciem Pontificis fulminantis*, obtemperarent, scio, *omnes*, quin terga darent multi, quasi *Augustinum* non audirent. 2. Nec vos cum *Tertulliano* Regem *à Deo secundum*, quin *tertium* modò, nec *Solo Deo minorem*, quin & Deo & Papâ etiam, *Domino Deo vestro*. 3. Nec cum Iustino *læti inseruitis Principibus*, sed (quod de *Gregorio* pòst asseris) *volentes nolentes*; *viresq́;* vobis, non *animus* deest à seruitute vos istâ *vindicandi*. 4. Tum &

alia

alia vobis *arma* sunt, quàm *Ambrosiana* lacrymæ. Aquæ verò illæ: ignis autem & sulphur vobis sunt, eisque aliter, quàm *Ambrosius*, vestri homines *debere* se putant & *posse resistere*. 5. Nec cum *Optato*, super Imperatorem dicitis non esse *nisi solum Deum qui fecit Imperatorem*; sed & alium, vel hominem, vel *nec Deum nec hominem*, *sed inter vtrumque*, *semiuirumque* Deum, *semideumq́, virum*. 6 Nec *Serenissimum* vel *Piissimum Dominum suum* dicere sustineret Imperatorem Pontifex vester, nec *accipere* vel transmittere alijs, leges vllas illius, nec *præbere illis obedientiam*. Imò & *Leges & Reges*, vestri sublatos pariter voluerunt, etiam *fundamenta* quoque, *parietes & tecta*, vbi *leges* feruntur. Omnia hæc vestri illi. I nunc & dic, à vobis concedi, à vobis minime negari, quæ Patres isti asserunt, cùm *sententijs* eorum *singulis*, *praxis* vestra *in singulis* contraueniat.

At etiam ad *Gregorij* verba respondere voluisti. Quanto meliùs ibi tacuisses? fassus ille, subiectum se *Mauritio* Imperatori & obsequentem: tu, non *sponte fassum*, non id ab eo *sponte factum* videri vis; sed vt faceret *vellet nollet*, coactum esse. Præclaram verò narras *Gregorij* subiectionem, si non alia fuit quàm *volenti nolenti* expressa per vim. Hæccine *Gregoriana* illa *obedientia*, quam tuis, credo, proponis imitandam *Apostoli sui*? Parum verò *Apostolica*: aliam enim longè Apostolus obedientiam vel *Paganis Dominis* præstari iubet, [a] *ex animo, sicut Domino, & non hominibus*, & [b] *in simplicitate cordis, sicut Christo*. At *Tyrannus fuit Mauritius etiam, vt Nero*. Primùm nec hoc dignum *Gregorio*, quem in *Epistolis Serenissimum*, eum in *Commentarijs Neronem* appellare. Sed fuerit sanè; At si *debita* vel infidelibus obedientia, (& tu *debitam* dicis) *sponte* illa quidem *exhibenda* erat. Quid ego tibi verba redigam in memoriam *Petri* ipsius, *non tantùm bonis & benignis*, *sed etiam Dyscolis*; *Pauli*, *non solùm propter iram*, *sed propter conscientiam*, vt se dixit *Iustinus*, vt suos, *lætos inseruire Cæsari*, non vt vos *Gregorium* dicitis, *inuitum & gementem*? Quin *Gregorij* ipsius mens alia longè, cuius hæc sententia est: [c] *Patientia vera amat quem portat. Nam tolerasse, sed odisse, non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris*. Hæc quoque non minùs ad rem. [d] *Plerumq́, ideo patientes videmur, quia retribuere mala non possumus; sed qui* idcirco

[a] Coloss. 3. 23.
[b] Ephes. 6. 5.
[c] Homil. 7. in Ezech.
[d] Homil. 35. in Euangel.

idcirco malum non retribuit, quia nequaquam valet, proculdubiò patiens non est.

Multum verò tibi debet *Gregorius*, qui illum ita vel *meticulosum* facis, vel *iniuriosum*: si vel *nolens* paruit Tyranno in eo quod illicitum sciret, *meticulosum*: vel si licitum fuit, *iniuriosum*, quòd volens non paruit. Sed & *mandatum* illud *non illicitum*, & ille *volens paruit*; & tu *insignis calumniator*, ac in *Gregorium iniuriosus* certè, cùm impingis ei hanc culpam. *Purus enim ille in omni quod locutus, in omni quod egerat.* Quod si iam, ita *subiectus* fuit, vt tu vis, *volens nolens*, *purus* certè non fuit: *purum* enim, quod nihil alieni habet; nec *pura* esse potuit *voluntas* eius, si sic (vt ais) admixtam habuit *noluntatem*, nec *quod debuit, vt debuit*, exoluit, si ita malo animo exoluit. Magnam verò etiam inibis à Pontifice gratiam, si sic Prædecessores illius *Summi Pontifices* tractentur à te, vt eos subiectos neges vnquam, nisi *velint nolint*. *Nolle* enim, quod ad se attinet, *cogi* tamen interdum *vt velint*, cùm *vires desunt eis*, *adsunt Cæsari*; nec vllam ab ijs subiectionem expectandam fuisse, nisi *vellent nollent*, eam præstare *cogerentur*. Nec sese contumelia hæc sistit in *Gregorio*; ad reliquos etiam redundat Christianos omnes, quos ex illius ingenio iam omnes metientur, *nempe*, [a] *Vt sacerdos, ita populus.* Quanta verò infamiæ macula, omnibus inuritur, si hoc ita detur, si itidem vt hic, illi, palpabant Epistolis, sugillabant Commentarijs, si obedientiam nullam exhibebant, nisi *vi adhibita? Dæmonum* illa quidem potiùs est, quàm *Christianorum*: nam & Dæmones sic obsequuntur, *frementes & frendentes, velint nolint.* Vbi verò laus illa Christianorum propria, in nascente Ecclesiâ, obedientiæ tam *sinceræ*, vt nec hostes *calumniari* possent; patientiæ tam *spontaneæ*, vt & hostes *admirari* cogerentur? [a] *Esa.* 24. 2.

Mihi autem pro certo id constat, si hanc, quam *Gregorio* insuisse ais indolem, in *Martyribus* illis priscis deprehendissent Imperatores *Ethnici* qui tum rerum potiebantur; si *Tortus* tum extitisset interpres, *quo* Christiani illis *animo* obedirent; explosa olim *fides nostra*, extinctum fuisset *nomen Christianum*, nec de tot millibus Christianis, Christianus vel vnus superesset: plurimùm autem id merito suo. Quem enim illorum misereat? Nempe qui genus hominum sint, qui nec

agere quid velint, nec *pati*, nisi *cùm aliter non possint*, qui nihil *agant* ingenuè, qui eo animo sint, vt quicquid *faciunt*, *per vim faciant*, non *facturi si abesset* modò *vis*; quicquid *patiuntur*, *velint nolint patiuntur*, non *passuri*, si *adessent* illis *vires* resistendi. At nec hoc, vel exemplo CHRISTVS docuit, vel præcepto. Non exemplo, qui ipse *volens etiam oblatus est*; non præcepto, qui *cum angariante nos mille passus*, *vltrò*, *duo millia iussit*
a 1.Pet.5.2. *vadere*. Non hoc à *Petro* habuit *Gregorius*, cuius illud,[a] *Non co-*
b Ephes.6.7. *actè*, *sed spontaneè*: Non à *Paulo*, cuius illud,[b] ἐκ ψυχῆς μετ' εὐνοίας *ex animo cum bona voluntate seruientes*. Tota denique praxis repugnat Christianorum veterum, quorum in *cruce* gloria, in *martyrio* triumphus, qui *lęti lubentes* vitæ munia obibant, quamdiu *poterant*; quando autem iam *non poterant*, mortem etiam non minùs, vel *lęti vel lubentes*. Odiosus ergo homo es, *Matthæe*, *velis nolis*, cum tuo hoc odioso theoremate, *quomodo* Pontifices *paruerint* Tyrannis, *volentes* scilicet *nolentes*, vt Discipuli *Dæmonis*, non CHRISTI. Et iustior quidem multo causa est, vt *Tortus*, vel qui sub *Torto* latet, *Christianus* nec *sit*, nec *habeatur* à quoquam: quàm, quem ille pòst *Christianum* negat: Ille (inquam) vt sit, *Tortus* ne sit *Christianus*, qui hæc ita scribit de *Christianis*, tam vel *homine* indigna, vel *nomine* Christiano.

Auertit verò subditos Pontifex ab obedientiâ, & hoc in *Breui* eius legitur. Legitur enim in *Breui*, *Iuramentum* de præstandâ obedientiâ; in eodem *Breui* legitur, *acris exactio*, *stricta præceptio*, *de Iuramento illo non præstando*. A *præstando* autem Iuramento, de *præstandâ* obedientiâ, qui *auertit*, annon is *auertit ab obedientiâ?* Nec ea *summa Breuis* est, quam dicis, in quâ nec *de potestate Vicarij* CHRISTI verbum vllum: potestas autem *de fide Catholicâ* non est, nec *licita* est, nec *ciuilis*, quæ ibi abiuratur.

AD Concilia te sequor, vbi illud te malè habet quod dicitur, *Concilia etiam tota Episcoporum*, *Regibus fuisse subiecta*. Dicitur certè, & probatur. Nam *præsentare* ea Principi *supplenda*, *emendanda*, *perficienda*; id demum, cuius sano, *subijcere* est. Quid ergo hîc nobis refers, *egisse ibi multa Patres de negotijs politicis*, *statuisse multa*, *de Clericis*, *Laicisque*, *quæ sine Imperatoris prouidentiâ executioni mandari non poterant?* Dic primùm,

mùm,quare, fine Imperatoris *authoritate*, non dicas: *authoritate* enim, non *prouidentiâ mandari* solent leges *executioni*. Tum & illud dic etiam; annon aliud longè, [a] *supplere, emendare, perficere*, quod illi petunt; aliud *executioni mandare*, quod tu somnias? *Adiutorio perficere* id fortè est, *mandare executioni*: at *prudentiâ supplere*, *iudicio emendare*, id quidem non est exequi, nec *executioni mandare*, nisi *Tortus* aliquis interpres hic sit. [a Arelat. 4. cap. 16.]

Quæ verò *politica* illa quæ dicis? De *sex* enim illis, quæ enumeras, *quatuor*, quæ de *Presbyteris & Episcopis* sunt, *ad politica* referri nõ possunt: illa tantùm possunt, quæ *de mensuris*, & *de rebus pauperum*, id est, *duo* tantùm de *sex*. Subiungis tandem satis pro authoritate; *De hijs & similibus loqui Patres, cùm Imperatorē rogant, vt velit Decreta Cõcilij supplere, corrigere, perficere*. Quî scis de *hijs* & horũ *similibus* loqui tantùm? Vnde habes? Vbi legisti? Quis tibi suggeſsit? Quàm est hoc maius quiddam, quàm *Sacellano* fas, sic authoritate suâ nudâ & solâ res transigere tanti momenti? Ergonè *sex* ista solùm Imperatori præsentata? Ergone sine cæteris? annon & reliqua cum hijs omnia? Negari nequit, aperta verba sunt; omnia *mittunt*, omnia *præsentant*, omnia subijciunt. Quòdsi autem in alijs præter *sex istos*, aliquid *minùs*, aliquid *secus* se quàm ratio haberet, illa non *attingeret*, nefas illi *supplere* quicquam, nefas *corrigere*, nihil in illis *prudentiæ* eius, nihil *iudicio*, nihil *adiutorio*, permissum? Et cui fidem feceris hæc ita esse? Habesne fortè αὐτόγραφον Concilij illius, vbi appositi vel asterisci, vel obelisci, ad vel *duos* vel *sex* istos Canones: qui, quot ex illis *subiecti* Imperatori fuerint, quot verò *excepti*, indicarent, qui significarent ei, *Illos*, si voles, *sex Canones, supple, corrige, perfice*: cum *reliquis*, nihil tibi negotij sit? Vnde ergo fides ei, quod dicis? non alia, quàm hæc; *Tortus dixit*. Concilium dicit; [b] *De rebus spiritualibus se ora diffundere*: Tortus, *De politicis*. Concilium [c] *Capitula sua* dicit *esse de Ecclesiasticâ Disciplinâ*: Tortus *de negotijs ciuilibus*. Concilium dicit, [d] Hæc quæ *emendatione digna* perspexerat, Imperatori pręsentanda decernere: Tortus dicit, non *hæc*, sed *sex* de hijs, *sex de viginti sex*, cætera *non decernere*. Vtri credimus? [b Tom. 3. pag. 679.] [c Edit. Ven. Ibid. pag. 680.] [d Pag. 682.]

TVm, quod de alijs illis *Carolinis quinque*, quod de *primis quatuor Generalibus* dixit Apologia, *Imperatoris authoritate conuenisse*; illius sc prudentiæ, & pietati *submisisse*: id vitio vertis, *quòd verba relata, loca notata non sint*. Breuis esse voluit; ni vellet, procliue illi *notare loca, referre verba*, quod me nunc non pigebit facere: perfacile enim factu est. De *Carolinis* quinque, *mandato* illius *congregata esse*. Cabilonense; [a] *Auxiliante Domino nostro Iesu Christo, & imperante Carolo Serenissimo & inclyto Augusto, conuenimus in vrbem Cabilonensem.* Moguntinum; [b] *Venimus*, secundùm iussionem vestram *in Ciuitatem Moguntiam*. Rhemense; [c] *In conuentu* à Domino *Carolo pijssimo Cæsare* more priscorum Imperatorum congregato. Turonense; [d] *Quod à tanto Principe* nobis iniunctum est, *ad statuta loca conuenimus*. Francfordiense; [e] Imperij eius (*nempe Caroli*) decreto, per *diuersas prouincias Regni eius ditioni subiectas, summâ celeritate præcurrente, multitudo Antistitum* sacris obtemperando præceptis, *in vno collegio aggregata conuênit*.

a Tom 3. pag. 686.
b pag. 693.
c pag. 700.
d pag 682.
e pag. 642.

Submisisse autem *se*. Cabilonense; [f] *Capitula quæ subter inserta sunt Domino Imperatori præsentanda, & ad eius sacratissimum* iudiciũ referenda, *adnotauimus, quatenus eius prudenti* examine, *ea quæ rationabiliter decreuimus*, confirmentur; *sicubi minùs aliquid egimus, illius* sapientiâ suppleatur. Moguntinum; [g] *De hijs tamen omnibus* (Imperatorem alloquuntur, quem ibi *Rectorem religionis*, & *Sanctæ Dei Ecclesiæ defensorem* nominant) *valde indigemus vestro adiutorio, atque sanâ doctrinâ, quæ & nos* iugiter admoneat, *atque* clementer erudiat, *quatenus ea quæ paucis subter perstrinximus Capitulis*, à vestrâ authoritate firmẽtur, si tamen vestra pietas dignum esse iudicauerit; *& quicquid in eis emendatione dignum reperitur, vestra magnifica Imperialis dignitas* iubeat emendari, *vt ita emendata, nobis omnibus, & Sanctæ Christianæ plebi, & posteris nostris proficiant ad vitam & salutem.* Ex hijs autem, quæ mens fuerit *Arelatensis* suprà citati, cuiuis facilè constabit. Turonense; [h] *Hæc nos in conuentu nostro ita ventilauimus, sed quomodo deinceps pijssimo Principi nostro de hijs agendum placebit*, nos fideles eius famuli libenti animo ad nutum & voluntatem eius parati sumus. Francfordiense; Quòd

f pag. 686.
g pag. 693. 694.
h Tom. 3. pag. 686.

ibi disertis verbis dicitur, [i] *præsidente & præcipiente Carolo* congregatum; *Carolum* congregationi ibi Sacerdotum, auditorem & *arbitrum* assedisse: locutum de causâ fidei, prolixo sermone; etiam post Romanum Pontificem loco *primo*, Episcopos Italiæ *secundo*, Germaniæ, Galliæ, Britanniæ *tertio*, *quarto* loco [k] consensum suum scripto subnexuisse: denique cuius & illa verba sunt, [l] *Decernimus & Deo donante decreuimus, quid esset de hac inquisitione firmiter tenendum.* Erat autem causa fidei contra *Eliphandum Toletanum*, qui Christum filium Dei adoptiuum asseruerat.

Refero iam *verba, loca* etiam *cito*, Conciliorum *quatuor Generalium*, è quibus, illa constet Imperatorum *authoritate conuocata.* Nicænum. 1. *Constantini* authoritate ex *Concilij* ipsius *Synodicâ Epistolâ.* [a] *Conuocata est, Dei amantissimo Rege Constantino congregante nos ex varijs vrbibus, & prouincijs.* Constantinopolitanum primum, *Theodosij* Senioris, ex *Concilij* ipsius *Epistolâ.* [b] *Conuenientes secundùm rescriptum pietatis tuæ*; & ibidem, *literis vocationis tuæ Ecclesiam honorâsti.* Ephesinum, *Theodosij* iunioris & *Valentiniani.* Et quia pauca quædam ex eo verba causatur adiecta, sciat extare ibi plurima, nec in vllo Concilio plura. Nam & Imperatores iubent, suo [c] *Oraculo cogi*; & Concilium *septem Epistolis*, *septies* fatetur se, [d] *nutu authoritatis vestræ coactam*, & alijs multis, [e] *secundùm oraculum, mandatum, rescriptum*, *toties*, verbis tam disertis, vt nihil *Ephesino* clarius, nihil planius. Chalcedonense, *Valentiniani & Martiani*; Quod, præterquàm frons ipsa loquitur, [f] *facta est Synodus ex decreto piissimorum & fidelissimorum Imperatorum Valentiniani & Martiani.* Conciliū quoq; ipsum Epistolâ suâ fatetur; [g] *Sancta & magna Synodus, secundùm Dei gratiam, & sanctionem vestræ pietatis congregata.* Tum & *in definitione ipsâ* expresse idem habetur, & ab Illis denique [h] *missionē petunt*, vt & *Ephesini.*

Possent & *quatuor* alia hîc *Generalia* subiungi, nisi tu hoc non postulâsses; pòst, vbi postulas, faxo vt & illa habeas.

Submisisse autem *sese* Imperatori, ab eóque *confirmationem* suam habuisse, *profero* tibi *verba*, *cito loca.* Nicænum à *Constantino*; [i] *Et Synodi Decreta confirmans consignauit.* Constantinopolitanum, *à Theodosio*; Ex ipsâ Concilij ad Eum Epistolâ,

[i] Tom. 3. pag. 646.
[k] Pag. 657.
[l] Pag. 658.
[a] Συγκροτηθέντων τῶ θεοφιλεστάτε βασιλέως Κωνσταντίνε συναγαγόντος ἡμᾶς ἐκ διαφόρων πόλεων καὶ ἐπαρχιῶν. Socrat. li. 1. c. 9.
[b] Συνελθόντες κατὰ τὸ γράμμα τῆς σῆς εὐσεβείας. τοῖς τῆς κλήσεως γράμμασι τὴν ἐκκλησίαν τετίμηκας.
[c] Θεσπίσματι κατηπείχθης. Pa 99.
[d] Νεύματι ὑμετέρω κράτους συναχθεῖσαν. Id. pa. 201.
[e] Κατὰ τὸ θέσπισμα, πρόσταγμα, γράμμα. Id. pag. 202. 177.
[f] Tom. 2. pag. 129.
[g] ibid. pag. 283.
[h] ibid. pa. 288.
[i] καὶ τὰ τῆς συνόδου δόγματα κυρῶν ἐπεσφραγίζετο. Euseb. lib. 3. de vita Constant.

pistolâ. [a] *Necessariò quæ facta sunt in Sacrâ Synodo, ad Pietatem tuam referimus. Petimus autem vt Clementiæ tuæ Scripto confirmetur Synodi sententia, & quemadmodum honorâsti nos literis tuis cùm huc conuocares: ita & eorum quæ decreta sunt clausulam velis etiam obsignare.* Ephesinum, à *Theodosio* & *Valentiniano*, ex Concilij ipsius Epistolâ. [b] *Vnde confugimus omnes ad Authoritatem Pietatis vestræ, petentes, vt quæ contra Nestorium acta sunt, eosque qui cum eo desipiunt, habeant vim suam atque robur; quæ verò ab illis qui Nestorium vindicant, vacua sint atque irrita.* Chalcedonense à *Martiano*. [c] *Sacro nostro Serenitatis Edicto venerandam Synodum confirmantes.* En tibi *loca*, en *verba.*

Fateris autem *iussu Imperatoris congregata Concilia*, sed addis, *interdum.* Dele verò *interdum*, vel designa nobis Generale vnum aliquod, de primis illis *octo*, & doce, *absque Illius iussu* conuocatum. Sed nec *interdum* etiam vis factum hoc fuisse ab Imperatore, *nisi in executionem mandati summi Pontificis.* Vbi, quid tu *summum Pontificem* crepas, vel *mandatum* eius, vel *Executorem mandati Pontificij Cæsarem?* Nullum tum quidem *Pontificis mandatum*, quin submissa supplicatio; nec *Pontifex* tum *mandauit*, sed *Cæsar*; nec *Cæsar* executus est, sed *Pontifex.* Quin nullus tum *Pontifex summus*; Episcopus tantùm *Romanus*; paruus ad *Romanum tum habebatur respectus:* Alij Episcopi illum tum, *fratrem*, & *coëpiscopum* nominabant. Ita tum *Cyprianus* Episcopo Romano scribit; [d] *Cyprianus fratri Cornelio.* Ita *Dionysius Corinthius Stephano* & *Sixto*, [e] *frater mi.* Ità *Marcellus Iulio*, [f] *Comministro.* Ità *Iohannes Constantinopolitanus, Hormisdæ* [g] *fratri.* Carthaginenses, [h] *Innocentio*, [i] *Bonifacio*; Ephesini [k] Cælestino *fratribus suis, Comministris suis.* *Frater* autem, *Consacerdos, Comminister, Coëpiscopus*, societatis sunt, & æqualitatis nomina; *Summitas* ibi nulla. Quid autem narras nobis *Mandati Pontificij executionem?* Etiamne Imperator tum *accensus* Pontificis, vel *mandatarius?* imò, *Cæsarei tum mandati executor Pontifex, Imperatoris Domini sui seruus humilimus*; (vt *Gregorius* sæpe de se) non *Cæsar* Pontificij? Nam *Gregorium Mauritij* leges *transmitti curâsse*, & *mandâsse executioni*, tu ipse paulò antè non negabas. At, credo à *Mauritio*, vt sua *mandaret executioni* haud vnquam postulâsse, certè nunquam Illi eâ de re *mandatum* aliquod

a ἀναγκαίως τὰ πεπραγμένα κατὰ τὴν ἁγίαν σύνοδον πρὸς τὴν σὴν εὐσέβειαν ἀνηνέγκαμεν. Δεόμεθα δὲ ἵνα τῇ σῇ ἡμερότητι γράμματι τῆς σῆς εὐσεβείας βεβαιωθῇ τὰ ψηφισθέντα, ὥσπερ τοῖς σοῖς καλέσας γράμμασι ἡμᾶς ἐτίμησας, οὕτω καὶ τῶν ἀξιωθέντων ἐπισφραγίσαι τὸ τέλος.

b Ὅθεν κατεφύγομεν ἅπαντες ἐπὶ τὸ κράτος τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας, δεόμενοι τὰ μὲν κατὰ Νεστορίου πεπραγμένα, καὶ τῶν τὰ Νεστορίου φρονούντων ἰσχύειν τὴν ἰδίαν ἰσχύν, τὰ δὲ παρὰ τῶν ἐκδικούντων μένειν ἄκυρα καὶ ἀργά. Gela.Cyrc. pag.102.

c Tom. 2.pag. 259.

d Concil.Tom 1 388.

e Euseb. 7. 59.

f Epiphan.hær. 22.

g Tom. 2. 515.

h Tom. 1.788.

i Tom 1. 841.

k Tom.1.1087.

liquod *decesse*. Iubeat verò vel iam, *Cæsari*, *mandatum* suum *perferre vel exequi*; frustra, opinor, faciet. At quantus tum *Cæsar*, præut nunc est, quot regnorum Dominus, quàm potens? Imperator verò, vt tum *mandata* Pontificis exequeretur? Pontifex, vt tum *mandaret* ei de Concilio conuocando? Audi qualia *mandata*: audi autem de *Leone* ipso Pontifice, non, credo, inter Pontifices animi abiectissimi. Sic ille, *tribus* Imperatoribus, *Theodosio*, *Valentiniano*, *Martiano*, Mandatarijs scilicet suis. *Theodosio*. [a] *Ecce ego (Christianissime & venerabilis Imperator) cum consacerdotibus meis, implens erga Reuerentiam Clementiæ tuæ sinceri amoris officium*, obsecramus, *coram vnius Deitatis inseparabili Trinitate, & coram Sanctis Angelis Christi, vt omnia in eo statu esse iubeatis in quo fuerunt, donec maior ex toto orbe sacerdotum numerus congregetur*. Et paulò pòst. *Omnes partium nostrarum Ecclesiæ; omnes mansuetudini vestræ* cum gemitibus & lacrymis supplicant *Sacerdotes*, *vt Generalem Synodum* iubeatis intra *Italiam* celebrari. Qui & ita scribit, *Augustæ*. [b] *Quod vt obtinere mereamur, pietas vestra* supplicationem nostram, *apud clementissimum Principem dignetur afferere*. Etiam Clero *Constantinopolitano*. [c] *Et quoniam oportet vos, post diuinum auxilium, etiam Catholicorum Principum gratiam promereri*, humiliter & sapienter exposcite vt petitioni nostræ *quâ plenariam indici Synodum postulamus, Clementissimus Imperator* dignetur annuere. Nec hoc modò, sed & [d] *Valentinianum Imperatorem, & Eudoxiam vxorem eius, ad memoriam B. Petri, cum multis Episcoporum*, genibus prouolutus Romanus Pontifex deprecatus est, *vt Imperatorem Theodosium hortarentur, aliam fieri Synodum*. Audis iam hîc mandatum nullum, sed *petionem, deprecationem, supplicationē, vt iubeat Imperator*. Ostendo ibi *obsecrantem, cum gemitibus & lacrymis supplicantem*, idque *genibus prouolutis deprecantem*: Quæ voces, quique habitus parum illi congruunt, qui *Mandatario* suo, *mandatum* suum tradit *exequendum*. Sed neque sic tamen, obtinuit *Leo*. Nec enim intra *Italiam* indictum est tamen, sed *Ephesi* à *Theodosio*: *Niceæ* primùm, pòst autem *Chalcedone*, à *Martiano*. Dispunge ergo quæ de Imperatore ibi scribis, *in executionem mandati summi Pontificis*. Nimis enim certè inepta sunt.

Citas deinde nescio quid, de *Epistolâ* (vt aïs) *scriptâ ad Damasum*

b Epist. 24.

c Epist. 26.

d Epist. 23.

e Breuiar. Liberat. cap. 12.

masum à Concilio 2°. Generali: id autem, vt doceas, ad Pontificem propriè pertinere *ius Concilia conuocandi*. Sed primùm, (vt suprà citaui) illud ipsum Concilium *suâ* ad Theodosium *Epistolâ verâ & genuinâ*, contrarium eius, quod tu hîc ponis, testatur. Tum, quod vnum est in *sententiâ quam citas*, in rem tuam, *verbum operatiuum*, *ex mandato literarum*, nullum ibi est in Epistolâ: [illegible] ibi dicitur, de mandato, non apex ibi vllus. Tum denique, agnouit errorem suum Dominus tuus, *in* [a] *Recognitione* nuperâ *librorum suorum*, *illam* scilicet (vnde hoc, quicquid id est, citâsti) *Epistolam non esse secundæ Synodi Generalis*; *nec ex eâ* igitur *probari secundam Synodum indictam fuisse, iussu Damasi*. Tu etiam, quem *ex eo* hausisti, cum *illo* itidem errorem tuum *recognosce, & depone*: nec proba, *conuocatum esse Concilium mandato Damasi*, ex epistolâ Concilij; cùm nec *illa* iam *Epistola Concilij* sit, nec si esset, ibi *de mandato* verbum vllum.

[a] Pag 46.

Sed si ita est, vt dicis, cur non ante *annum* demum *millesimum* & penè *centesimum* intra *Italiam*, inque ipso *Laterano*, *Concilium* vllum *Generale* habitum est, si solus Pontifex *propriè potestatem* habet Concilia indicendi? Cur *Constantinopoli* quatuor, *Niceæ* duo, *Epheso* & *Chalcedone* singula; *Romæ* nullum? *Trahere*, dicunt, *id quod magis dignum est, ad se, id quod minùs dignum*. *Dignior* tum *Imperator* ad se *traxit Pontificem*, ad Sedem suam, ad loca sibi propinquiora; idemque hoc Pontifex pòst, excusso demum *Cæsare* Pontificalior iam factus, sed non antè, factitauit. De *altero*, verò quod *petijsse* dicis *Concilia ab Imperatore*, *vt decreta sua protegeret, & mandari executioni curaret*: tute ergo authoritatem *protegendi* & *exequēdi* non negas ab Imperatore, accipi; nec sine Illo *executioni mandari* posse, id est, *perinde esse, ac si non essent*. Sed serò hoc iam nimis; vides enim petijsse non *protectionem*, aut *executionem*, sed *ratihabitionem*, *confirmationem*, [illegible], quasi, *sine Illis*, non *nuda*, sed *irrita* futura, nec *executionem seram*, sed *vim* planè *nullam* habitura.

Hîc verò, vbi de *Concilijs* modò *conuocandis* & *confirmandis* agitur, etsi nobis lis nulla de Regiâ in Ecclesiasticis potestate, idque *initio* statim *professi sumus*, etiam *iam* quoq; *contendimus*, Primatu illo intacto, Iuramentum constare posse:

posse: tamen exorari non potest *Matthaeus*, quin in campum exeat illius controuersiae: & vbi quaestio nulla nobis eâ de re, obtrudat tamen nobis testes minimè necessarios. Explicare scilicet voluit opes suas, & ostendere quae habebat in Aduersarijs suis: habebat autem ibi ad hanc rem nonnulla, si incidisset alicubi: iam quia non incidit, occasionem arripit non valde idoneam, ea, quoquo modo proferendi. Vult enim Lectorem videre, quàm Cupressum pingat elegantèr. Ne tamen sibi dicat *non responsum ad singula*, audiamus sanè, atque excutiamus *illa*, quantumuis iam *putida*.

1 Quaerit *Athanasius* grauis Author inprimis, *Quando à condito aeuo auditum, quòd iudicium Ecclesiae authoritatem suam ab Imperatore accepit?* Quando? Nunquam certè; *Iudicium Ecclesiae* à verbo Dei, à veritate ipsâ, *authoritatem suam* semper *accepit*; non ab *Imperatore*, non à Pontifice, non à mortali quoquam: nec secus, Rex quisquam pius vel Imperator dixerit. Sed hoc, tum demum locum habet, si de *authoritate intrinsecâ* dicas: De *externâ* enim si sensus sit, [vt nempe *Canon* Ecclesiae vim *Legis* habeat,] haud quisquam sanae mentis negabit, *ab Imperatore authoritatem accepisse Ecclesiae iudicia*. Ei rei, abundè fidem faciunt, quae de Conciliorum Decretis, suprà iam à nobis, etiam à *Torto* ipso, allata sunt.

2 Intercedit *Osius*, & dicit, *Ne praecipe nobis in hoc genere, sed ea potiùs à nobis disce*. Multùm autem interest, *Quis*, *Cui* loquatur. Cui hîc loquitur *Osius*? *Constantio*, scilicet Imperatori. *Constantius* autem qualis? totus, quantus quantus, *Arrianus & pro Arrianis*; tam verò, sine iudicio, *vt nouies* mutârit fidem, *nouem fidei diuersas confessiones* ediderit; tam arrogans, vt haec illius vox fuerit; *Quod ego volo, pro Canone sit*; tam prophanus, vt si quem Episcopum esse vellet, hoc illi dictum sit, *Sentias contra Christum, nec de moribus tuis sis anxius. Hoc enim sufficit tibi ad commendationem, & Principis amicitiam. Huic tali*, ab *Osio* dictum, *Ne praecipe*. At in *Quo genere*, *Qua causâ*? Illud enim, etiam interest; *Intelligentia dictorum ex causis sumenda dicendi*. Quid illud erat quod voluit *Constantius*, vt sic illum affari opus esset? nimirum vt *Osius*, qui *Athanasium* in Synodo, perspectâ ibi causâ eius & cognitâ, absoluerat, eundem in Palatio *nec dictâ causâ*, nec *vocatum*, quin *absentem*, sub-

ſcriptione ſuâ condemnaret. In hoc ſanè genere,tam contra ius omne & fas, *Conſtantius Oſio ne præcipiat*; *Oſius*, *Conſtantio* ne pareat; diſcat potiùs ab *Oſio*, quo modo, quo iudicij ordine *deponi* debeant, qui *deponi* merentur Epiſcopi. Non *Oſius* hoc illi modò,etiam Iudex Secularis,*Papinianus* diceret, *Ne præcipe nobis in hoc genere*. Quid hoc ad Primatum? Hæccine tua illa *poteſtas ſumma*, ad *damnandum indictâ cauſâ*, *Athanaſium*, *legitimè antè in Synodo abſolutum?*

3. *Ambroſium* bis producit. Is *Valentiniano* primùm dixit; *Noli te grauare, Imperator, vt putes te in ijs quæ Domini ſunt, aliquod imperiale ius habere*. Certè *ne* hoc *putet* quiſquam. Non eſt in ea, quæ *diuina* ſunt, *Imperiale*, ſed neque Pontificale *ius* vllum. At illa *diuina* hîc, quæ tandem? Ædes, Templa, Baſilicę. Neque verò in ea quæ ita *diuina* ſunt, Rex noſter vllum ſibi ius vendicat. Neq; ſibi Sacrarum Ædium *ius* commiſſum exiſtimat; vtque non domum priuatam vllius, iure: ſic neque *domum Dei* auferre fas putat, neque qui *abſtulerunt*, vnquam *probauit*. Quam eius *Mentem Heroicam*, Legibus iam ſuis teſtatam, de *non alienandis*, *non elocandis*, *in longum tempus Eccleſiæ rebus*, vtinam qui per orbem Chriſtianum Principes ſunt, ſciant omnes, vtinam & imitentur. Sed tu hîc ineptè prorſus,qui quæ *ad poſſeſsiones* referuntur, ad alia detorques, vt ſi Regi Sacrilego eſſe non liceat, neque liceat ei Eccleſiæ aliam rem vllam moderari. Quò & illa referri poſſunt, *non eſſe* eum *ſupra Eccleſiam*, vt eam tollendam *Orthodoxis*, *Arrianis* tradendam, vel debeat vel poſsit decernere. Nam quod ſubijcis, alterum *Ambroſij* dictum *de iudicijs* fuit. Prouocatus ad diſputandum *de fide Chriſti* cum *Auxentio*, ſub iudicibus *Ethnicis*, *Iudæis*, *Arrianis*, renuit. Iuſtam certè cauſam habuit, ſi noluit *in Palatio* coram *Ethnicis* & *Iudæis*, *de Chriſti diuinitate* tractare cum *Auxentio*. Ad *cauſas fidei* apertè ſpectabat hoc: ne quis autem de ſententiâ eius error ſit, ingeminat ibi, *in cauſâ fidei*, *in cauſâ (inquam) fidei*. Atqui nos, vel Deus ipſe potiùs non nos; gubernacula Regi mandauit externæ diſciplinæ: ea autem *ad cauſas fidei* torquere, nimis violentum eſt. In quibus tamen, permitteret id, ſcio, *Ambroſius Imperatori*, quod cuiuis *de populo* permiſit: permiſit autem populo, *vt auditâ diſputatione, vnuſquiſq; eligat quod ſequatur*.

tur. Et hîc etiam operæ precium ſcire, *Quis, Cui* loquatur: loquitur autem *Valentiniano iuniori*, imberbi adhuc, & imperito adoleſcenti, necdum baptizato, omnia ex Matris ſuæ *Arrianæ* arbitrio, per fas atque nefas gerenti; dum illud à Paraſitis ſuis ſubinde audiret, *Imperatori licere omnia.* Certè ad hunc talem, quis putet *iudicia*, quæ dicis, pertinere? At ad *Conſtantinum, Theodoſium, Patrem eius eiuſdem nominis alterum*, & pertinuiſſe, & delata eſſe, mox doceo.

4. *Maximum* verò tuum, Imperatorem negamus. Non enim legitimè, ſed ritu tyrannico, & tumultuante milite initiatum. Neque ergo in *Cæſarum* albo numeratur, legitimi Imperatoris Parricida, inuaſor Imperij, vir ſanguinis, tanquam perduellionis reus capite tandem cæſus *Aquileiæ*: ita verò prophanus, vt *ſacrificia* ſua Gentilibus, *aram* quoque *Victoriæ* reſtituerit, *fautor* etiam fuerit *Iudæorum.* Notaui; vt ſciret Lector, quales tu tibi hîc Imperatores ſelegeris. Tum, quæ hæc cauſa? De *Gnoſticorum* hæreſi, à *Priſcilliano* renouatâ; quam à ſeculi Iudice dijudicandam, nemo dixerit. Eſt tamen *Maximi* iuſſu cognitum ab *Euodio* Præfecto, non de cauſâ hæreſeos, ſed de obſcœnis *Priſcilliani* maleficijs, próque ijs, morte ab eo mulctatus eſt. Denique, inſtitutum hoc *Maximi*, vtcunque *Martino Turonenſi* diſplicuit, at *Leoni Romano* (qui vobis *Martino* maior eſt) placuiſſe teſtatur Epiſtola eius ad *Turbium 93.* Tum *Ithacius*, qui *Maximo*, conſilij eius author, in Synodo *Treuirenſi* abſolutus.

5. De *Auguſtino* quod affers, nihil ad rem: deferri voluit cauſam *Cæciliani* ad Epiſcopos, non autem ad *Cæſarem*: æquum poſtulauit. Id voluit, quod Conciliorum Canones, Conſtantinopolitani 6[9]. Antiocheni 11[9]. & 12[9]. Carthaginenſis 107[9]. voluerunt. *Non oportere de cauſis Epiſcoporum βασιλικαῖς ἐνοχλεῖν ἀκοαῖς.* Regijs auribus moleſtum eſſe: ſed referri primùm ad Epiſcopos, & ab ijs, ſi fieri poſſet, terminari. Sed & *Auguſtinus* ipſe, & qui cum eo erant Patres in Synodo *Carthaginenſi*, & βασιλικὰς διατυπώσεις in causâ *Primoſi* agnouerunt; & verò *de rebus Eccleſiaſticis, leges ab Imperatore ferri*, ab Ipſo petendum eſſe, miſſâ ad hoc ipſum legatione ſtatuerunt. *Can.* 100. 105. Malè id quidem à *Donato* factum, quod inter Epiſcopos placidè tranſigi potuit, de eo Imperatori

 moleſtiam

molestiam exhibere. Sed tamen, cùm præter ordinem, *Donatus* rem retulit ad *Constantinum*, is *Romano* primùm Episcopo, cum alijs tamen Collegis; pòst *Arelatensi* Synodo delegauit; postremò ipse totâ de re cognouit, & sententiam tulit. *Donatistas Augustinus* reprehendit, vt *importunos*: *Constantinum, vt ius Ecclesiæ inuadentem*, non reprehendit. Secus fecit *Donatus* quàm debuit, quòd rem itâ molestè detulit: *Constantinus* nihilo plus sibi sumpsit, quàm iure suo potuit, quod delatam, iustè iudicauit. *Diuinitus enim præcipi Regibus, vt in suo Regno, bona iubeant, mala prohibeant, non solùm quæ pertinent ad humanam societatem, verùm etiam quæ ad diuinam religionem*; [a] Augustinus ipse Author est.

[a] *Cont. Cresc. lib. 3. cap. 51.*

6. De *Gelasio* fecisti factum *Torto* dignum; tortam enim rem refers, & mutilam, & malâ fide. De Sacramentis ibi agitur, in quibus non *summam*, quin *nullam* omnino *potestatem* Reges sibi vindicant. Apponam verba integra. *Nosti, fili Clementissime, quòd licet præsideas humano generi, dignitate rerum, tamen præsulibus diuinarum deuotus colla submittis, atq; ab eis causas salutis tuæ expetis, inque* sumendis *cælestibus* Sacramentis *eisque vt competit*, disponendis, *subdi te debere cognoscis religionis ordine, potiùs quàm præesse. Itaque* inter hæc, *ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.* Audin' *in sumendis, in disponendis Sacramentis?* Audin', *inter hæc?* quæ verba tu, ne quasi Sorex tuis indicijs perires, quasi mus Ponticus, prærosa posuisti.

7. *Gregorij* locus 25ª Epistolâ, non autem vt tu posuisti 21ª, est. In eo, nihilo meliore fide rem geris. Quicquid enim scribat *Gregorius* de *Pijssimis Dominis*, scis ipse, si locum inspexisti, sciat & Lector si vacat inspicere, *iussiones Imperatoris in causis Ecclesiasticis* (contrà quàm tu hîc ponis) *ter* in eâ ipsâ Epistolâ *Gregorium* agnouisse. Audienda erat causa *Maximi Salonarum Episcopi*, quicum *Gregorio* lis erat. Scribit *Maximus, præcepisse Serenissimos Dominos, vt Salonis* cognitio esse deberet. Quid *Gregorius* respondet? *Nullas se, eâ de re* iussiones *accepisse*; *quòd si qua sit* iussio, *eam per obreptionem elicitam, se credere.* At non respondet ibi; *nullam de hijs iubendi authoritatem penes Imperatorem esse, quippe in causâ Ecclesiasticâ*; sic autem respondere debuit, si causam tuam

agere voluit. 2°. Incurrerat in Censuras *Maximus*; *laxare eas se* scribit *Gregorius*: laxare, quomodo? *secundùm iussiones serenissimi Domini Imperatoris.* 3°. Suspendit tamen interim *Gregorius Maximum* à missarum solennibus celebrandis; sed quousque? *Quoadusq; voluntatem eiusdem Serenissimi Domini cognosceret.* Ita, *causam eo loco cognoscit*, *censuram relaxat*, *suspensionem suspendit*, omnia hæc *ex voluntate*, & *pro iussione* Imperatoris: *ter* in Ecclesiasticâ causâ *iubet Imperator*, *ter Pontifex paret iubenti.* Potuitne à te locus adduci, vel testis, qui magis pro Aduersario tuo, magis contra te faceret? Et hæc iam illa sunt, propter quæ moratus es Lectorem; *veteramenta omnia*, detrita iam, & repetita millies. Scimus verò hinc interim, *Pijssimos Dominos* in rebus Ecclesiæ *iussiones* suas interposuisse.

NEc meliora sunt, nec magis ad remissa, quæ iam sequuntur, Principum. *Constantinus* ita dixit, cum appellarent ad eum *Donatistæ*, *ô rabidam furoris audaciam &c.* Credimus *Optato*, *Constantinus* sic dixit; sed *Constantinus* quid fecit? Delegauit *primò*, *secundò*, qui audirent; *pòst* audiuit ipse, & sententiam tulit. *Quid verba audiam, cùm facta videam?* Culpa quæ fuit, in *Donato* fuit, qui odiosè interpellauit, non in *Constantino*, credo, qui iustè rem iudicauit; Alioquin & tu exclama, *ô rabidam Constantini audaciam*, qui admisit sic appellantes, vt nos exclamemus, *ô rabidam Torti audaciam*, qui *Constantinum* damnat audaciæ, quem *Optatus* Author suus non ausus damnare. Tum & *Augustino* credimus, *non ausum initio.* Sed enim, qui non ausus initio de causis hijs cognoscere, (quippe qui necdum assuetus ad illas, nesciret fortè quid illarum cognitio postularet) prouectior iam factus, & ausus, & fecit. Scis quid scripserit ad [a] *Nicomedienses* in causâ *Eusebij* & *Theogonij*, quos deportari fecerat. *Siquis faueret illorum audaciæ; Ministri Dei, hoc est, meâ authoritate coërcebitur.* Scis quid ad [b] Synodum Episcoporum *Tyri. Cuncti, quotquot Synodum Tyri complêstis, sine morâ ad Pietatis nostræ Castra properetis, ac re ipsa quàm sincerè ac rectè iudicaueritis, ostendatis, idque coram Me, quem sincerum esse Dei ministrum, neq; vos sanè negabitis.* Imò & in *hoc* quoque *ipso*, quod *initio* non est ausus facere, *paulò pòst*, animus ei non defuit *faciendi*; *fecit* enim.

a Theodoret. lib.1 cap.13.

b Socra.1. 34.

2 Quod autem de *Valentiniano* Seniore refert *Sozomenus*, & tu ex illo, non ſanè cohæret. Quid enim petebant ab eo Epiſcopi? *vt ipſis ad corrigendum dogma conuenire permitteret.* Quid autem reſpondit ille? *Fas ſibi non eſſe talia curioſiùs perſcrutari.* Quàm malè cohærent hæc? Quid opus negare quod nemo rogabat? Nam hoc illi non petebant, neque eâ de re verbum in legatione vllum; tantùm, vt conuenire permitteret; quod *ab eo permiſſum illis quocunque loco vellent.* Locus ſanè illuſtris, pro *Synodis non ſine authoritate Regiâ conuocandis:* ad rem tuam nihil. *Secundò*, Voluiſti fortè de *Hiſtoriâ tripartitâ* rem referre; nam in eâ petunt quidem [a] *vt dignetur intereſſe:* Vnde autem id referat *Caſsiodorus* vix dicas, cùm in nullâ ſit trium partium, è quibus ſuum illud confecit *Opus tripartitum.* Sed neque ſic cohæret. Illi enim de præſentiâ interpellant; ille reſpondet de ſcrutinio: Poterat autem intereſſe ſcrutinio, nec ipſe tamen perſcrutari. *Tertiò*, *Nicephorus* verò idem hoc ſic expedit in hiſtoriâ ſuâ. Quod hîc *Sozomenus: Mihi fas non eſt*; id ille, [b] *Mihi facilè non eſt, qui negotijs occupatus, & Reipublicæ curis diſtentus ſum*; vt cui vacare totus non poſſet, ei nec fas, manum admouere. Vt ita, quod Græci ὁ θέμις idem ſit quod Latinis, *Non licet per negotia.* *Quartò*, eſto tamen; petierint id Epiſcopi, negârit Imperator quo ipſe vis, ſenſu; vel hoc nobis dicendum, totius *Helleſponti* & *Bithyniæ* Epiſcopos Orthodoxos, neſcijſſe quid fas imperatori facere, qui *Hypatianum Heracleæ* Epiſcopum legatum ſuum miſerant, vt vellet intereſſe; vel hoc (inquam) dicendum, vel certè neſcijſſe *Valentinianum*, hominem militarem, in caſtris enutritum, *quid* ſibi fas: vel ſi ſciuit, *ex pietate*, non *debito* (vt de *Theodoſio* ſimili in re [c] Dominus tuus) id reſponſum dediſſe, modeſtè ſcilicet, non, quòd pro iure ſuo id ei non liceret. At ſi quæſtio iam ſit, liceátne in eum finem Imperatori Synodo intereſſe: quis non plus credat, tot Epiſcopis Orthodoxis, hoc ab eo petentibus, & per hoc, ius illud ei, & fas eſſe profitentibus: quàm in Caſtris ſemper verſato Imperatori, modeſtè hoc, quaſi fas non ſit, deprecanti? Cuinam veriſimile circa Synodos quid Imperatori fas, ſciſſe illum: omnes autem hos neſcijſſe? Sed quicquid *Valentiniano* hic viſum reſpondere, caue putes, nefas exiſtimâſſe eum, rebus hijs vaca-

[a] Lib. 7. cap. 12.

[b] Lib. 11. cap. 3.

[c] De Pontif. lib. 5. ca. 5.

vacare; Lege sis *Theodor.4.10.* videbis ibi de dogmatibus Ecclesiasticis reformandis etsi non πολυπραγμονεῖν, (quod *Constantio* vidit cessisse non fœliciter) at φροντίδα ποιεῖν, etsi non curiosum fuisse; at, tantum accurâsse negotium hoc, quantum instituto nostro conuenit.

3. Magis autem insulsum multò, quod proximum ponis, de *Theodosio iuniore*, qui *Comitem Candidianum* ad Concilium *Ephesi*, in eum finem miserat, vt turbas ibi & tumultus compesceret; at Episcoporum constitutionibus, quæ circa fidei dogmata inciderent, sese non immisceret. At de *Imperatore* instituisti, quomodo iam delapsus ad *Comitem* — *amphora cæpit Institui, currente rotâ cur vrceus exit?* Annon hoc est, à disparatis argumentum *ducere?* Recognosce enim, hîc quid dixeris. Prohibetur à Rege *Comiti*, ne rebus se fidei immisceat: Regi ergo in sacris potestas nulla. At tu, credo, *Regi* plus quàm *Comiti* deferendum putas; & extra *res fidei* multa sunt, in quibus *potestas* eius se exerceat. *Fidei* enim nec *Rex*, sed nec *Apostoli* ipsi *dominantur*. Locus ergo hic totus, *extra oleas.*

4. Nec enim de *Basilio* illo tuo est quod valdè laboremus, non magni momenti Imperatore, qui & Dominũ suum *Michaëlem* occidit, & Imperium inuasit; qui infimæ sortis homo, vt nec patriam nôsset, nec parentes; inter captiuos venundatus *Constantinopoli*, nec liberè educatus, nec excultus vllo doctrinæ genere, bono iure, prouinciam hanc poterat deprecari. Sed quid tamen dicit? *Inuestigare illa & quærere, sacerdotum esse, non Laicorum.* Nec nos hoc negamus. At erat tibi periodo eâdem, aliud magis in rem tuam; tam enim erat ex parte tuâ testis ibi prodigus *Basilius*, vt præcideris periodi huius partem priorem, in qua *Laico nulli licere* vult, *vt vllo modo sermonem moueat de rebus Ecclesiasticis.* Non *sermonem mouere* de illis, *non vllo modo mouere sermonem?* Nimium hoc quidem visum *Matthæo*, puduit inserere; laudo. Sic enim non modò partes præcipuæ, sed nec partes vllæ penès Principem forent: a *Gallionem*, credo, imitari vult Principes, *cui nihil horum curæ.* a *Act.18.17.*
Parum verò basilicum *Basilij* hoc testimonium.

5. Nec *Caroli* melius. Si tamen *Caroli*, & non *Triburiensis* Concilij potiùs, diù post *Carolum*: Quid tamen Ille? Nihil de rebus

rebus religionis, aut de *potestate* circa illas vel *summâ* vel *imâ*. De *iugo* nescio quo ferendo loquitur: non sanè Christi *iugo*; nam *iugum* illius *leue*. Puto igitur Antichristi, quia tam graue, vt ei ferendo vix *Carolus* ille *Magnus* par esset. Quid hæc ad *potestatem* Principum? Nihil; ad *patientiam* certè aliquid. Et quidem id quærit Pontifex, Principes *parum potentes*, *valdè patientes*, quos posset sub Sanctæ Sedis *iugo vix ferendo* mittere.

6. At etiam hauris ad fæces? Ex *loco obscuro,& corrupto?* (sic enim in margine habetur Synodi illius *tertia*) Etiã *Hæreticis*, etiam *Arrianis* supplicas, vt opem ferant laboranti Pontifici; nec vereris si *Arrianũ* sit de *potestate* illâ cedere, ne *Orthodoxum* sit, eam tanto magis *tueri?* Quid verò, iste, qui *hic est, pòst principia*, simul Barbarus, simul hæreticus? Quanquã hæresis, credo, non erat: Nam & *Constantius* & *Valens*, qui eâdem hæresi infecti, Synodis & interesse & præesse soliti. Quare mera Barbaries erat. Sed quid ait tamen? Vocabant illum ad Conciliũ, Episcopi, vt interesset saltem: sciebant ergo ius illi esse, vt posset interesse; & aliquid ad eum de Synodo, *præter reuerentiam* pertinere. Ille contrà, nihil. Nihil enim fortè apud Barbaros. Quid agimus? Vtrũ credimus Episcopis qui petunt, & putant *rem licitã* sic *interesse*, an homini *Gottho* non putanti? Ego *Episcopis*: tu, si vis, crede *Barbaro*. Nec leuia tamen ibi sunt per Synodum illam impressa vestigia, ex quibus manifestò rem teneas, nempe, aliquid ad eum de rebus Ecclesiæ *præter reuerentiam* Episcopos ibi putâsse *pertinere*. Nam *ex præcepto* Theodorici *congregata est Synodus*, Et, *decernere Synodus sine Regiâ notitiâ non præsumit* Et, *procedunt, secundùm principalia præcepta, quæ illorum hoc tribuunt potestati*. Et, quæ proximè ibi sequuntur verba, hæc sunt, *Committere Regem*, *Potestati Pontificum*, *vt quid magis putarent vtile, deliberarent*. Habuit ergo aliquid quod cõmitteret *præter reuerentiam*: *reuerentiam* enim suam, credo, *non commisit*. Collige iam: *Synodum* ibi Rex *congregat*: illa, *sine Regis notitiâ nihil præsumit*: Rex *illorum potestati rem committit*: illi *secundùm principalia præcepta, quæ hoc illorum tribuunt potestati*, *faciunt quod facto opus est*. Pro *Primatu*, hæc quidem argumenta sunt, non contra *Primatum*. Nec dum igitur habetis, quæ habere vos dicitis testimonia; abierunt enim omnia

Concil Tom.2. pag.470.

Pag.472.

Pag.471.

omnia in fumos, vt consistat adhuc *potestas* sua Regibus, quâ & *Synodos conuocare*, & *confirmare* possint, & obire reliqua omnia, quæ & olim qui Imperatores, diligenter obierunt, & qui tum Episcopi, libenter agnouerunt.

TVm, gratiæ tibi iam, vt video, à nobis habendæ sunt, qui nos aptam illam sanè distinctionem docuisti, *ex hoc mundo, in hoc mundo*. Sed audi tamen, quid nos hîc obtusi homines trans Alpes de eâ dicamus: Quod *in hoc mundo* est, *si de hoc mundo* sit *etiam*, id ad tuum (quod ibi vis) *Regnum Christi* non pertinet: cuius etsi *in hoc mundo*, tamen *de hoc mundo* Regnum non est. *Regna* autem *mundi*, non solùm *in*, sed *de hoc mundo* etiam sunt. Quare nihil *illa* ad Pontificem vestrum. Nihil *ei* in illa iuris, quippe cui (vt tu quidem vis) *Regnum* CHRISTI, quod *de hoc mundo non est*, solùmodo sit creditum. Nisi id agas (& id certè agis) non solùm vt quæ *in mundo*, sed *quæ extra mundum* sunt, omnia *sub pedibus eius subijciat*: sic enim memini de vestris [a] quispiam, eò torsit *Psalmi* versum illum, *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, ad Pontificem vestrum: deinde sic explicuit, vt per *pecora campi*, homines, per *volatilia cæli*, Angelos, per *pisces marinos*, animas, quæ in Purgatorio, intelligeret. *Pontificis pedibus subiectos* omnes. Sic nuper [b] *D. Marta* vt Pontifici *subijceret* non *Christianos* modò, sed & *Sarracenos*, seriò nobis id narrat eodem *Psalmo* contineri, *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues, & pecora campi. Oues*, id est, Christianos; *boues*, id est, Sarracenos; qui iam etsi de *Ouili* Pontificis non sunt, at de *Bouili* sunt, nec Christus solùm *Pasce oues meas*, sed etiam *Pasce boues meos* dixit; & Pontifex iam non *Pastor* modò, sed & *Bubulcus*. *Regna* quidem *mundi* à Christo etiam sunt, & Christi sunt, si non *quâ homo*, at *quâ Deus* tamen; Regnum etiam Illi, quâ *& homo* peculiare & suum, *Ecclesia* scilicet. Quodsi autem & Regna Principum (quæ & *in* & *ex* hoc *mundo* sunt) Christi sint, & qui eis præsunt, *Vicarij* in terris *Christi* Regis: sua *Vicarijs* hijs *Christi*, *Regibus*, obedientia debetur, ab omnibus, non minùs quàm *tuo Christi Vicario*, in illo eius *Regno*, quod vtcunque *in mundo* sit, *de mundo* tamen non est. Sed vt semel expediam. Duo hæc Regna, *Reipublicæ* & *Ecclesiæ*, quamdiu duo manent, hoc ab illo diuisum, duos habent Primos: postquam in

a *Antonin. sum. mai. dist.* 22. 4. 5.

b *Par. 1 c. 24.*

vnum coalescunt, non vt in duobus, *duo*, sed vt in vno, *vnus* Primus est; Rex scilicet, cui Pontifex semper subiectus in populo Dei *Israele*, *Exemplari nostro*. Nunquam ibi Rex subiectus Pontifici, semper Pontifex Regi: itidem hîc, cùm *Ecclesia* & *Respublica* vnum in regnum aggregantur.

Pòst, herciscis inter Deum & *Cæsarem*. *Cæsari tributa, honorem*, & *obedientiam* tribuis; sed *obedientiam*, circumscriptam, *rebus* & *negotijs seculi*. Quid ergo si bona iubeant Reges, mala prohibeant, non solùm quæ pertinent ad humanam societatem, verùm etiam quæ ad diuinam religionem? Quid si *contra errorem pro ipsâ veritate decernant?* Annon eis æquum obedire? Censet *Augustinus*, & nos cum *illo*: tu si voles, *alia omnia*. Nam & cùm *Ioas* ærarium sacrum componeret, & cum *Ezekias* æneum serpentem comminueret, & cùm *Ioas* excelsa diruerct; extra vltráque res seculi iubebant, *sacra* iubebant, & populus tamen parendo nihil peccauit. Illis ergo, etiam cùm *in re religionis* iusta iubent, debetur obedientia.

Vbi verò de *Deo* dicis, adiungis ei & *Vicarium*; sed *ille* ibi, quem adiungis, nec *solus* est. Nam & *vicem Christi* Rex obit quoque; & *Christus* ipse dicitur: Nec *in sacris solus*. Plures enim Christus instituit, non vnicum modò; *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*. *Qui vos audit, me audit*: vt rectè [a] *Eusebius* vester de illis, *Christi autem Vicarij Sacerdotes sunt*. Nam quem tu hîc nominas, *is* nec *vllus* erat, nec *vsquam*, cùm Christus verba illa proferret: Christi enim tum, in terris præsentia, Vicarium non admisit. Nusquam existenti nihil reddi potuit. Erant verò etiam *Reges* in terrâ tum *Christi Vicarij*, cùm præter eos *vicarius* alius non esset. Sed nec illud satis æquè. Cùm vtrisq; obedientiam deberi vis, *Cæsari* nudam vis: *tuo* huic vestitam duplicibus, *fidelem*, & *puram*. Quidni autem eandem & *Cæsari*? An quam adiudicas illi, obedientia, quanquam nec *fidelis* sit nec *pura*, debet ei sufficere, & vel hac sorte suâ sic abire contentus, tanquam congruâ suâ portione? Certè si sic *Cæsari* sat esse putas obedientiam vllam, vtcunque *infidelis* ea sit, vtcunque *non depurata*, non eris herciscundæ hæreditati huic; Iudicem te iniquum ostendis, abdicamus te hoc munere.

[a] Epist. 3.

Z Quintò.

Quintò autem iam regero tibi, nec *corrumpi verba Breuis* opus esse, nec *verba pro verbis substitui. Potest annotari locus*; suprà à nobis annotatus est, Paginâ 15. lin. 19 (appono iam paginam & lineam.) Iuramentum in Breui dici *fidei & saluti aduersari*, Paginâ 15. lin. 16. In Iuramento verba hæc sunt, *præstabo veram obedientiam.* (Ea *obedientia*, *ciuilis* modò est, quippe quæ ad *defensionem* modò, *Regis* contra proditores tantùm se porrigat) pag. eadem, lin. 22. In *sacris*, de Rege *præcipiente*, *subdito obediente*, nihil ibi quicquam. Habes *obedientiam* illam *ciuilem*, *fidei & saluti aduersari.* Habes locum annotatum. Quid quæris amplius?

TV verò nota nobis locum, vbi *nugæ*, vbi *conuitia* quæ sic omittis: vel fatere, quòd *omittendo*, *nugator* ipse sis Optandum dixit Apologia, vt *Pontifex priusquam hoc mandatum suum Pontificijs dedisset, definijsset illud, pro re credendâ*; Habet enim hanc potestatem Papa, nec vos negatis. Nec tu, vt puto, *nugari* dices aut *conuitiari* illum, qui de spiritus Papalis infallibilitate, vel de *nouis*, si ille proponat, *credendis* verba fecerit. Nam hæc quidem olim erant *seria*, non *nugæ*; & *encomia*, non *conuitia* Pontificum vestrorum. [a] *Tanquam Papa enim, multa potest declarando, nedum fidei articulum, imò & nouum inducendo.* Vis alium? [b] *Collige hîc, Principem Ecclesiæ Christiq. Vicarium, posse super fide Catholicâ, declarationem facere, etiam articulum fidei facere, si sumatur articulus fidei, pro eo quod credere oporteat, cum priùs ex præcepto Ecclesiæ, necessario non oporteret.* Hæ si *nugæ*, si *conuitia*, cur illa non sustulit de Iure suo Canonico *Gregorius* 13. cùm *Augiæ* ibi stabulum repurgaret? si reliquit, si non *omisit*; *omitte nos*, dic tu illum *nugatorem*, dic vestros homines *Conuitiatores*: vestra enim hæc sunt, & à vobis. Imò tute ipse pòst, pag. 67. non *omittis* id agere, quod hîc appellas *nugas agere.* Quin seriò nobis narras, *si per articulos fidei significentur quæcunque dogmata, quæ fide Catholicâ credi debent* (nec nobis hîc alia significantur) *tum verò non dubitare vos, quin à Pontifice vestro multi fidei articuli condi possunt*; nec tamen dum ista dicis, *conuitiaris*, credo, Pontifici. Quid ille verò, qui nuper in os dixit Paulo ipsi 5°. [c] *Commissum ei munus à Deo excelso, non modò articulos indeterminatos determinandi, sed etiam fidei Symbolum condendi: atque hoc ipsum Orthodoxos omnes,*

[a] Extrauag. Quia quorund. Glossa. vt Pap.
[b] Extrau. de verb. signif. cum inter. verb. Declaramus.
[c] Benedict. in præfat.

omnes, omnium sæculorum agnouisse, & palam confessos esse? Annon ille insignis *nugator*, egregius *conuitiator*, si hæ *nugæ* sint & *conuitia*, quas hîc te dicis *omittere?* Quare autem librum suum Pontifici *inscripsit?* Quare Pontifex suscepit *inscriptum?* Quare Academia approbauit? Quare *nugas* has & *conuitia omittere* illum non coëgit?

Sed vbi tandem *se iactat Author Apologiæ grauem Theologum?* tute hîc *leuem pseudologum* te potiùs ostendis, qui sic *iactas mendacia*. Ille verò contrà; necdum *quatuor folia* sunt, cùm ita ipse de Theologiâ suâ, *quantulacunque ea est*. Nec erunt etiam *quatuor folia*, cùm deprecatur inuidiam gloriæ aucupandæ, quòd concertationem instituit cum Cardinale viro tam docto. Poteràtne vel ille magis *modestè de se*, vel tu magis *odiosè de illo* dicere? At in te, *Torte*, quàm iure optimo *retorqueri* potest *iactantia* quam *torques*, qui Typographos conductitios habes, vnum è *Politâ*, qui *Libellum tuum elegantem sanè; Opus tuum eruditissimum;* alterum ab extremo vsque *Rheni* littore, qui *libellum tuum insignem, te autem excellentis ingenij Theologum*, hic *Germanis* iactet, ille *Italis*, vt in ore sis omni populo? Da in totâ Apologiâ simile quid; & *ille* sit, *tu* ne sis strenuus ille *iactator*. Quicquid autem ibi reliqui habes ad *Dilemma*, memoriter iam lector tenet, ita sæpe inculcâsti, quàm sine veritate, tam sine verecundiâ omni, *cogi Catholicos ad fidei abnegationem; muniri aditum ad Iuramentum Primatus; nam hæc tibi suprà, nec semel, demonstrata.* Credo certè *non semel*; sed & *suprà* & *hîc* debere te Lectori ludibriũ, & quoties tibi mentio fit *demonstrationum* tuarum, aliquid ibi *monstri* simile, nihil legitimæ *demonstrationis*. *Transferunt scopum, petunt principium, concludunt à dicto secundùm quid, ducuntur à disparatis, elenchi meri sunt*, veræ ἀποδείξεως nihil habent, nec quicquam *demonstrant*, nisi infœlicem fuisse te, qui in præceptorem non incideris, qui te Analytica posteriora meliùs doceret. Qui *fidem Subditi* affirmat, *fidem Catholici* non negat: *fidei ergo Catholicæ negatio*, pro *medio* hîc esse non potest.

Parænesis etiam ad Martyrium, malè fundata. Arenosum enim totum, quod dicis *de præparatione ad Iuramentum Primatus*, vt *phrenesis* potiùs quàm *parænesis* dici debeat. Nam si *præparatio*, cur in illo solo sistitur? Non debuit; pergeret verò

Rex,

Rex, & *præparatio* iam, secundum illud, de Primatu, quasi *formam induceret*. At omnino in primo sistitur, secundum *non inducitur*; non vlli; (cedò enim, si potes exemplum.) Quare in hoc *terminus* motus est, nec vel *principium* noui, vel aditus ad aliud de Primatu. Libero ergo te metu *Iuramenti alterius*, quod, vt video, valde te torquet, nec finit respirare, ita semper meticulosus es, *ne tectè, ne obscurè* (poteras autem dicere, *ne tortè*) *contineat nouam illam hæresin de Primatu Regio*. Quæ tamen si *hæresis*; certè non *noua* cùm & Reges sub Testamento veteri omnes Primatum illum tenuerint; & Prophetæ tum omnes in eo, ac Sacerdotes acquieuerint. Vel potiùs si *hæresis*; *noua*, & ab incude vestrâ; *vetus* enim non fuit. Omnes illum Prophetæ *ad apicem* tenuerunt: nec enim *apicem vllum* nos nostris Regibus tribuimus, quem illi tum suis non tribuerunt. Sed vide ne contrà prorsus sit, quàm tu dicis; ne, quæ ibi commemorantur in Iuramento, *depositiones Regum*, *inuasiones*, *tumultus*, *præparatio* sint & *dispositio*, & per ea aditus fiat potiùs *ad Primatum Pontificis*. Tum quod vltimum, stultissimum; *eò detineri in carcere Archipresbyterum, vt tædio victus iuret in Primatum*. Nec enim *custodia* eiusmodi est, quâ *detinetur*, vt eius illum valde tædere debeat; nec in eâ delatum ei vnquam illud *de Primatu*; & iuret, ne iuret, nemo hîc vel metuit vel optat, súsque déque est; & *Matthæus* hæc omnia vidit in somnijs, & rectè rem hanc totam concludere potuit, ὄναρ ἀνηγέλλω.

VOluit *Apologia*, quod in Breui mittendo perperam fecerat Pontifex, id meliorem in partem interpretari; *credulum* paulò magis, quàm par erat Pontificem, quorundam sermonibus fuisse. *In eam partem* peccâsse etiam *Clementem* 8um. etiam *Pium* 5um. simili errore errâsse. Nam hijsce in rebus, quæ *facti* sunt, posse interdum Pontifici *errorem obrepere* (dicam cum *Matthæo*) *inter omnes conuenit*, saluâ tamen eius, in ijs quæ Cathedræ sunt, infallibilitate. Vides Lector, quod mitissimum æquissimúmque fieri potuit, id hîc factum fuisse. Quid *Matthæus*? clamat nefas ingens, *Pontifices simul, tres, leuitatis & temeritatis accusari*; *Clementem* verò *etiam perfidiæ*. Ne verò; falluntur interdum Reges prudentes & boni, falluntur & Pontifices, dum ijs adhibent *fidem*, in quibus *fidem* esse o-

 portuit,

portuit, nec fuit tamen; Et *Leues* tamen non sunt, nec *temerarij:* cadunt enim, faciles hij motus in generosam indolem. Atque ita *excusare voluit* factum Pontificis, & *crimen* in rumores *transferre* sæpe non veros. Non finit. *Humanum* est *errare*. Non cadit autem in Vaticanos Deos *infirmitas* hæc tanta. *Homines* non sunt. Quicquid *humanum* est, ab ijs alienum putat.

De *Pio* primùm, vel verum hoc, vel non veri nostrates vestri, qui sermone, hoc, nec solùm sermone, etiam scriptis affirmârunt. Surrepsisse tum ei *Mortonum* & *Webbum*, transfugas nostros, & per suggestiones mendacij plenas, decepto, *Bullam surripuisse*. Quod cum hîc constaret *Lincolniensi* pridem Episcopo *Watsono* (qui & tum & diu pòst in viuis) mirum illi in modum displicuisse, quòd ita se *Pius passus sit induci in errorem*, quem præuidit *Watsonus*, & prædixit, nec Sedi *Romanæ* vtilem, & Pontificijs hîc omnibus fore perniciosum, cùm ex eo necessitas quasi quædam imposita Reginæ fuerit, seueriores in eos pòst leges sanciendi. De *Paulo 5°.* non minùs verum: qui, hîc inter Pontificios moderati magis, sic omnes affectos, sic sensisse omnes, nempe vel *fictitium* fuisse *Breue* illud, vel certè *surreptum* per fraudem quorundam, vel *abreptum* per importunitatem, nec ab *Illo sponte purâ* vnquam emanare potuisse. Quid si autem & *Pontifex ipse* tantundem *fassus sit*, vbi *Breuis* sui per quorundam Principum *Legatos* iniecta mentio? Penes Authores fides sit. Quid si & *purgauit se de Breui* sic emisso, *apud Principem aliquem* exterum, nempe, quòd *Breue primum* per *obreptionem*, se quidem non intento ad rem, vel tale quid cogitante, procuratum fuerit? Ad *secundum* verò, quòd *pertractus* quasi inuitus, dum *Collegiũ Inquisitorum* rem *importuniùs vrgeret:* addito, etiam *promisso*, & datâ *fide*, deinceps iam *cautiorem* fore se, siquid tentandum *in rebus Britannicis:* De quo viderit ipse. Interim mitior haud vlla afferri potuit *excusatio*, quàm quæ in Apologiâ allata est, & allegatas *fecisse*, quod *fecit*, Pontificem, *non plenè informatum*, nec fuisse tam illi perspecta omnia, quin, quod tum nesciret, paulò pòst exploratum magis habere potuisset.

De *septicolli* verò ciuitate, de *Babylone* suâ, ludos non patitur *Tortus*; seriò dat; *quæ in Epistolâ est B. Petri, quæq. in*

Apocalypsi,

Apocalypsi, Babylonem, non aliam vllam vrbem esse, quàm *Romam* ipsam. Nos, quod dat, accipimus non illibenter. Ità auidè auent homines, hij, *Petrum Romæ*, alicubi in scripturis reperire, potiùs vt *Babylonem* velint esse *Romam*, vbi *Petrus* fuit; quàm vt *Petrus Romæ* non fuerit. Valdè enim illorum interest ad *Caput fidei*, vt *Petrus Romæ credatur* fuisse, non *fide piâ* quæ in historijs est, sed *maiore, Sacrarum* nempe *literarum*. Etsi & illud quidem totum, præter Leges Theologiæ, quæ si *Mystica est*, seu *Symbolica*, non est *argumentatiua*. Etiam præter Leges Epistolæ; quæ etsi tota sit *mysteriorum* plena, *locum* tamen, vnde scripta, designare non solet *mysticè*, ne si *locus* non sit certus, nec ipsius *Epistolæ fides* sit certa. Quî verò, si locus allegoricus *Babylon* sit, non & allegorica persona *Marcus*, qui mox sequitur? vel si *hic* literalis, quidni & *illa?* Quorsum autem *Petrus*, *Româ* scribens, *Romam* non ausus *Romam* nominare; quam *Paulus*, cùm inde scriberet, *vrbem Romam*, *ciues Romanos*, & ausus, & nominauit? Atque adeò Diuus *Iohannes*, cùm *librum* scriberet, cuius singuli versus singula mysteria sunt; vbi tamen ad *Ecclesias* scribendum fuit *septem* vrbium, *proprijs* nominibus singulas quasque designauit, easque voluit esse non *mysticas*, in libro alioquin per totum *mystico*. Etsi verò sint ista, vt dixi; non piget tamen *Tortum* habere confitentem, quòd *non in Epistolâ modò Petri, sed & in Apocalypsi, Babylon Roma sit*. De eo tantùm nobis lis erit iam, *quænam* illa ibi *Roma Babylon*; aut *Roma* quo tempore *Babylon esse cœperit*. Cui rei tot ibi circumstantias adhibet B. *Iohannes*, vix vt in eâ errare cuiquam contingat. Quæ enim *Babylon* ibi: eadem *meretrix magna* dicitur, *quæ sedet super aquas multas, cum quâ fornicati sunt Reges terræ*; quæ *Bestiæ ibi insidet habenti capita septem & cornua decem*. *Septem* autem illa *capita*, *septem* sunt *montes*, in quibus sita Roma.—*Et quæ de septem totum circumspicit orbem Montibus, Imperij Roma Deûmq. locus*: Edoctum autem ibi se dicit *B. Iohannes à Spiritu, de rebus quæ venturæ essent*. Quodsi iam, *Romam* ibi (quo tu sensu vis) designauit, nihil *venturum edocuit Spiritus*; *Ethnica* enim tum *Roma* in *Auge* erat vel maximè. *Propheticus* verò is liber totus haberi solet; nimis autem illa *misella* tum *prophetia* foret, si prædiceret, fore, vt *persequeretur Roma Christianos*. Vidit verò hoc

priuſ-

priusquàm in *Pathmon* relegatus esset; *fusum Iacobi* fratris sui, multorum *sanguinem* sub *Nerone fusum*: sensit ipse, & *pars magna* fuit illius tum *persecutionis*. *Prophetiam* ergo totam *euacuat*, si *Ethnica* ibi *Roma* sit. Tum *Reges* illi *decem*, (qui numerus certus pro incerto) quomodo tum *inebriati de vino prostitutionis meretriciæ*, qui tum scilicet *nulli* erant? Stante enim & vigente *Româ Ethnicâ*, eclipsin passi sunt, qui vspiam tum *Reges* erant, *vectigales* omnes, *Reguli* potiùs dicendi quàm *Reges*: *Reges* tum demum, cùm illa *retrò sublapsa* ferretur. Neque verò periculum tum *ebrietatis* vllum à *meretrice*, vel ab illius amoribus. Oderant enim illam, perijsse expetebant, & (quod tu antè dîxti de *Gregorio*) *vellent nollent*, illi tum per vim atque ingratias seruiebant: Etiam *Bestia illa altera, quæ cornua duo habebat similia agni*, quî poterat suppetias ferre *Romæ Ethnicæ*, in quâ. quamdiu quidem *Ethnica* nec CHRISTVM professa, nullum prorsus CHRISTI vestigium, nihil penitùs, quod vllâ ex parte referret *agnum*?

Luculentæ quidem satis hæ *circumstantiæ*; mitto illas tamen: verbis ipsis stringo, quæ satis diserta sunt, ad tempus, quo *implenda* fuit hæc *prophetia*, perspicuè designandum. Versu 8° dicitur dilucidè; *Bestia quam vidisti, fuit, & non est, & ascensura est de Abysso, & ibit in interitum*. *Fuit* (inquit *B. Iohannes*) *& non est*. *Erat* autem *tum Roma Ethnica*; *erat*, & *erat* tum florentissima, cùm hæc agerentur. Falsò ergo tum diceretur, *non est, sed ascensura est*, si de *Româ* quæ *tum erat* diceretur. Paulò autem infrà vers 12°. *Decem cornua*, quæ *decem* ibi *Reges*, *regnum* (inquit) *nondum acceperunt*, sed *potestatem* tanquam *Reges vnâ horâ accipient cum Bestiâ*. Negare verò non potes, scribente hæc *B. Iohanne*, *Babylonem*, *Romam* esse tum quidem non potuisse. *Reges* enim tum nondum *potestatem acceperant*, ac neque diu pòst *acceperunt*, donec *Roma* iam *Christiana*. Nec ergo *Romam Ethnicam*, *Babylonem* fuisse. Quin etiam *interitus ipse*, quem interminatur ibi *Babyloni*, liquidiorem adhuc multo rem facit. Nec enim verbum ibi vllum *de conflagratione* eius, quæ *Romæ* olim *Ethnicæ* contigit à *Gothis* ac *Vandalis* incensæ: quin de *interitu* potiùs alius & generis & modi *repentini* scilicet, & tanto impetu, quasi vi magnâ *molaris lapis mitteretur in mare*. Haud enim (inquit)

pòst

post, vnquam inuenietur. Non autem (quantacunque ei potentia est) *mersum in mare molarem* natare denùo, facturus est *Pontifex.*

Porrò verò, ibi dicitur, quòd *postea, vox in eâ Musicorum, vel Artificum non audietur, quòd Artifex non inuenietur in eâ ampliùs, vox molæ ampliùs non audietur, lux lucernæ ampliùs non lucebit, vox sponsi & sponsæ in posterum conticescet.* Ibi accumulat denique quicquid vsquam est artis vel verborum, quæ id ponant ante oculos, deploratam & desolatam iri *Babylonem* sine entitatis spe omni, quasi *non Ens* in æternum. Quòdsi, præterea nihil foret, satis esset tamen, ad institutum præsens, in ipsâ descriptione illorum qui cum illâ *mercaturam facient. Mercatores eius* (inquit) *Principes terræ. Omnes Gentes errârunt in Veneficijs eius.* Nam neque hæc *Roma Ethnica* quadrare possunt, quæ *vi* solâ *atque armis* gentes sibi subegit, nec eas vnquam ita *Veneficijs* incantauit, vt non primâ quâque vel leuissimâ occasione datâ *(vires modò essent) vindicarent* se in libertatem, & ad arma *conclamarent*; Verùm enim, quæ illa tandem *Roma* sit (non enim certè *Ethnica*) quæ *merces instituit de animabus hominum*, optimè omnium nobis dixerit Cardinalis ipse. Et ipse quidem (quod in *Apologiâ* notatum est) fatetur rem totam: *Decem enim Reges meretricem contremabunt*, quod de *Româ* quæ *Ethnica* fuit intelligi non posse, puto abundè iam mihi demonstratum est.

Vt verbo igitur expediam. Quæ sunt apud *B. Iohannem* de ruinâ *Romæ* prædictiones, de quâ *Româ* sunt? De *eâ*, cui operam feret *Bestia*; cui *cornua agninis* similia: quæ in *templo Dei sedet*: Cui *cum Regibus* terræ fœderata *pactio*: Quæ *vino prostitutionis* suæ *inebriat* eos: Quæ *veneficijs seducit*. De *eâ* (inquam) *Româ*, quæ *extollit se super omne quod dicitur Deus*, non, quæ ipsa, nescio quot *minutulos* & *patellares* Deos veneretur, quod illa fecit *Ethnica*: De *eâ Româ* quæ *agnum specie refert*, scriptam tamen habet *in fronte blasphemiam*: De *eâ Româ*, cuius *merces, hominum animæ*, dum licitari facit homines nummo salutem suam: De eâ, quæ fuit olim *sub Regibus septem*, sed *B. Iohannis* ætate non fuit (etsi etiam tum mysterium illud occœpit operari) *non fuit* (inquam) *sed ascensura fuit* tum demum ad fastigium suum, cùm *decem ibi Reges potestatem suam accep-*

 turi

turi essent, postquam scilicet *Romæ Ethnicæ* iugum excussissent. De *eâ Româ*, quam *decem Reges* (non eluuies illa barbara *Vandalorum* vel *Gotthorum*) postquàm diu *seducti* essent ipsius *veneficijs*, tandem *igne concrematuri sunt*; non ad cladem aliquam, vnde pòst conualescat, sed *ad perniciem* eius *sempiternam*, vt seges sit, non minùs vbi *Roma*, quàm vbi *Troia* fuit. *Dabit enim Deus in corda Regum, vt Romam hanc excindant* penitus, sicut dedit *Satanas* olim in corda Barbarorum, vt illam *succenderent*. De eâ denique *Româ*, quæ per *Pseudoprophetam suum, vim habet signa faciendi*, quæ cum Pseudoprophetâ suo, atque ille cum eâ, *vtrique mittentur in stagnum ignis, ac sulphuris, in æternum*. Verè autem à *Torto* dicitur, *Romam Christianam* perditam non iri. Non certè, sed *illam quæ inebriata est Sanctorum sanguine*, & *Martyrum Iesu Christi*, *Antichristianam* scilicet. Ea enim perdenda est, *cuius in fronte scriptum nomen blasphemiæ*.

Minimè verò mirum, si ista quæ dixi, tam vel claram, vel certam in scriptis Patrum interpretationem non habeant. *Operabatur* enim modò *mysterium* tum *iniquitatis*. *Signatus* adhuc *liber* erat huius *Prophetiæ*. Verissimum autem verbum est; *ænigma* esse *Prophetiam* omnem, *cùm nondum completa* est; vt, quamuis Prisci illi omni genere charismatum, vitæ verò sanctimoniâ, longo nos interuallo superârint: mirari tamen non debeat quis, si non illis tum, adeo explicita omnia fuerint, quàm nobis, per Dei gratiam, iam sunt, qui *consummatam* iam *Prophetiam* illam quotidie oculis vsurpamus. Et tamen id quoque miretur quispiam, quòd & Illi etiam horum multa, quasi per transennam viderint, quòd nimirum ita [a] Tertullianus: *Sic & Babylon apud Iohannem nostrum, Romanæ vrbis figuram portat, proinde & magnæ, & regno superbæ, & Sanctorum debellatricis.* [b] Hieronymus autem. *Cùm in Babylone versarer, & purpuratæ meretricis essem colonus, & iure Quiritum viuerem.* [c] Idem; cùm *Marcellam Româ Bethleem* commigrare vellet, *Hic, puto, locus sanctior est Tarpeiâ rupe, quæ de cælo sæpiùs fulminata, ostendit quod Domino displiceret. Lege Apocalypsin Iohannis, & quid de muliere purpuratâ, & scriptâ in fronte blasphemiâ, septem montibus, aquis multis, & Babylonis cantetur exitu, contuere. Exite (inquit Dominus) de illâ.* At verò [d] Augustinus,

[a] *Aduers. Iud. de prob. nu.*

[b] *In Prologo Didymi.*

[c] *Epist. 17.*

[d] *De Ciuit. Dei, lib. 18. cap. 22.*

stinus, *Condita est Roma velut altera in occidente Babylon, & velut prioris filia Babylonis.* [e] Victorinus quoque: *Scripta ibi in tubis, ruina magna Babylonis ciuitatis, id est, Romæ.* Etiam [f] Orosius: *Ecce similis Babyloniæ ortus & Romæ, similis potentia, similis magnitudo, similia tempora.* Sed quid ego hæc, cùm vnanimis sit ista Patrum penè omnium sententia? Nam de *Romæ fronte Christi nomine signatâ* quod affers; nulla est in *Apocalypsi Babylon*, cuius *signata frons Christi nomine*: *Christi nomen* deleri oportuit priùs, & deletum est, quàm *blasphemia* ibi scriberetur. Postquam autem ibi scripta *blasphemia*, tum demum verè *Babylon* fuit, verè est. Sed necdum *Apocalypsis* completa vobis, necdum *cecidit Babylon* illa vestra; quæ si, vt dicis, *scriptam iam habet in fronte Christi confessionem*, cadere non poterit: atque ita non *verus vates Iohannes.* Ille verò & *vates verus*, & *casura est Babylon* illa vestra; ideo autem *casura*, quia *Christi confessionem illam expunxit*, & loco eius, *blasphemiæ multiplicis nomen* ibi iam *inussit*, & quidem *maiusculis literis, vt quiuis vel qui transcurrit, legere possit* sic inustam. Quâ in re, ea veritatis vis est, vt etiam *Iesuitas* vestros adigat, qui in eum librum non ita pridem commentarios scripserunt, non solùm de *Româ Ethnicâ*, verùm & de *Christianâ, Babylonis* ibi nomen interpretari, ac *delendam* denuo *confessionem Christi de fronte eius, post deletam* autem, *blasphemiæ nomen* ibi *inscribendum.* Sic [g] Ribera: *De Româ intelligendum, non solùm qualis sub Ethnicis Imperatoribus olim fuit, sed etiam qualis in fine sæculi futura est.* Et pòst. [h] *Babylonem dictam esse, non solùm quòd hoc illi nomen, tempore, quo Iohannes hæc scribebat, maximè conueniret; sed etiam quòd tempore, quo hæc explebuntur (necdum enim expleta esse) non minùs quàm antè, conueniet.* Sic Iesuita alter [i] Viegas: *Omnia quæ in hijs capitibus commemorantur, in Romanam vrbem apertissimè quadrant. Cæterùm nomen Babylonis ad eam Romam transferendum, quæ antequam reciperet fidem Christi, Idolis seruiebat: & ad eam etiam, quæ erit tempore Antichristi:* Erit ergo tempore Antichristi *Roma Babylon*, non solùm Ethnica, eáque tum *in desertum & solitudinem euadet*, vt ait *Ribera* vester. Sed hæc omnia, vix quicquam ad institutum sermonem de rumoribus, qui vos *Romæ* circumuolant; nisi quia tibi hîc digredi libuit, vt *Babylonem* salutares. Nam etiam *Hieronymi* ætate,

[e] In Apocal.
[f] Lib. 2. cap. 3.
[g] In 14. Apoc. nu. 42.
[h] Nu. 57.
[i] In 17. Apoc. com. 1 sect. 3.

cùm *Christi* nomen *in fronte gereret Roma*, etiam tum hoc morbo laborabat, vt, eò confluerent toto ex orbe *rumores vndique*, quorum si nullis *Roma* tum credidit; quid, eo loco, opus *Hieronymo* ita rem referre? Profectò nec pauciores *Romæ* iam *famigeruli*, nec minus est *aurium* ad nouitates *prurientium*, quàm cùm *Hieronymus ibi purpuratæ meretricis colonus esset*.

Dum verò in eo totus est, vt Pontifices suos *Pium* & *Paulum* tam anxiè excuset ab omni erroris labe, siue ex *aliorum* malâ fide, siue ex *suâ*; interserit nescio quomodo & *Clementis 8*. defensionem, *de Breuibus huc* ab eo *transmissis*, vergente ad occasum tum Regno R. ELIZABETHAE. Ex dialecto autem *Papiensi*, more suo aspergit primùm *mendacijs* Authorem Apologiæ, quorum illi copiosa domi messis est. *Breuibus enim illis*, ait, non *vt iste mentitur*, IACOBVM, *tum Scotiæ Regem, à solio exclusit, sed consilium dedit, quale dare decebat Summum Pontificem*. Pòst verò paulò, oblitus personæ suæ, non quasi *Capellanus de Sacello*, sed quasi *Cardinalis* ipse *iam de Consistorio* egressus. *Habemus* (inquit) *exemplaria Breuium illorum in manibus, & ijs diligenter inspectis, nusquam inuenimus nomen* IACOBI *Regis, aut alterius particularis personæ*. Hîc ferè iam illi *larua* de vultu *delapsa* est; non hæc Capellanum *ampullæ* decent, *Habemus in manibus, & nusquam inuenimus. Intererit multùm, Dauusne loquatur, an Heros*; sed recolligat se, *laruam* reponat, cautiùs rem gerat in posterum. *Mentiri* autem suum nusquam magis obtrudit, quàm vbi ipse est *mendacissimus*. Cur enim *mentitur* ipse *de nominatim* ibi *excluso in Breui Rege*, quod nusquam in *Apologiâ* dictum est? Id modò dictum: *exclusum* ibi, *ne à Pontificijs reciperetur in regem, qui* vel nostræ religionis *cultor esset* ipse, vel *cultores toleraret*; ac per hoc, non minùs Regi obnunciatum esse, quàm alij cuicunque, qui alterius, quàm vos in fide, professionis esset. Verè ergo ibi dictum, nec verius quid dici potuit; quantum in se erat, *Clementem* tum *Breuibus illis* egisse, vt *Rex* iam *noster*, vt quiuis alius, *quocunque demum iure niteretur*, si sic, vt Papa in religione non sentiret, à capessendis Regni huius gubernaculis esset *exclusissimus*. Ego verò id fidenter dixerim, perinde Breuibus illis *exclusum solio* hoc suo, ac si *nomine* ibi proprio & natiuo, IACOBI *Regis*, designatus esset. Quid enim interest, *nomine-*

tur quis, an ita ad viuum *describatur*, vt cuiuis in promptu sit, quem ibi velit Pontifex? *Ius Regis hæreditarium*, quis tum nesciebat? quis verò *religionem ignorabat*, quam ille, ex quo voces primò, & literas formare potuit, voce, scripto, præsentiâ suâ semper professus est? Annon ille *exclusus?* Quid illa ergo sibi volunt verba, *Quantumcunque propinquitate sanguinis niteretur?* Quis ille verò, qui *nixus propinquitate sanguinis?* Quis fuit? quis esse potuit? An est quisquam tam obtuso pectore, vt *quò* illa *tendant*, *quem petant*, non intelligat, nisi *nomen nominetur?*

Quale autem consilium illud, quod *dare decebat Pontificem?* Nempe *operam darent, vt eligeretur Rex. Eligeretur* autem? Ain' verò, vt *eligeretur?* Quid opus hoc? Erat, qui Antiquo stemmate, Regio sanguine, Hæreditario iure, Stirpis proximitate, Optimo titulo, vendicare poterat. Quorsum hîc, *eligeretur?* Itáne, in Regnis, vbi *successionis* iure Reges nascuntur, conclamat Pontifex *ad electionem*, ad *vota*, ad *suffragia?* Quorum verborum, quæ mens, qui sensus sit, credo iam Reges omnes per *Europam*, qui *hoc iure* regnant, satis aduertisse. Idem antè tentârat *Lutetiæ* in Regno *Gallicano*. Idem hîc iam tentat in *Nostro*. En *quale consilium dare deceat, dare soleat, quale* etiam in Regum aliorum successione quâcunque, (cùm se dederit occasio) *dare paratus sit*; *Conclaue* credo in regna omnia *inducturus*, si daretur. Verùm dic porrò, quis tandem *eligeretur? Qui ad religionem Catholicam benè affectus. Menaaciter* & hoc; vtcunque enim *affectus benè*, nisi eiusmodi esset, qui religionem Catholicam non modò *toleraret*, sed omni ope & studio *promoueret*; *exclusus* tamen adhuc, quisquis fuit ille Regum, nisi & *iureiurando* se id præstiturum *susciperet*. Quare, in totâ hac narratione nihil sani; *vanitate, falsitate* referta omnia. Pòst verò etiam, illud suadere vult homo lepidus, *Abfuisse tantùm vt excluderetur* IACOBVS *Rex, vt includeretur vel maximè scilicet. Spes enim maxima, illum à Romanâ fide suscipiendâ non abhorrere.* Verùm vt res ibi, ita & *spes*, falsa vtráq;: At *ministri eius spem dederunt:* sed *fallaces*; quibus tamen, cùm in rem suam est, cùm libet; *credulus* satìs *Clemens, Pius, Paulus,* quis non?

Quin *Rex ipse ad Pontificem scripsit, etiam ad Cardinales Al-*

 dobrandinum

dobrandinum & Bellarminum, literas plenas humanitatis, quibus, præter cætera, petebat, vt aliquis è Gente Scotorum Cardinalis crearetur, vt haberet Romæ, per quem faciliùs & tutiùs cum Pontifice negotia sua tractaret. Enimuerò de hoc quod iam retulit *Matthæus*, in negotio hoc *Literarū*, si quàm *bono* id *euentu*, tam etiam *bono* in Regem *animo* retulisset, meritò illi à nobis gratia habenda esset, quasi de officio sanè perhumano. Certè enim successu non caruit, quò suus inde Regi honor iam saluus sit. Ex eo enim occasio illi data, atq; ansa occulti cuiusdam maleficij eruendi, quo sic eruto, integritatem fidei atq; honoris sui, sartam tectam habebit. Tecto autē sic atq; latente, vt diu iam latuit, atq; tectum fuit, aliquo pòst alio tempore recruduisset fortè, cùm elapsa iam esset occasio omnis, eius eruēdi. Simul, vt de eo ipso, certior redderetur, qui in eo *Regis fidem* de se *fefellit, suam* in Regē *fidem violauit.* Nec enim potest Regi accidere quicquam optatius, quàm, vnde ei detur in sensus eorum intimos (qui ei intimi sunt) penitiùs introspicere, & quorum ab eo *fidei* multa committenda sunt, eorum certa sit an sublesta *fides*, explorare. Cùm enim obiecisset *Matthæus scriptas ad Pontificem à Rege literas*, (rem ita crassam vt manu teneri posset) facere non potuit, quin acriùs in eam rem inquireret. Reperit autem, fouisse se in sinu serpentem, & verè tandem deprehendit, fraudem sibi ab eo factam, qui Maiestati suæ *à Secretis literarum.* De quo, etsi incertos priùs aliquos rumusculos inaudisset, cùm paulò pòst, quàm Romā perlatæ essent, nonnulli, nescio quid ibi tale auditum sibi mutirent: at, ex eo iam tempore, nunquam certi quid, eâ de re, datum est cognoscere; ita, qui *facti author* fuerat, dum sibi malè metueret, texerat rem probè, & quasi tenebris obuelârat. Sic ergo habet. Surrepsit Regi furtìm, atque ad literas, quas narras, malis artibus elicuit manus Regię subscriptionem *Secretarius* tum *Regius.* Quo autem consilio hoc; siue quòd propenderet animo ad religionem Pontificiam; siue quòd, lucro illi atque commodo fortè ea res futura fuit; siue quòd, impensè faueret propinquo suo *Episcopo Vasionensi Cardinalatum* ambienti; (cuius in gratiam erant literæ illæ adornatæ) siue etiam quòd *Edwardo Dromonio Equiti* gratificari vellet, qui rem totam procurabat atque vrgebat; quo (inquam) consilio, aut, horum quid

quid fuerit, *illi ipsi* notum; præterquam, *illi ipsi*, notum credo nemini. Rei autem totius modum, & cum *substantiâ* ipsâ *circumstantias* omnes, quibus *Regi* imposuit, dum surriperet ei literas, nemo meliùs magisue ad viuum referat, quàm *Author* ipse *criminis:* Cuius est, quam subijcio hîc, non expressa per vim, vel per fraudem illecta; sed *libera* sanè *confessio*, atque omni modo *spontanea*, ad mentem *ipsius, ipsiusque* manu, signata.

DECLARATIO, atque Confessio D. *de Balmerinoch*, REGIÆ *Ma*[ti]. *facta*, ac DOMINIS qui ei à Sanctiore CONSILIO sunt, de literis quibusdam, quas ille, per fraudem surreptitiè scribendas REGIO nomine, atque ROMAM, ad Papam CLEMENTEM 8[um]. quasi si à MAIESTATE suâ essent, mittendas curauit. *Anno 1598.*

DOMINVS *de* Balmerinoch, *habitâ de eo quæstione, cùm crimen hoc illi obiectum esset, quòd per malas artes, perque surreptionem literas illas procurâsset, (quibus è literis imputatio, maximè, vt falsa, ita scandalosa in Regem, quâ ad Regij nominis honorem, quâ ad Religionis castam professionem redundâsset) postquam varijs modis, offensam negando, subticendo, transferendo, extenuando nihil profecisset, ingenuè tandem agnouit atque confessus est. Quòd scilicet Ann.* 1598. *adductus ad id precibus* * *Archiepiscopi* Glascuensis, *qui tum legatum agebat Responsalem Maiestatis suæ in Galliâ, præsertim verò Episcopi* Vasionensis *ac aliorum quorundam, procurante negotium hoc* Edwardo Dromonio *Equite, quem illi tum huc legârant eo nomine, vt interuentu suo, mutuæ quædam inchoari possent atque reciprocæ vices inter Regiam Maiestatem & Pontificem.*

** Hæc ille: quàm verè, penes authorem fides sit. Nam vt scias, Lector, quod res est; Glascuensis haud vnquã de tali re vllâ, apud Regem egerat, vt quicquid inter illos actum, id omne, clam Rege.*

Idem.

Idem Dominus de Balmerinoch, *postquam ei rei assensum suum præbuisset, Regem ad id sæpenumerò incitare conatus est, eique, illiusmodi delineatas à se literas obtulit, quas manu Regiâ signatas vellet ad Papam. Vbi autem, Regis animum, à quâcunque scriptione eius generis alienum reperîsset; nec id modò, sed inceptum illud damnare penitus, de commercio vllo habendo cum Pontifice; qui titulis scilicet illis atque attributis à Rege compellari expectaret, quibus Maiestas eius, conscientiâ suâ teneretur, ne apud eum ratione vllâ vti posset, quâcunque de causâ.*

Idem Dominus de Balmerinoch, & Edwardus Dromonius, *cùm in manum conuenissent tamen, de incœpto suo ad exitum perducendo; egerunt de modo, quo imponere possent Regiæ Maiestati, & quales cupiebant literas, ab eo elicere. Itaque se,* Dromonij *manu descriptas, adornâsse pòst literas, quasi à Rege nimirum, ad Pontificem: Quarum hic ferè tenor: nempe vt Pontifici gratias ageret de humanitate, atque gratiâ pristinâ: vt Episcopum ei* Vasionensem *commendaret, quem in Cardinalium Collegium cooptari cuperet, quò sic, negotia sua (cùm ita opus) meliùs ibi* Romæ *expedire posset.*

Quò verò, astu rem gerere, & Regiam ad eas literas subscriptionem lucrifacere possent, hanc inter se rationem initam, dictus Dominus de Balmerinoch *confitetur: primùm, vt insererentur in medio multarum, cùm essent aliquando literæ multæ subscriptione Regiâ signandæ: tum, vt ne offerrentur ita signandæ, nisi eo demum tempore quo Rex venatum ire properaret, quò, ita repentè tùm oblatas non vacaret excutere, aut quæ essent, aut ad quos, curiosiùs obseruare: tertiò, vt stilus, atque tituli, quibus de more compellari solet Pontifex, omitterentur prorsus, necubi comparerent in literis; ne, si dum inter scribendum esset, traiectu fortè oculi in aliquem*

de

de titulis illis incideret, fraus tota deprehendi posset, sed relicto ibi ad titulos quod satis esset, interuallo, ij pòst, commodè per otium addi possent atque inseri. Atque ex hoc eorum instituto fatetur idem dictus Dominus de Balmerinoch *(fide quam ei Rex habuit, perfidè à se violatâ) aliquo pòst die, manè primo, venatum exeunte Rege, atque iter quantum potuit maturante, inter literas tum alias ad Duces* Florentiæ *atque* Sabaudiæ, *atque alias ad Cardinales* [a] *quosdam pro Episcopo* Vasionensi *latinè scriptas, cùm ad Pontificem antè iam Rex abnegâsset, se vllo modo adduci posse, vt scriberet, nec tale quicquam proinde suspicari posset) inseruisse illas ad Pontificem, eisque tum, Regem (inscium, nec tale quid cogitantem) subscripsisse.*

[a] *Quosdam autem hîc quod dicis dubiâ voce, tu Lector, ad Regis animum, Cardinales intellige non alios quàm qui ex materno genere Regis affines erant; quique tum extra Curiam Romanam agebant.*

Id vbi factum: fatetur porrò dictus Dominus de Balmerinoch, *se quidem authore,* Edwardum Dromonium *titulos pòst apposuisse, atque stilum Pontificis, tum in capite ipso literarum, tum verò & in imâ chartâ, vbi interstitium inter contextum ipsum, & manus Regiæ appositionem, nempe vocem* Sanctitatis, *& vocem* filius, *& eiusdem generis reliqua, quæ Pontifici tum accommoda, & ad rem suam putabant opportuna. Pòst verò iussu suo, literas illas à famulo quodam suo obsignatas esse, impresso illis tum Regio signaculo. Quod ad literas autem, quæ ad Cardinales missæ, obsigillatas eas dicit idem D. de* Balmerinoch, *sed sine superscriptione vllâ appositâ, eidem* Edwardo Dromonio *traditas, pro arbitrio Archiepiscopi* Glascuensis, *eis, si & quando ei videretur, mittendas. Comperisse se autem pòst, duas ex eis, peruenisse ad manus Cardinalium* Aldobrandini *&* Bellarmini; *tertiam verò, quæ Cardinali* Caietano *inscripta & destinata (quòd is tùm in Curiâ* Romanâ *Protectorem ageret* Scoticæ *nationis) frustrà inscripta, frustrà destinatam fuisse, cùm is, interea dum perferretur, certè*

priusquam ei traderetur, diem suum obijsset. Præterea etiam, fatetur idem D. de Balmerinoch, *cùm veniret pòst in quæstionem tota res ista, viuente adhuc nuper Reginâ* ELIZABETHA, *quòd Legatus eius peruenisse diceret ad aures Reginæ de eiusmodi literis ad Papam scriptis, deque ijs Regem insimularet; se quidem, dictum D. de* Balmerinoch, *cùm de totâ tum re, an ita se haberet, Rex acriùs inquireret; quicquam eiusmodi vnquam à se factum, seriò pernegâsse. Fatetur præterea, egisse se etiam atque etiam cum* Edwardo Dromonio (*qui de transmarinis tum partibus in* Scotiam *venerat, accersitus eò literis D. de* Balmerinoch, *quò per eum quoque huiusce rei veritas elucere posset*) *vt & ipse à se negata, negaret. Quod & ab* Edwardo Dromonio *præstitum est, qui vllas à se literas illiusmodi, ad Papam delatas esse, strenuè etiam Regi inficiatus est. Cùm verò hæreret ei tamen suspicio adhuc aliqua, atque eâ de causâ dictus* Dromonius *in carcerem amandatus esset in Arce* Edinburgensi, *intercedente dicto D*[no.] *de* Balmerinoch *apud Regem, dimissus pòst, atque libertati suæ redditus est. Qui ipse, cùm Romam reditum suum adornaret, fatetur idem Dominus de* Balmerinoch, *egisse se cum dicto* Dromonio *quàm poterat enixè, atque vehementer, vt quocunque modo posset, literas illas Regis ad Pontificem arte aliquâ recuperaret, recuperatas autem statim corrumperet. Id quod* Dromonius *facturum se sanctissimè suscepit: se verò ipsum, D. de* Balmerinoch *fatetur, quod penes eum tum erat exemplar literarum, quodque ad id vsque tempus secum retinuerat, tùm demum conscidisse, atque penitus corrupisse.*

Iam verò, vt hoc facto, operæ precium sanè fecisti, cùm ex verbis quis substructio per te Regi data sit Quæstionis huius, per quam, parum sancta quorundam in Regem fides patefacta est; quia, nulla vna res magis existimationem eius

lædere

lædere potuisset, (existimationem dico, vitâ suâ longè ei antiquiorem:) ita, coronares hoc opus tuum, si & illud quoque ingenuè exprompsres, quid occulti lateat sub illa voce tuâ *præter cætera*, quò ita, ope tuâ atque operâ, non hoc modò, sed & *cætera* illa nôsse detur, quæ in fictitijs illis literis comprehensa sunt. Suspicioni enim magis obnoxia vox ista ex ore vestro, qui de Ecclesiâ *Romanâ* estis, quàm si alius quis diceret, *præter cætera*. Nôsti quæ seria, imò quanta vobis mysteria lateant, in verbis Apostoli, *Cætera, cùm venero, disponam.* Totum enim Officium Missæ, vt nunc quidem eam celebratis, proximo suo ad *Corinthum* appulsu edocuisse & disposuisse *Apostolum*, cùm *cætera illa* disponeret. Iniecta autem inde Regi, nec sine iustâ causâ, suspicio, ne prolixæ aliquæ promissiones in ijs literis factæ fuerint, cùm ex eis *Clementi* facta fides, Regem à Catholicâ vestrâ fide non abhorrere.

Sed vt appositè dicam; *Cætera illa* quæcunq; fuerint, quicquid ibi scriptum: nego tamen *Clementē* Papam ex ijs venisse *in spem* vllam, Regem in Religione mutaturum. Ratio autem cuiuis obuia, siue *ad Clementis actiones* respicias, quæ literas demum illas subsecutæ sunt, siue etiam *ad ipsius Regis*. *Ad Clementis*, parum *Illum* eis literis fidei habuisse; Nam nisi parum habuisset, celâsset saltem in sinu: si enim eo ipso tempore, arcanum illud euulgaret, in magnum id Regis & dedecus & discrimen cederet. At *ille* (quod quidem iam compertum, postquam res exijt in vulgus) ille (inquam) tantum aberat, vt celârit, vt vix quisquam eò de Gente *Scotorum* venerit, cui non statim ostenderit, etiam percontatus sit, *illáne ipsa Regis manus videretur, ipsiúsne* αὐτόχειρ, etiam, à quibusdam *transcribi* passus sit. Tum, quod *moratus* quiuis ex humanitate ipsâ, *cordatus* quiuis ex solertiâ politicâ facturus fuerat, *respondisse* saltem debuit *comiter*, si *petitioni* de Cardinali *nollet annuere*. Ille verò, nec verbo *respondit*, nec postulationi quicquam vnquam *detulit*. Hoc autem, *diffidentiæ* eius sanè tribuendum, quòd literis illis parum crederet, tanquam fucatis, non veris: Non enim certè *arrogantiæ*; cùm ipse *Clemens* aliquot pòst annis vltrò ad Regem literas dederit, perferente illas *Iacobo Lindseio Equite*. Quæ etsi erant profectò plenæ humanitatis, vsitatis tamen ibi *Clemens* titulis abstinuit; nec se *Patrem* ibi,

 nec

potuit, nec fuit tamen; Et *Leues* tamen non sunt, nec *temerarij:* cadunt enim, faciles hij motus in generosam indolem. Atque ita *excusare voluit* factum Pontificis, & *crimen* in rumores *transferre* sæpe non veros. Non sinit. *Humanum* est *errare.* Non cadit autem in Vaticanos Deos *infirmitas* hæc tanta. *Homines* non sunt. Quicquid *humanum* est, ab ijs alienum putat.

De *Pio* primùm, vel verum hoc, vel non veri nostrates vestri, qui sermone, hoc, nec solùm sermone, etiam scriptis affirmârunt. Surrepsisse tum ei *Mortonum* & *Webbum*, transfugas nostros, & per suggestiones mendacij plenas, decepto, *Bullam surripuisse.* Quod cum hîc constaret *Lincolniensi* pridem Episcopo *Watsono* (qui & tum & diu pòst in viuis) mirum illi in modum displicuisse, quòd ita se *Pius passus sit induci in errorem*, quem præuidit *Watsonus*, & prædixit, nec Sedi *Romanæ* vtilem, & Pontificijs hîc omnibus fore perniciosum, cùm ex eo necessitas quasi quædam imposita Reginæ fuerit, seueriores in eos pòst leges sanciendi. De *Paulo* 5°. non minùs verum: qui, hîc inter Pontificios moderati magis, sic omnes affectos, sic sensisse omnes, nempe vel *fictitium* fuisse *Breue* illud, vel certè *surreptum* per fraudem quorundam, vel *abreptum* per importunitatem, nec ab *Illo sponte purâ* vnquam emanare potuisse. Quid si autem & *Pontifex ipse* tantundem *fassus sit*, vbi *Breuis* sui per quorundam Principum *Legatos* iniecta mentio? Penes Authores fides sit. Quid si & *purgauit se de Breui* sic emisso, *apud Principem aliquem* exterum, nempe, quòd *Breue primum* per *obreptionem*, se quidem non intento ad rem, vel tale quid cogitante, procuratum fuerit? Ad *secundum* verò, quòd *pertractus* quasi inuitus, dum *Collegiũ Inquisitorum* rem *importuniùs vrgeret:* addito, etiam *promisso*, & datâ *fide*, deinceps iam *cautiorem* fore se, siquid tentandum *in rebus Britannicis:* De quo viderit ipse. Interim mitior haud vlla afferri potuit *excusatio*, quàm quæ in Apologiâ allata est, & allegata; *fecisse*, quod *fecit*, Pontificem, *non plenè informatum*, nec fuisse tam illi perspecta omnia, quin, quod tum nesciret, paulò pòst exploratum magis habere potuisset.

De *septicolli* verò ciuitate, de *Babylone* suâ, ludos non patitur *Tortus*; seriò dat; *quæ in Epistolâ est B. Petri, quæq; in Apocalypsi,*

Apocalypsi, Babylonem, non aliam vllam vrbem esse, quàm *Romam* ipsam. Nos, quod dat, accipimus non illibenter. Ità auidè auent homines, hij, *Petrum Romæ*, alicubi in scripturis reperire, potiùs vt *Babylonem* velint esse *Romam*, vbi *Petrus* fuit; quàm vt *Petrus Romæ* non fuerit. Valdè enim illorum interest ad *Caput fidei*, vt *Petrus Romæ credatur* fuisse, non *fide piâ* quæ in historijs est, sed *maiore, Sacrarum* nempe *literarum*. Etsi & illud quidem totum, præter Leges Theologiæ, quæ si *Mystica est*, seu *Symbolica*, non est *argumentatiua*. Etiam præter Leges Epistolæ; quæ etsi tota sit *mysteriorum* plena, *locum* tamen, vnde scripta, designare non solet *mysticè*, ne si *locus* non sit certus, nec ipsius *Epistolæ fides* sit certa. Quî verò, si locus allegoricus *Babylon* sit, non & allegorica persona *Marcus*, qui mox sequitur? vel si *hic* literalis, quidni & *illa*? Quorsum autem *Petrus*, *Româ* scribens, *Romam* non ausus *Romam* nominare; quam *Paulus*, cùm inde scriberet, *vrbem Romam*, *ciues Romanos*, & ausus, & nominauit? Atque adeò Diuus *Iohannes*, cùm *librum* scriberet, cuius singuli versus singula mysteria sunt; vbi tamen ad *Ecclesias* scribendum fuit *septem* vrbium, *proprijs* nominibus singulas quasque designauit, easque voluit esse non *mysticas*, in libro alioquin per totum *mystico*. Etsi verò sint ista, vt dixi; non piget tamen *Tortum* habere confitentem, quòd *non in Epistolâ modò Petri, sed & in Apocalypsi, Babylon Roma sit*. De eo tantùm nobis lis erit iam, *quænam* illa ibi *Roma Babylon*; aut *Roma* quo tempore *Babylon esse cœperit*. Cui rei tot ibi circumstantias adhibet B. *Iohannes*, vix vt in eâ errare cuiquam contingat. Quæ enim *Babylon* ibi: eadem *meretrix magna* dicitur, *quæ sedet super aquas multas, cum quâ fornicati sunt Reges terræ*; quæ *Bestiæ ibi insidet habenti capita septem & cornua decem*. *Septem* autem illa *capita*, *septem* sunt *montes*, in quibus sita Roma.——*Et quæ de septem totum circumspicit orbem Montibus, Imperij Roma Deûmq. locus*: Edoctum autem ibi se dicit *B. Iohannes à Spiritu, de rebus quæ venturæ essent*. Quod si iam, *Romam* ibi (quo tu sensu vis) designauit, nihil *venturum edocuit Spiritus*; *Ethnica* enim tum *Roma* in *Auge* erat vel maximè. *Propheticus* verò is liber totus haberi solet; nimis autem illa *misella* tum *prophetia* foret, si prædiceret, fore, vt *persequeretur Roma Christianos*. Vidit verò hoc prius-

priusquàm in *Pathmon* relegatus esset; *fusum Iacobi* fratris sui, multorum *sanguinem* sub *Nerone fusum*: sensit ipse, & *pars magna* fuit illius tum *persecutionis*. *Prophetiam* ergo totam *euacuat*, si *Ethnica* ibi *Roma* sit. Tum *Reges* illi *decem*, (qui numerus certus pro incerto) quomodo tum *inebriati de vino prostitutionis meretriciæ*, qui tum scilicet *nulli* erant? Stante enim & vigente *Româ Ethnicâ*, eclipsin passi sunt; qui vspiam tum *Reges* erant, *vectigales* omnes, *Reguli* potiùs dicendi quàm *Reges*: *Reges* tum demum, cùm illa *retro sublapsa* ferretur. Neque verò periculum tum *ebrietatis* vllum à *meretrice*, vel ab illius amoribus. Oderant enim illam, perijsse expetebant, & (quod tu antè dixti de *Gregorio*) *vellent nollent*, illi tum per vim atque ingratias seruiebant: Etiam *Bestia illa altera, quæ cornua duo habebat similia agni*, qui poterat suppetias ferre *Romæ Ethnicæ*, in quâ, quamdiu quidem *Ethnica* nec CHRISTVM professa, nullum prorsus CHRISTI vestigium, nihil penitùs, quod vllâ ex parte referret *agnum?*

Luculentæ quidem satis hæ *circumstantiæ*; mitto illas tamen: verbis ipsis stringo, quæ satis diserta sunt, ad tempus, quo *implenda* fuit hæc *prophesia*, perspicuè designandum. Versu 8° dicitur dilucidè; *Bestia quam vidisti, fuit, & non est, & ascensura est de Abysso, & ibit in interitum. Fuit* (inquit *B. Iohannes*) *& non est. Erat* autem *tum Roma Ethnica; erat*, & *erat* tum florentissima, cùm hæc agerentur. Falsò ergo tum diceretur, *non est, sed ascensura est*, si de *Româ* quæ *tum erat* diceretur. Paulò autem infrà vers 12°. *Decem cornua*, quæ *decem* ibi *Reges*, *regnum* (inquit) *nondum acceperunt*, sed *potestatem tanquam Reges vnâ horâ accipient cum Bestiâ.* Negare verò non potes, scribente hæc *B. Iohanne*, *Babylonem*, *Romam* esse tum quidem non potuisse. *Reges* enim tum nondum *potestatem acceperant*, ac neque diu pòst *acceperunt*, donec *Roma* iam *Christiana*. Nec ergo *Romam Ethnicam*, *Babylonem* fuisse. Quin etiam *interitus ipse*, quem interminatur ibi *Babyloni*, liquidiorem adhuc multo rem facit. Nec enim verbum ibi vllum *de conflagratione* eius, quæ *Romæ* olim *Ethnicæ* contigit à *Gothis* ac *Vandalis* incensæ: quin de *interitu* potiùs alius & generis & modi, *repentini* scilicet, & tanto impetu, quasi vi magnâ *molaris lapis mitteretur in mare*. Haud enim (inquit)

pòst

pòst, vnquam inuenietur. Non autem (quantacunque ei potentia est) *mersum in mare molarem* natare denùo, facturus est *Pontifex.*

Porrò verò, ibi dicitur, quòd *postea, vox in eâ Musicorum, vel Artificum non audietur, quòd Artifex non inuenietur in eâ ampliùs, vox molæ ampliùs non audietur, lux lucernæ ampliùs non lucebit, vox sponsi & sponsæ in posterum conticescet.* Ibi accumulat denique quicquid vsquam est artis vel verborum, quæ id ponant ante oculos, deploratam & desolatam iri *Babylonem* sine entitatis spe omni, quasi *non Ens* in æternum. Quòdsi, prætereà nihil foret, satis esset tamen, ad institutum præsens, in ipsâ descriptione illorum qui cum illâ *mercaturam facient. Mercatores eius* (inquit) *Principes terræ. Omnes Gentes errârunt in Veneficijs eius.* Nam neque hæc *Romæ Ethnicæ* quadrare possunt, quæ *vi* solâ *atque armis* gentes sibi subegit, nec eas vnquam ita *Veneficijs* incantauit, vt non primâ quâque vel leuissimâ occasione datâ *(vires modò essent) vindicarent* se in libertatem, & ad arma *conclamarent*; Verùm enim, quæ illa tandem *Roma* sit (non enim certè *Ethnica*) quæ *merces instituit de animabus hominum*, optimè omnium nobis dixerit Cardinalis ipse. Et ipse quidem (quod in *Apologiâ* notatum est) fatetur rem totam : *Decem enim Reges meretricem contremabunt*; quod de *Româ* quæ *Ethnica* fuit intelligi non posse, puto abundè iam mihi demonstratum est.

Vt verbo igitur expediam. Quæ sunt apud *B. Iohannem* de ruinâ *Romæ* prædictiones, de quâ *Româ* sunt? De *eâ*, cui opem feret *Bestia*; cui *cornua agninis* similia: quæ in *templo Dei sedet*: Cui *cum Regibus* terræ fœderata *pactio*: Quæ *vino prostitutionis* suæ *inebriat* eos: Quæ *veneficijs seducit.* De *eâ* (inquam) *Româ*, quæ *extollit se super omne quod dicitur Deus*, non, quæ ipsa, nescio quot *minutulos* & *patellares* Deos veneretur, quod illa fecit *Ethnica*: De *eâ Româ* quæ *agnum specie refert*, scriptam tamen habet *in fronte blasphemiam*: De *eâ Româ*, cuius *merces, hominum animæ*, dum licitari facit homines nummo salutem suam: De eâ, quæ fuit olim *sub Regibus septem*, sed *B. Iohannis* ætate non fuit (etsi etiam tum mysterium illud occœpit operari) *non fuit* (inquam) *sed ascensura fuit* tum demum ad fastigium suum, cùm *decem ibi Reges potestatem suam accep-*

turi essent, postquam scilicet *Roma Ethnicæ* iugum excussissent. De *eâ Româ*, quam *decem Reges* (non eluuies illa barbara *Vandalorum* vel *Gotthorum*) postquàm diu *seducti* essent ipsius *veneficijs*, tandem *igne concrematuri sunt*; non ad cladem aliquam, vnde pòst conualescat, sed *ad perniciem* eius *sempiternam*, vt seges sit, non minùs vbi *Roma*, quàm vbi *Troia* fuit. *Dabit enim Deus in corda Regum, vt Romam hanc excindant* penitus, sicut dedit *Satanas* olim in corda Barbarorum, vt illam *succenderent*. De *eâ* denique *Româ*, quæ per *Pseudoprophetam suum, vim habet signa faciendi*, quæ cum Pseudoprophetâ suo, atque ille cum eâ, *vtrique mittentur in stagnum ignis, ac sulphuris, in æternum*. Verè autem à *Torto* dicitur, *Romam Christianam* perditam non iri. Non certè, sed *illam quæ inebriata est Sanctorum sanguine*, & *Martyrum Iesu Christi*, *Antichristianam* scilicet. Ea enim perdenda est, *cuius in fronte scriptum nomen blasphemiæ*.

Minimè verò mirum, si ista quæ dixi, tam vel claram, vel certam in scriptis Patrum interpretationem non habeant. *Operabatur* enim modò *mysterium* tum *iniquitatis*. *Signatus* adhuc *liber* erat huius *Prophetiæ*. Verissimum autem verbum est; *ænigma* esse *Prophetiam* omnem, *cùm nondum completa* est; vt, quamuis Prisci illi omni genere charismatum, vitæ verò sanctimoniâ, longo nos interuallo superârint: mirari tamen non debeat quis, si non illis tum, adeo explicita omnia fuerint, quàm nobis, per Dei gratiam, iam sunt, qui *consummatam* iam *Prophetiam* illam quotidie oculis vsurpamus. Et tamen id quoque miretur quispiam, quòd & Illi etiam horum multa, quasi per transennam viderint, quòd nimirum ita [a] Tertullianus: *Sic & Babylon apud Iohannem nostrum, Romanæ vrbis figuram portat, proinde & magnæ, & regno superbæ, & Sanctorum debellatricis.* [b] Hieronymus autem. *Cùm in Babylone versarer, & purpuratæ meretricis essem colonus, & iure Quiritum viuerem.* [c] Idem; cùm *Marcellam Româ Bethleem* commigrare vellet, *Hic, puto, locus sanctior est Tarpeiâ rupe, quæ de cælo sæpiùs fulminata, ostendit quod Domino displiceret. Lege Apocalypsin Iohannis, & quid de muliere purpuratâ, & scriptâ in fronte blasphemiâ, septem montibus, aquis multis, & Babylonis cantetur exitu, contuere. Exite (inquit Dominus) de illâ.* At verò [d] Augustinus,

[a] Aduers. Iudæ. de prob. ...

[b] In Prologo Didymi.

[c] Epist. 17.

[d] De Ciuit. Dei. lib. 18. cap. 22.

stinus, *Condita est Roma velut altera in occidente Babylon, & velut prioris filia Babylonis.* [e] Victorinus quoque: *Scripta ibi in tubis, ruina magna Babylonis ciuitatis, id est, Roma.* Etiam [f] Orosius: *Ecce similis Babyloniæ ortus & Romæ, similis potentia, similis magnitudo, similia tempora.* Sed quid ego hæc, cùm vnanimis sit ista Patrum penè omnium sententia? Nam de *Romæ fronte, Christi nomine signatâ* quod affers; nulla est in *Apocalypsi Babylon*, cuius *signata frons Christi nomine. Christi nomen* deleri oportuit priùs, & deletum est, quàm *blasphemia* ibi scriberetur. Postquam autem ibi scripta *blasphemia*, tum demum verè *Babylon* fuit, verè est. Sed necdum *Apocalypsis* completa vobis, necdum *cecidit Babylon* illa vestra, quæ si, vt dicis, *scriptam iam habet in fronte Christi confessionem*, cadere non poterit: atque ita non *verus vates Iohannes.* Ille verò & *vates verus*, & *casura est Babylon* illa vestra; ideo autem *casura*, quia *Christi confessionem illam expunxit*, & loco eius, *blasphemiæ multiplicis nomen* ibi iam *inussit*; & quidem *maiusculis literis, vt quiuis vel qui transcurrit, legere possit* sic inustam. Quâ in re, ea veritatis vis est, vt etiam *Iesuitas* vestros adigat, qui in eum librum non ita pridem commentarios scripserunt, non solùm de *Româ Ethnicâ*, verùm & de *Christianâ, Babylonis* ibi nomen interpretari, ac *delendam* denuo *confessionem Christi de fronte eius, post deletam* autem, *blasphemiæ nomen* ibi *inscribendum.* Sic [g] Ribera: *De Româ intelligendum, non solùm qualis sub Ethnicis Imperatoribus olim fuit, sed etiam qualis in fine sæculi futura est.* Et pòst. [h] *Babylonem dictam esse, non solùm quòd hoc illi nomen, tempore, quo Iohannes hæc scribebat, maximè conueniret; sed etiam quòd tempore, quo hæc explebuntur (necdum enim expleta esse) non minùs quàm antè; conueniet.* Sic Iesuita alter [i] Viegas: *Omnia quæ in hijs capitibus commemorantur, in Romanam vrbem apertissimè quadrant. Cæterùm nomen Babylonis ad eam Romam transferendum, quæ antequam reciperet fidem Christi, Idolis seruiebat: & ad eam etiam, quæ erit tempore Antichristi.* Erit ergo tempore Antichristi *Roma Babylon*, non solùm Ethnica, eáque tum *in desertum & solitudinem euadet*, vt ait *Ribera* vester. Sed hæc omnia, vix quicquam ad institutum sermonem de rumoribus, qui vos *Romæ* circumuolant, nisi quia tibi hîc digredi libuit, vt *Babylonem* salutares. Nam etiam *Hieronymi* ætate,

[e] In Apocal.
[f] Lib. 2. cap. 3.
[g] In 14. Apoc. nu. 42.
[h] Nu. 57.
[i] In 17. Apoc. com. 1 sect. 3.

cùm *Christi* nomen *in fronte gereret Roma*, etiam tum hoc morbo laborabat, vt, eò confluerent toto ex orbe *rumores vndique*, quorum si nullis *Roma* tum credidit; quid, eo loco, opus *Hieronymo* ita rem referre? Profectò nec pauciores *Romæ* iam *famigeruli*, nec minus est *aurium* ad nouitates *prurientium*, quàm cùm *Hieronymus ibi purpuratæ meretricis colonus esset*.

Dum verò in eo totus est, vt Pontifices suos *Pium* & *Paulum* tam anxiè excuset ab omni erroris labe, siue ex *aliorum* malâ fide, siue ex *suâ*; interserit nescio quomodo & *Clementis 8*ᵗ. defensionem, *de Breuibus huc* ab eo *transmissis*, vergente ad occasum tum Regno R. ELIZABETHAE. Ex dialecto autem *Papiensi*, more suo aspergit primùm *mendacijs* Authorem Apologiæ, quorum illi copiosa domi messis est. *Breuibus enim illis*, ait, non *vt iste mentitur*, IACOBVM, *tum Scotiæ Regem, à solio exclusit, sed consilium dedit, quale dare decebat Summum Pontificem*. Pòst verò paulò, oblitus personæ suæ, non quasi *Capellanus de Sacello*, sed quasi *Cardinalis* ipse *iam de Consistorio* egressus. *Habemus* (inquit) *exemplaria Breuium illorum in manibus, & ijs diligenter inspectis, nusquam inuenimus nomen* IACOBI *Regis, aut alterius particularis personæ*. Hîc ferè iam illi *larua* de vultu *delapsa* est; non hæc Capellanum *ampullæ* decent, *Habemus in manibus, & nusquam inuenimus. Intererit multùm, Dauusne loquatur, an Heros*; sed recolligat se, *laruam* reponat, cautiùs rem gerat in posterum. *Mentiri* autem suum nusquam magis obtrudit, quàm vbi ipse est *mendacissimus*. Cur enim *mentitur* ipse *de nominatim* ibi *excluso in Breui Rege*, quod nusquam in *Apologiâ* dictum est? Id modò dictum: *exclusum* ibi, *ne* à *Pontificijs reciperetur in regem, qui* vel nostræ religionis *cultor esset* ipse, vel *cultores toleraret*; ac per hoc, non minùs Regi obnunciatum esse, quàm alij cuicunque, qui alterius, quàm vos in fide, professionis esset. Verè ergo ibi dictum, nec verius quid dici potuit; quantum in se erat, *Clementem* tum *Breuibus illis* egisse, vt *Rex* iam *noster*, vt quiuis alius, *quocunque demum iure niteretur*, si sic, vt Papa in religione non sentiret, à capessendis Regni huius gubernaculis esset *exclusissimus*. Ego verò id fidenter dixerim, perinde Breuibus illis *exclusum solio* hoc suo, ac si *nomine* ibi proprio & natiuo, IACOBI *Regis*, designatus esset. Quid enim interest, *nominetur*

tur quis, an ita ad viuum *describatur*, vt cuiuis in promptu sit, quem ibi velit Pontifex? *Ius Regis hæreditarium*, quis tum nesciebat? quis verò *religionem ignorabat*, quam ille, ex quo voces primò, & literas formare potuit, voce, scripto, præsentiâ suâ semper professus est? Annon ille *exclusus?* Quid illa ergo sibi volunt verba, *Quantumcunq; propinquitate sanguinis niteretur?* Quis ille verò, qui *nixus propinquitate sanguinis?* Quis fuit? quis esse potuit? An est quisquam tam obtuso pectore, vt *quò* illa *tendant*, *quem petant*, non intelligat, nisi *nomen nominetur?*

Quale autem consilium illud, quod *dare decebat Pontificem?* Nempe *operam darent, vt eligeretur Rex. Eligeretur* autem? Ain' verò, vt *eligeretur?* Quid opus hoc? Erat, qui Antiquo stemmate, Regio sanguine, Hæreditario iure, Stirpis proximitate, Optimo titulo, vendicare poterat. Quorsum hîc, *eligeretur?* Itáne, in Regnis, vbi *successionis* iure Reges nascuntur, conclamat Pontifex *ad electionem*, ad *vota*, ad *suffragia?* Quorum verborum, quæ mens, qui sensus sit, credo iam Reges omnes per *Europam*, qui *hoc iure* regnant, satis aduertisse. Idem antè tentârat *Lutetiæ* in Regno *Gallicano*. Idem hîc iam tentat in *Nostro*. En *quale consilium dare deceat, dare soleat, quale* etiam in Regum aliorum successione quâcunque, (cùm se dederit occasio) *dare paratus sit*; *Conclaue* credo in regna omnia *inducturus*, si daretur. Verùm dic porrò, quis tandem *eligeretur? Qui ad religionem Catholicam benè affectus. Mendaciter* & hoc; vtcunque enim *affectus benè*, nisi eiusmodi esset, qui religionem Catholicam non modò *toleraret*, sed omni ope & studio *promoueret*; *exclusus* tamen adhuc, quisquis fuit ille Regum, nisi & *iureiurando* se id præstiturum *susciperet*. Quare, in totâ hac narratione nihil sani; *vanitate, falsitate* referta omnia. Pòst verò etiam, illud suadere vult homo lepidus, *Abfuisse tantùm vt excluderetur* IACOBVS *Rex, vt includeretur vel maximè scilicet. Spes enim maxima, illum à Romanâ fide suscipiendâ non abhorrere.* Verùm vt res ibi, ita & *spes*, falsa vtráq; : At *ministri eius spem dederunt*: sed *fallaces*; quibus tamen, cùm in rem suam est, cùm libet; *credulus* satis *Clemens, Pius, Paulus*, quis non?

Quin *Rex ipse ad Pontificem scripsit*, *etiam ad Cardinales Al-*

 dobrandinum

dobrandinum & Bellarminum, literas plenas humanitatis, quibus, præter cætera, petebat, vt aliquis è Gente Scotorum Cardinalis createtur, vt haberet Romæ, per quem faciliùs & tutiùs cum Pontifice negotia sua tractaret. Enimuerò de hoc quod iam retulit *Matthæus*, in negotio hoc *Literarũ*, si quàm *bono* id *euentu*, tam etiam *bono* in Regem *animo* retulisset, meritò illi à nobis gratia habenda esset, quasi de officio sanè perhumano. Certè enim successu non caruit, quò suus inde Regi honor iam saluus sit. Ex eo enim occasio illi data, atq; ansa occulti cuiusdam maleficij eruendi, quo sic eruto, integritatem fidei atq; honoris sui, sartam tectam habebit. Tecto autẽ sic atq; latente, vt diu iam latuit, atq; tectum fuit, aliquo pòst alio tempore recrudüisset fortè, cùm elapsa iam esset occasio omnis, eius eruẽdi. Simul, vt de eo ipso, certior redderetur, qui in eo *Regis fidem* de se *fefellit, suam* in Regẽ *fidem violauit.* Nec enim potest Regi accidere quicquam optatius, quàm, vnde ei detur in sensus eorum intimos (qui ei intimi sunt) penitiùs introspicere, & quorum ab eo *fidei* multa committenda sunt, eorum certa sit an sublesta *fides*, explorare. Cùm enim obiecisset *Matthæus scriptas ad Pontificem à Rege literas*, (rem ita crassam vt manu teneri posset) facere non potuit, quin acriùs in eam rem inquireret. Reperit autem, fouisse se in sinu serpentem, & verè tandem deprehendit, fraudem sibi ab eo factam, qui Maiestatĩ suæ *à Secretis literarum.* De quo, etsi incertos priùs aliquos rumusculos inaudisset, cùm paulò pòst, quàm Romã perlatæ essent, nonnulli, nescio quid ibi tale auditum sibi mutirent: at, ex eo iam tempore, nunquam certi quid, eâ de re, datum est cognoscere; ita, qui *facti author* fuerat, dum sibi malè metueret, texerat rem probè, & quasi tenebris obuelârat. Sic ergo habet. Surrepsit Regi furtìm, atque ad literas, quas narras, malis artibus elicuit manus Regię subscriptionem *Secretarius* tum *Regius*. Quo autem consilio hoc; siuę quòd propendêret animo ad religionem Pontificiam; siue quòd, lucro illi atque commodo fortè ea res futura fuit; siue quòd, impensè faueret propinquo suo *Episcopo Vasionensi Cardinalatum* ambienti; (cuius in gratiam erant literæ illæ adornatæ) siue etiam quòd *Edwardo Dromonio Equiti* gratificari vellet, qui rem totam procurabat atque vrgebat; quo (inquam) consilio, aut, horum

quid

quid fuerit, *illi ipsi* notum; præterquam, *illi ipsi*, notum credo nemini. Rei autem totius modum, & cum *substantiâ ipsâ circumstantias* omnes, quibus *Regi* imposuit, dum surriperet ei literas, nemo meliùs magisue ad viuum referat, quàm *Author* ipse *criminis*: Cuius est, quam subijcio hîc, non expressa per vim, vel per fraudem illecta; sed *libera* sanè *confessio*, atque omni modo *spontanea*, ad mentem *ipsius, ipsiusque* manu, signata.

DECLARATIO, atque Confessio D. *de Balmerinoch*, REGIÆ *Ma^ti.* *facta*, ac DOMINIS qui ei à Sanctiore CONSILIO sunt, de literis quibusdam, quas ille, per fraudem surreptitiè scribendas REGIO nomine, atque ROMAM, ad Papam CLEMENTEM 8um. quasi si à MAIESTATE suâ essent, mittendas curauit. *Anno 1598.*

DOMINVS *de* Balmerinoch, *habitâ de eo quæstione, cùm crimen hoc illi obiectum esset, quòd per malas artes, perque surreptionem literas illas procurâsset, (quibus è literis imputatio, maximè, vt falsa, ita scandalosa in Regem, quâ ad Regij nominis honorem, quâ ad Religionis castam professionem redundâsset) postquam varijs modis, offensam negando, subticendo, transferendo, extenuando nihil profecisset, ingenuè tandem agnouit atque confessus est. Quòd scilicet Ann.* 1598. *adductus ad id precibus * Archiepiscopi* Glascuensis, *qui tum legatum agebat Responsalem Maiestatis suæ in Galliâ, præsertim verò Episcopi* Vasioniensis *ac aliorum quorundam, procurante negotium hoc* Edwardo Dromonio *Equite, quem illi tum huc legârant eo nomine, vt interuentu suo, mutuæ quædam inchoari possent atque reciprocæ vices inter Regiam Maiestatem & Pontificem.*

* *Hæc ille: quàm verè, penes authorem fides sit. Nam vt scias, Lector, quod res est;* Glascuensis *haud vnquã de tali re vllâ, apud Regem egerat, vt quicquid inter illos actum, id omne, clam Rege.*

Idem.

Idem Dominus de Balmerinoch, *postquam ei rei assensum suum præbuisset, Regem ad id sæpenumerò incitare conatus est, eique, illiusmodi delineatas à se literas obtulit, quas manu Regiâ signatas vellet ad Papam. Vbi autem, Regis animum, à quâcunque scriptione eius generis alienum reperîsset; nec id modò, sed inceptum illud damnare penitus, de commercio vllo habendo cum Pontifice; qui titulis scilicet illis atque attributis à Rege compellari expectaret, quibus Maiestas eius, conscientiâ suâ teneretur, ne apud eum ratione vllâ vti posset, quâcunque de causâ.*

Idem Dominus de Balmerinoch, *&* Edwardus Dromonius, *cùm in manum conuenissent tamen, de incœpto suo ad exitum perducendo; egerunt de modo, quo imponere possent Regiæ Maiestati, & quales cupiebant literas, ab eo elicere. Itaque se,* Dromonij *manu descriptas, adornâsse pòst literas, quasi à Rege nimirum, ad Pontificem: Quarum hic ferè tenor: nempe vt Pontifici gratias ageret de humanitate, atque gratiâ pristinâ: vt Episcopum ei* Vasionensem *commendaret, quem in Cardinalium Collegium cooptari cuperet, quò sic, negotia sua (cùm ita opus) meliùs ibi* Romæ *expedire posset.*

Quò verò, astu rem gerere, & Regiam ad eas literas subscriptionem lucrifacere possent, hanc inter se rationem initam, dictus Dominus de Balmerinoch *confitetur: primùm, vt insererentur in medio multarum, cùm essent aliquando literæ multæ subscriptione Regiâ signandæ: tum, vt ne offerrentur ita signandæ, nisi eo demum tempore quo Rex venatum ire properaret, quò, ita repentè tùm oblatas non vacaret excutere, aut quæ essent, aut ad quos, curiosiùs obseruare: tertiò, vt stilus, atque tituli, quibus de more compellari solet Pontifex, omitterentur prorsus, necubi comparerent in literis; ne, si dum inter scribendum esset, traiectu fortè oculi in aliquem*

de

de titulis illis incideret, fraus tota deprehendi posset, sed relicto ibi ad titulos quod satis esset, interuallo, q̃ pòst, commodè per otium addi posśent atque inseri. Atque ex hoc eorum instituto fatetur idem dictus Dominus de Balmerinoch *(fide quam ei Rex habuit, perfidè à se violatâ) aliquo pòst die, manè primo, venatum exeunte Rege, atque iter quantum potuit maturante, inter literas tum alias ad Duces* Florentiæ *atque* Sabaudiæ, *atque alias ad Cardinales* [a] *quosdam pro Episcopo* Vasionensi *latinè scriptas, cùm ad Pontificem antè iam Rex abnegâsset, se vllo modo adduci posse, vt scriberet, nec tale quicquam proinde suspicari posset) inseruisse illas ad Pontificem, eisque tum, Regem (inscium, nec tale quid cogitantem) subscripsisse.*

[a] *Quosdam autem hîc quod dicit dubiâ voce, tu Lector, ad Regis animum, Cardinales intellige non alios quàm qui ex materno genere Regis affines erant; quique tum extra Curiam Romanam agebant.*

Id vbi factum: fatetur porrò dictus Dominus de Balmerinoch, *se quidem authore,* Edwardum Dromonium *titulos pòst apposuisse, atque stilum Pontificis, tum in capite ipso literarum, tum verò & in imâ chartâ, vbi interstitium inter contextum ipsum, & manus Regiæ appositionem, nempe vocem* Sanctitatis, *& vocem* filius, *& eiusdem generis reliqua, quæ Pontifici tum accommoda, & ad rem suam putabant opportuna. Pòst verò iussu suo, literas illas à famulo quodam suo obsignatas esse, impresso illis tum Regio signaculo. Quod ad literas autem, quæ ad Cardinales missæ, obsigillatas eas dicit idem D. de* Balmerinoch, *sed sine superscriptione vllâ appositâ, eidem* Edwardo Dromonio *traditas, pro arbitrio Archiepiscopi* Glascuensis, *eis, si & quando ei videretur, mittendas. Comperisse se autem pòst, duas ex eis, peruenisse ad manus Cardinalium* Aldobrandini *&* Bellarmini; *tertiam verò, quæ Cardinali* Caietano *inscripta & destinata (quòd is tùm in Curiâ* Romanâ *Protectorem ageret* Scoticæ *nationis) frustrà inscriptâ, frustrà destinatam fuisse, cùm is, interea dum perferretur, certè*

priuſquam ei traderetur, diem ſuum obijſſet. Præterea etiam, fatetur idem D. de Balmerinoch, *cùm veniret pòſt in quæſtionem tota res iſta, viuente adhuc nuper Reginâ* ELIZABETHA, *quòd Legatus eius perueniſſe diceret ad aures Reginæ de eiuſmodi literis ad Papam ſcriptis, deque ijs Regem inſimularet; ſe quidem, dictum D. de* Balmerinoch, *cùm de totâ tum re, an ita ſe haberet, Rex acriùs inquireret; quicquam eiuſmodi vnquam à ſe factum, feriò pernegâſſe. Fatetur præterea, egiſſe ſe etiam atque etiam cum* Edwardo Dromonio (*qui de tranſmarinis tum partibus in* Scotiam *venerat, accerſitus eò literis D. de* Balmerinoch, *quò per eum quoque huiuſce rei veritas elucere poſſet) vt & ipſe à ſe negata, negaret. Quod & ab* Edwardo Dromonio *præſtitum eſt, qui vllas à ſe literas illiuſmodi, ad Papam delatas eſſe, ſtrenuè etiam Regi inficiatus eſt. Cùm verò hæreret ei tamen ſuſpicio adhuc aliqua, atque eâ de causâ dictus* Dromonius *in carcerem amandatus eſſet in Arce* Edinburgenſi, *intercedente dicto D*no. *de* Balmerinoch *apud Regem, dimiſſus pòſt, atque libertati ſuæ redditus eſt. Qui ipſe, cùm Romam reditum ſuum adornaret, fatetur idem Dominus de* Balmerinoch, *egiſſe ſe cum dicto* Dromonio *quàm poterat enixè, atque vehementer, vt quocunque modo poſſet, literas illas Regis ad Pontificem arte aliquâ recuperaret, recuperatas autem ſtatim corrumperet. Id quod* Dromonius *facturum ſe ſanctiſſimè ſuſcepit: ſe verò ipſum, D. de* Balmerinoch *fatetur, quod penes eum tum erat exemplar literarum, quodque ad id vſque tempus ſecum retinuerat, tùm demum conſcidiſſe, atque penitus corrupiſſe.*

Iam verò, vt hoc facto operæ precium ſanè feciſti, cùm ex verbis quis ſubſtructio per te Regi data ſit Quæſtionis huius, per quam, parum ſancta quorundam in Regem fides patefacta eſt; quia, nulla vna res magis exiſtimationem eius lædere

lædere potuisset, (existimationem dico, vitâ suâ longè ei antiquiorem:) ita, coronares hoc opus tuum, si & illud quoque ingenuè expromeres, quid occulti lateat sub illa voce tuâ *præter cætera*, quò ita, ope tuâ atque operâ, non hoc modò, sed & *cætera* illa nôsse detur, quæ in fictitijs illis literis comprehensa sunt. Suspicioni enim magis obnoxia vox ista ex ore vestro, qui de Ecclesiâ *Romanâ* estis, quàm si alius quis diceret, *præter cætera*. Nôsti quæ seria, imò quanta vobis mysteria lateant, in verbis Apostoli, *Cætera, cùm venero, disponam*. Totum enim Officium Missæ, vt nunc quidem eam celebratis, proximo suo ad *Corinthum* appulsu edocuisse & disposuisse *Apostolum*, cùm *cætera illa* disponeret. Iniecta autem inde Regi, nec sine iustâ causâ, suspicio, ne prolixæ aliquæ promissiones in ijs literis factæ fuerint, cùm ex eis *Clementi* facta fides, Regem à Catholicâ vestrâ fide non abhorrere.

Sed vt apposite dicam; *Cætera illa* quæcunq; fuerint, quicquid ibi scriptum: nego tamen *Clementẽ* Papam ex ijs venisse *in spem* vllam, Regem in Religione mutaturum. Ratio autem cuiuis obuia, siue *ad Clementis actiones* respicias, quæ literas demum illas subsecutæ sunt, siue etiam *ad ipsius Regis*. *Ad Clementis*, parum *Illum* eis literis fidei habuisse; Nam nisi parum habuisset, celâsset saltem in sinu: si enim eo ipso tempore, arcanum illud euulgaret, in magnum id Regis & dedecus & discrimen cederet. At *ille* (quod quidem iam compertum, postquam res exijt in vulgus) ille (inquam) tantum aberat, vt celârit, vt vix quisquam eò de Gente *Scotorum* venerit, cui non statim ostenderit, etiam percontatus sit, *illáne ipsa Regis manus videretur, ipsiúsne* αὐτόγραφον, etiam, à quibusdam *transcribi* passus sit. Tum, quod *moratus* quiuis ex humanitate ipsâ, *cordatus* quiuis ex solertiâ politicâ facturus fuerat, *respondisse* saltem debuit *comiter*, si *petitioni* de Cardinali *nollet annuere*. Ille verò, nec verbo *respondit*, nec postulationi quicquam vnquam *detulit*. Hoc autem, *diffidentiæ* eius sanè tribuendum, quòd literis illis parum crederet, tanquam fucatis, non veris: Non enim certè *arrogantiæ*; cùm ipse *Clemens* aliquot pòst annis vltrò ad Regem literas dederit, perferente illas *Iacobo Lindseio Equite*. Quæ etsi erant profectò plenæ humanitatis, vsitatis tamen ibi *Clemens* titulis abstinuit, nec se *Patrem* ibi,

nec Regem *filium suum*, nec eum *Apostolicâ* vllâ *benedictione* impertijt: quod tamen solenne est *ei*, cùm salutat per literas Principem vllum, qui ex ipsius Catechismo, *Catholicus* est. Quasi si *Princeps Principi*, ita *Regi* tum scripsit, quòd satis scilicet exploratũ haberet, *Regi* cum *eo* in religione minimè conuenire. At verò de literis ibi, quas aliquanto antè à *Rege* acceperat, altum silentium. Sanè, verbum ibi de illis additum oportuit, postquam quod per illas petijt non impetrauit. Ita quidem par fuit, quando id multo magis ex dignitate Principis, salutanti per literas comiter, comiter *respondere*; quàm si ipse, alteri occupet *prior scribere*; præsertim, si quas scribit *literæ petitoriæ* sint, vt erant tum Pontificis, nec mentio in ijs tamen vlla *literarum*, quas ipse prior acceperat. Atque hæc, si *Pontificem*.

Sin *Regem* spectes, constans *Ille* quidem, suíque semper similis, in toto vitæ curriculo, Religionis *Professor*. Sermo domesticus, forensis; quæ scripsit, quæ fecit, quâcunque demum occasione, *testimonia* sunt, imò *præconia* sunt, tam publica, tam sonora, vt credibile non sit, ita desipuisse vnquam Papam, vt secus de eo sentiret. Quòd si, præterea nullus esset (qui tamen sunt plurimi) *Testem vnum* cito tibi *omni exceptione maiorem*, Βασιλικὸν δῶρον, *Librum*, quem iam pridem scripsit, & inscripsit *Primogenitò suo Nobilissimo Principi* HENRICO; quem Librum & in lucem edidit, priusquam regnum hîc suum apud nos capesseret. *Liber ille*, per se solus sufficere debet sensato cuiquam, ad *furtiuas* illas *literas*, aspectu ipso primo profligandas. Ludibrium ergo merum, & quod indignetur quispiam, esse quempiam, qui persuaderi sibi patiatur (cui nota sit Regis ab ineunte ætate *educatio*, iterata sæpe fidei suæ *professio* publica, assidua dicta, scripta, facta, concionum sacratum nunquam intermissa *consectatio*, Eucharistiæ sacrosanctæ, bis térue quotannis *participatio*) qui persuaderi (inquam) sibi patiatur; *omnibus* tamen *hijs*, *hijs* (inquam) *omnibus*, *vnas illas literulas* apud Pontificem momento suo præponderâsse. Quò tamen hîc, mente, atque fide optimâ gererentur omnia, quò & Pontifici & Clero suo æternùm occluderetur os; ipso in Limine regni satis supérque prospexit huic rei Rex; dum in mandatis daret *D. Iacobo Lindseio Equiti*, vt

vt referret ad Pontificem, quæ illum rationes, (quâ, *conscientiæ*; quâ, *existimationis* suæ) retinerent, quò minùs ad literas illas responsum daret, quas *Lindseius* pertulerat; vnáque certiorem redderet, siquas vnquam *literas* accepisset quasi à Rege scriptas, eas, vt absque omni dubio pro *fucatis* vel *furtiuis* haberet. Quod ipsum etiam Rex *Legato Responsali* suo apud *Regem Galliæ* præcepit, vt & ille *Nuncio Pontificis* significandum curaret, qui tum erat *Lutetiæ*. Quod superest perstringo breui: Luce clariùs hinc consequi, haud vnquam iustam Pontifici causam fuisse, vt in animum suum induceret, propendêre Regem ad Catholicismum suum. Proinde cùm per *Breuia illa sua* omni aditu *excluderet*, quibus præscriptio vlla iuris ad regnum, nisi qui simul procliues essent ad Romanam religionem; mentem illi atque animum fuisse, IACOBI Regis, à solio excludendi.

Quodsi spem fortè aliquam in sinu suo foueret Pontifex, Regem in religione mutaturum, siuè id *è literis*, siue quòd ita *narrarent* Regis *subditi*, quorum fides suspecta: at hoc, *de literis ad Papam Regijs* quî potuit, vniuersis, qui per Angliam tum erant constare? vel illud etiam, quid malè feriati illi, Papæ auribus insusurrâssent? Verùm enim, Bullæ illæ Clementinæ ad *omnes* erant: *Ad dilectos filios eius Nobiles Catholicos omnes per Angliam. Ad Clerum totum, & Populum Anglicanum*, quas, illi ad vnum omnes, qui scirent, quis Regi tum in Religione animus, non poterant non eo sensu interpretari, quasi contra Regem ex professo mugirent. *Literæ* autem *illæ*, *susurrus ille* clandestinus *soli Pontifici* notus, aut fortè *illis*, qui intimi tum erant ei à Consilijs. Euincam autem hoc, exemplo vnico. Erat non ignobili familiâ quidam, in fidem Romanam propensus, (qui tamen æquus esset & faueret iuri Regio) is paulò ante Reginæ obitum, eò adduxit sacerdotem quendam familiarem suum, vt ad *Garnettum* literas daret, peterétque ab eo, vti operam suam in eo poneret apud Catholicos suos, quò in Regis ius, cùm tempus ferret, vellent esse æquiores. Ibi *Garnettus*, sic respondit; *Nihil sibi negotij fore, cum iure Regis, vel eo promouendo: inueterâsse enim adeò Regem in religione sibi contrariâ, in eâque duxisse callum, vt spes nulla conuersionis iam dè eo superesset.* Audísne *Garnettum*, qui agmen hîc ducebat Iesuitarũ, vt Breuium Pa-

palium (quæ tum illi in manibus erant) *interpretem* egerit; nec illi vnquàm in mentem venerit, (quod vos iam facitis) in eum sensum trahere, vt *includi potiùs* intra illa Regem, quàm *excludi* per illa diceret, aut speciosâ hac fraude mentem Pontificis infucaret? Immò, ecce tibi ex transuerso penitus, cùm præconio publico denunciatus vbique Rex, Breuia illa, quasi quæ nulli iam rei essent, quasi prorsus iam irrita, quasi actum de ijs, abiecit in focum, atque exussit ilico. Non faceres *Garnette*; *seruares* apud te sedulò, postquàm *Regi fauebant*, *proferres in lucem*, cum maximè opus, ostenderes palam, fidem ex illis faceres, *quàm in Regem propitius Clementis animus*, qui non *excluserit* eum Solio, non; *sed incluserit potiùs*. Sed neque *Garnettus* hæc ipse credidit; & tu, à nobis postulas vt credamus? Verùm nec bonâ fide *Matthæus* euasionem hîc istam afferre potuit. Etsi enim acceptis hijs tum literis, subdubitare potuit *Clemens*, vel Clerus *Romanus*, & in obscuram spem venire conuersionis Regiæ: at quæ deinceps *ab eo ipso die* subsecutæ sunt Regis actiones omnes, *ad eum ipsum diem* quo scribebat hæc *Tortus*, ita in illustri rem ponunt, siue quæ exin scripserit, egeritue spectes; siue quæ Pontifici de sententiâ suâ totâ *per internuncios suos bis* iam significârit, (quod & suprà retuli:) vt ex solâ maleuolentiâ, nec aliâ ratione vllâ, latebram hanc iam modò quæsierit, & diuerticulum perfidiæ suæ. Quæ ipsa, iam tandem in scenam hic producit, postquam tam multis, tam liquidis indicijs innotuit orbi terrarum vniuerso, de Regis nostri, in pietate & officio, stabili & perpetuâ mansione. Nec ergo, (vt concludit *Tortus*) *non perfidus Clemens*, *sed spe suâ frustratus*: verùm & *spe suâ frustratus*, & tamen *perfidus*; atque ipse *Clementem purgare* cùm voluit, & illum non *purgauit*, & seipsum insuper *inquinauit*.

FVisse in Angliâ non negat *Tortus*, *qui primum Breue confictum existimârunt*. Quare autem *existimârunt confictum? Quòd cuperent hac fraude, Catholicis imponere, & ad iuramentum suscipiendum perducere*. Quinam verò hij qui sic existimârunt? *Catholici*, scio, dicet. Ergone *Catholici, Catholicis imponunt* per fraudem? Ergone *Catholici impostores* sunt, & *artem Dæmonis* factitant? sic videtur; sic beare solet *Tortus Catholicos suos*. Sed dic dum obsecro hoc rursum; ideone hoc existimabant,

ſtimabant, quia *cupiebant hac fraude Catholicis imponere?* Quàm verò hæc non cohærent? Imò ideo potiùs *non exiſtimabant.* Certè enim ſi alijs in eo fucum facere voluerunt, ipſi id nunquam in animum induxerant. Nemo alij *per fraudem imponit*, qui quod ipſe ſentit, id alij author eſt vt, ſentiat. Error in eo eſſe poteſt, ſed bonâ fide agit, *fraus* eſſe non poteſt; quæ tum demum interuenit, cùm *quod ipſe non credit, alios vt credant inducit.* Illi verò (vt *Tortus* fatetur) *confictum* Breue *crediderunt.* Quare *Torti* cauſa non cauſa, & medicus indoctus Pontifex, qui errauit primùm in morbi cauſâ, pòſt etiam in *pharmaco* ſuo *ſpirituali* adhibendo, quo *fraudem* curare voluit, quæ nulla ibi fuit. Inſcitia hominis fortaſſe aliqua; *Dæmonis ars*, vel *fraus*, ibi nulla. Sed neque hominis inſcitia etiam: Cauſa illa fuit vera, quæ in *Apologiâ* eſt; quòd ſanè nihil in eo cenſerent Pontifice dignum, *Theologicum* in toto Breui nil, ſed neque *Logicum*. *Perſpicuum debere eſſe* ait, quod tamen Archipresbyter *non perſpicit, non alij* præter illum, cætera ſatis *perſpicaces. Multa fidei aduerſa contineri dicit* in Iuramento, ſed tantùm *dicit*: vbi, quâ parte *contineantur*, non indicat. Excuſſerunt verò omnes eius angulos Archipresbyter cum ſuis, nec, in quicquam ibi *fidei aduerſum*, inciderunt. *Pontificaliter* tandem ſatis, *ne ſuſcipiatur prohibet*, idq; ſub pœnâ ſalutis animarum; at illi *ſuſceperunt*, & benè tamen *de ſalute ſuâ* ſperare non deſinunt. Politicæ verò in eo prudentiæ non ſanè multum. Regis enim animum læſit, iam antè illis infenſum ex ſcelere tam infando; quem proin placare debuit, & mitiorem reddere. Potuit verò, ſi damnâſſet facinus, ſi animaduertiſſet in participes criminis, &, (vel eo nomine, quòd ſcelus tam fœdum quidam è ſuis admiſiſſent) edixiſſet reliquis omnibus, vt ſuſcepto promptè Iuramento & præteritum illud nefas expiarent, & omnem ſimilis pòſt machinandi, ſuſpicionem auerterent. Nec ſanè, vel ſenſum communem ſapuit, quin cerebroſa magis hæc Pontificis, quàm cordata prohibitio. Cui enim bono? Nihil lucri, plurimum incommodi allatura: exin durior futura ſuorum conditio, & *Breue* hoc illos in noua vada & *breuia* detruſurum. Iam verò illud, in quo, *Theologiæ, prudentiæ, ſenſati hominis* veſtigium vix vllum; *quæ fraus* amoliri à Pontifice, & vel *confictum* alicubi *in*

angulo

angulo suspicari, vel si à *Roma* fuit, per malè feriatos quosdam *Pontifici excussum* esse?

Omninò autem in nouo hoc pharmaco, secus se res habet quàm *Tortus* autumat. Primùm, eo sumpto, *deteriùs ægro quàm antè*: tum, nulla id ægri *culpa*, sed *medici* ipsius, qui *lenire* debuit pharmaco, & (manifesto errore) quo *lenire* debuit, magis *irritauit*. *Non geminauit culpam*; Imò *bis geminauit*. *Gemina culpa*, dum quod *temerè* primò fecerat, *iterum* iam facit, vt consultò fecisse videatur: Dein *gemina altera*; *prior*, interdicti antè Iuramenti, *ne iurent*; *posterior*, indicti iam periurij, *vt abiurent*. *Fraudem detexit*: At nulla erat quam *detegeret*; (suprà docui) *Tenebras dissipauit*; *Tenebræ* verò etiam manent, *nec lucem* vllam apposuit *Breui secundo*; quo *perspicuum* fieret, quod *obscurum in primo*: tantùm eâdem, quâ priùs, caligine, rem inuoluit denuo. *Veritati aditum patefecit*; Imò posteriore hoc, quasi nouo repagulo, *aditus* ei magis etiam *interclusus*. Et hoc tu *spirituale pharmacum* appellas? Egregium verò pharmacum; egregius medicus, qui temperauit, quo hausto recurrit acrior paroxysmus: morbus *ægro*, *medico* mœror augetur. Quanquam de *medico* minùs curandum: illum credo non conficiet *mæror*. Interim *ægri* tinguntur, qui ipsi cùm videant, peiore loco quotidie res suas; demissâ voce (sic tamen vt audiantur interdum) mutire sic solent; *Durus Pater Papa Paulus*, si mitigare noluit mala nostra, at grauiora non redderet, nec semper de *tolerando* onere verba faceret; aliquando de *tollendo* cogitaret; vtinam verò *manum* saltem, à Breuibus scriptitandis *contineret*.

IN

IN breuiculo breuiore id agit *Tortus*; vt ſiqui *iurârunt* Iuramentum, *abiurent* denuo. Quid opus? faciat Pontifex ipſe, qui *iurati*, vt *iniurati* ſint. Tu hoc poſſe dixiſti; nodos ſcilicet hos reſoluere: iam *ipſos* qui nexi ſunt, iubes *abrumpere*, & redire illis iuramenta per iugulum. Sed *abrumpant* ſanè, ſi *illicitum*: An doces *illicitum*? Petis, imò ſumis hoc, quod nemo tibi dederit, atque hæc ferè eſt *Papienſis* probatio. Nos *licitum* probamus, quia *congenitum*, quia nobiſcum in ipſo ortu *coortum*, quia de *iure naturali*: quando, ciuis quiſque patriæ, vt *pars toti*: patriæ patri, vt *membrum capiti* ſubijcitur, atque obligatur; naturæ nexu, qui omni *ſponſione* fortior. Nec tu hoc negas (nec enim potes) ſed diuertis aliò vt dicas, *neminem in ortu illo obligari ad Pontificis poteſtatem abnegandam*. Non ſanè *ad abnegandam*, niſi in caſu, quo *poteſtas eius*, nexui *primo* illi atque *naturali* contrauenìat. Vt patriæ in quâ; ita Principi ſub quo naſcitur quis, *ex Iuramento congenito* debetur ab eo fides. Affirmatiua hæc: ad affirmatiuam ſemper ſequitur negatio oppoſiti. Siqua ergo me *poteſtas* adiget *ad fidei oppoſitum*, naturâ ſic debitæ & datæ: illam mihi *poteſtatem abnegare*, religio non erit. *Tenetur* quis ſummo Principi contra hoſtes ſuos, quicunque tandem illi ſunt, opem ferre? Eo ipſo *tenetur* opem non ferre, imò opem negare hoſti cuicunq; , ſummum illum Principem ſuum, oppugnanti. *Nexus* ergo, quem dixi *naturalis*, haud quenquam obligat *ad poteſtatem* Pontificis *abnegandam*, niſi in caſu, quo *poteſtatem* ſuam exerçet Pontifex, quo minùs ſubdito *nexum* illum ſuum *naturalem* retinere liceat. Vel (ſi ita malis) *poteſtatem* Pontificis non negabit, negabit *impotentiam*. *Poteſtas* enim quæ ad malum, *poteſtas* non eſt, *impotentia* eſt. Malum autem naturæ legem violare: contra quam ſiquid moliatur Pontifex, *impotentia* illa in illo eſt, *poteſtas* non eſt. *Poteſtas* enim non datur, niſi contra vitia, contra quæ ſi Pontifex *potens* eſſe nolit, ſed contra bonum *naturæ nexum*, non *poteſtatem* ei vllam negabit quiſpiam, ſed hanc quam negat, negabit eſſe *poteſtatem*.

Quod pòſt affers, ſublime certè eſt, & de nouâ *Kabalâ*, forte à *Torto* primùm, vix enim credo priùs, à quoquam promulgatâ. *Ortus cuique duplex*; *naturalis*, *ſupernaturalis*: Certè.

Est verò cuique, *naturali in ortu, iuramentum connaturale ad obediendum Principi Politico*: De hoc etiam conuenit. At est etiam cuique *in ortu supernaturali*, seu παλιγγενεσίᾳ *suâ, congenitum aliud, & tacitum Iuramentum, ad obediendum Principi spirituali, Christi vicario, Papæ.* Malè, *congenitum*, primò; Subditi quidem *gignuntur*, & nascuntur, non *fiunt*: Christianus nemo vel *gignitur*, vel nascitur, sed *fit*. Non ergo *congenitum* ei, qui *genitus* non est. Benè tamen certè dixti, *tacitum*. *Tacitum* enim quidem, &, si voles, *surdum* iuramentum hoc, adde etiam, si libet, *absurdum*. *Tacitum*; *tacuerunt* enim de eo, ante te omnes. *Surdum*; nemo enim audijt. *Absurdum*; quia extra modum, *absonum*, vt cuiquam *in Baptismo* nostro *præstetur iusiurandum, præterquam Seruatori Christo*; aut cuiusquam *in nomine*, præterquàm *Sanctissimæ Trinitatis*. Nam quò te proripis? An tu *personam quartam*, ascriptam iam vis *Baptismo*? Et cui tandem *Baptismo*? non *Iohannis*; nam nondum tum in rerum naturâ *Pontifex*; Non Enti autem, vix quispiam sponsionem facit. Sed neque *Baptismo* CHRISTI. Quî potuit, cum post resurrectionem CHRISTI demum, *Petrus pascere iussus*? priùs enim *Dominus tuus* non permittit. Quotquot ergo ante illum diem baptizati, cùm nullus præter CHRISTVM *Princeps spiritualis* esset; *nulli præter eum Principi* illud tum iusiurandum in se receperunt. Tum *Petrus* ipse, (nam & ipse *Baptismo* initiatus est) an iurauit *Iuramentum hoc*? Cui verò iurauit? Aut an fuit illi *Baptismus* peculiaris per se? At nos hîc, qui scripturas solas sapimus, nec ad *Kabalam* vestram admissi sumus, *mysterium* illud credidimus à CHRISTO institutum, abluendis peccatis nostris, nobisque in *mysticum corpus* suum, quod est *Ecclesia cuius ipse caput*, initiandis. Atque vt *beneficium* hoc *totum* nobis ab *Illo vno*: ita *vni Illi* proinde *officium* hoc *totum* deberi à nobis, *vni Illi* præstandum esse, nec præter eum, mortalium vlli. Credo autem Apostolorum sæculo inauditum, vt in quenquam illorum baptizatus tum quisquam fuerit, præterquam in CHRISTVM solum, & mortem eius, *cui & consepultus est, quem & induit*. Nec qui tum baptizabant, *in nomine suo* id faciebant; non *Paulus Crispum* in *suo*, nec *Petrus Cornelium* in *suo*; nec seculo, nec à sæculo Apostolorum, tale quid auditum. Vnde ergo emer-

sit,

sit, nouum hoc & nuperum dogma? In *Baptismo* nostro vel *expressam*, vel *tacitam* nos sponsionem facere de vllo alio Capite, vel agnoscendo, vel ei obediendo, quàm CHRISTO solo, capite, *cuius membra sumus pro parte suâ quisq;*: CHRISTO, *qui est Saluator corporis sui*: CHRISTO, *qui est primogenitus ex mortuis vt sit in omnibus ipse Primatum tenens*: Capite, *ex quo totum corpus compactum est & connexum, recipitq; ab ea & veritatis sensum & Charitatis motum per influxum gratiæ?* Tum, (quod antè memini monere me,) si *Vicarius* modò est, non is honor haberi *Vicario* solet, vt *iuretur* ei *fides*, cùm *Principi* ipsi tantùm proprius ille sit, & peculiaris. Deniq; si *iuretur* etiam; at illud *Principi* Politico interpositum in ortu naturali, *prius* est; vestrum hoc, *posterius*. *Prius* enim nascimur, quàm renascimur; *prius quod naturale, deinde quod spirituale*; illud, *naturæ*; vestrum hoc, *gratiæ*. *Naturam* autem *gratiâ* non tolli, non labefactari, quin perfici potiùs, & quasi nouâ accessione firmari magis; id verò diu iam in Theologorum Scholis receptum est. Idem enim vtriusque Legis author, & *naturæ*, & *gratiæ*: quod posuit *vnâ*, non tollit *alterâ*; nec superinducit *gratiam*, vt soluat *naturæ* vinculum, sed vt astringat magis; vt, apud nullos tam sancta sint *naturæ* officia, quàm apud Christianos. Superueniente ergo pòst, Baptismo, *naturæ* nexui non derogatur, nec eo fit, quò minùs sua in quemque officia cõstent, filij in *Patrem*, Patriæ filij in *Patriæ patrem*. Quare, si à capite rem arcessas, obtinemus. Desponsam in ortu ipso *fidem*, *posterius* aliquod siue recentius *Iuramentum* (si modò est aliquod tale) exauthorare non potest. Hoc verò nostrum, de *fide*, *obsequio*, *defensione* Principi præstandâ, expreßio tantùm est illius *primi*: quocirca nullo modo licebit eiurare. Et tu frustra *ortum supernaturalem* inuocas, vel opem exposcis à Baptismo, qui, ad datam *naturâ dictante fidem*, vel laxandam, vel minuendam, rogatu tuo manum suam nunquam vllo modo porriget. Nihil ergo affers, cur, quod bene iuratum est *Iuramentum*, eiurari debeat. Atque hæc ad Breue, breuius breui.

(✝)

PRAETERVECTI iam sumus *Breuia* & Vada *Pontificis*. Nihil ibi profundum; depressa omnia. Ventum iam, ad *Cardinalis* Epistolam, dicerem non tam *vadosam*: nisi, pariter *ad laudem*, pariter, *ad conuitia* moueri illum, *Tortus* monuisset. Nescias quid agendum: *laudes, non laudes*, par gratia est: *Ad dogmata Catholica*, ad *sinceritatem fidei*, sensus ei inest aliquis: ad reliqua, stupidum planè prædicat. Ergo ille, vt videtur, plusquam homo est, vt *nec benedictione*, nec *maledictione moueatur*: *Tortus* autem, minùs quàm homo, qui etsi *laudes* Domini sui, fortè, at *conuitia* tamen, quæ dicit in eum torta, dissimulare non debuit. *Sacellanus* meritò *exsacellandus*; qui, vtcunque minùs moueatur Dominus ipsius; tamen is irâ se tortum monstare, *Papiam, Romam, Capuam*, permiscere debuit. Cùm non fecerit, & ad *contumelias* (quas dicit) in Dominum, tam lentus sit, (quod *Itali* vix faciunt, præsertim *Capellani*) in suspicionem adducor, vt eredam, non hîc personam *Torti*, sed personatum *Tortum* in scenam nobis prodijsse; vereor autem ne *Cardinalis* ipse sit. Potest enim *Cardinalis* conuitijs non moueri: sed quis, ingeri *conuitia* in Dominum suum, *Sacellanus* ferret, æquo animo? quis *Sacellanum* ferret, sic ferentem? Characterem vbique Cardinalis agnoscas, sed clarâ luce clarius, duxisse hîc calamum. Nec enim *vox Sacellanum sonat*; *Dominus ipse certè*.

At, illud *de benedictione & maledictione, simul ex vno ore prodeunte*, magis *Tortum* sapit. Coniecit enim in equuleum, & fidiculis suis prauè *detorsit* & verba & mentem *Apologiæ*; in quâ nusquam nisi blanda mentio (nusquam penè sine laude aliquâ) de personâ *Cardinalis*. Sed habet tamen *recognitione* digna quædam (& ipse iam quædam *recognouit*) *habet* & alia fortè quæ nondum *recognouit*; de quibus cùm sermo est *Apologiæ*, non blanditur ei sanè, scapham, scapham dicit, & hoc, malè tu dicis, *maledicere*. Verè enim & benè taxatur, quod malè ab eo dictum, seruatâ tamen personæ eius (quàm par fuit) ratione, nec vsquam vel verbo violatæ. At te, credo, malè habet, quòd in personam eius non inuolârit, quod tu facis vbique, ita petulanter, quasi satiram scribas, & quasi

ex ore, quasi ex calamo, sola quidem tibi maledictio procedat.

Duo sunt autem apud nos *Iuramenta: alterum* diu iam de *Primatu Regio ad res Ecclesiæ*; *alterum*, quod nuper editum, *de Rege incolumi seruando*. Status causę hic iam est. An liceat *Iuramentum* hoc suscipere nuper Edicto propositum. Qui *posteriore* hoc iam omisso, totus fertur in *prius* illud, annon aberrat à statu causæ? Fateris ipse rem, cùm dicis *Cardinalem* ad *detegendas* nescio quas *fraudes* collineâsse: *Detexit* ergo *fraudem*, sed *reliquit causam*. Sed quæ tandem *fraus* illa? Omnino enim sine *fraude* hic res geritur. Si fidem cuiusquam & religionem explorare volumus, defertur illi *Iuramentum* illud *prius de Primatu*; perrarò id, & perpaucis: Si non fidem, sed fidelitatem pertentare, proponitur *secundum hoc pro incolumitate Regiâ* Vbi insidiæ hîc vllæ? Vis scire, Lector, vbi? Vis & aliud hic à *Torto* mysterium discere? In eo; quòd *non solùm iurent, quid præstare debeant erga Regem, sed etiã quid possit vel non possit summus Pontifex*. Nec prius illud tamen valde sollicitos habet, *quid possit*. *Possit*, quantum vis, quantum vult ipse; quanto plus *possit*, tanto meliùs, *deponere, disponere, inuadendi, tumultuandi, vim afferendi authoritatẽ dare*; *leges, vota, iuramenta soluere*: sed, *quid non possit*, id demum grande nefas attingere. Quid enim *non potest* Pontifex? Quis *potestati* eius limitem ponat vel metam? Hoc illud erat scilicet tam *fraudulentum*, in *modificato illo Iuramento*, quòd *modificata* ibi *potestas Pontificis*, vt non *possit* in Regem nostrum (& quod non in *Illum*, nec in alios) omnia, pro suo arbitratu, statuere, facere, fieri iubere. Hæc enim causa erat (ait *Tortus*) cur *Cardinalis* ibi dixerit *Catholicam fidem peti*. Illius enim *fidei, articulus est*, ne quis, quâcunque de causâ attingere audeat, *quid possit vel non possit summus Pontifex*. *Oceanus* enim limites suos habet, vltra quos progredi non possit: *potestas Pontificis* non habet. Atque hæc illa *fraus* est, quam vt *detegeret Cardinalis*, *aberrauit à causâ*, nec sine *fraude* tamen. Dicit enim *peti Catholicam fidem de Primatu*; dicendum erat, *peti Catholicam fidem de omnipotentiâ Sedis Apostolicæ*. Potest *Primatus* (credo) consistere, etsi *aliquid non possit*: *omnipotentia* verò non potest, *nisi possit omnia*: Atqui de illâ hîc agitur Pontificis *omnipotentiâ*, Symboli noui parte faciendâ; noui

Cc 3 (inquam)

(inquam) Symboli, quod nunc *Romæ* procudi dicitur, cuius præludia vidimus in *Paulo* 5°. depicto, cum hac inscriptione: *Summo Monarchæ, Vicedeo, & Omnipotentiæ Pontificiæ propugnatori acerrimo.* Nos verò ingenuè fatemur, contineri eâ *Iuramenti* formulâ, & quid subditi præstare debeant erga Regem, & quòd Pontifici *potestas* nulla prohibendi ne præstent, quod præstare debent; ne faciant, quod officij sui est, vt faciant; ne reddant *Cæsari*, quæ Cæsaris sunt. Quòd nisi hoc tentet Pontifex, nihil ibi contra, *quem gerere amat*, Primatum. Nec enim *potentia* eius in formulâ illâ attingitur *absolutè*, tantùm *ex hypothesi*, vt quæ, *conditionalis* sit tota; nec, nisi *disponat de regnis* non suis; *exteros ad inuasionem*, *subditos ad rebellionem* sollicitet. Quo casu, fas, & affirmare, & iurare, quòd hoc *non possit* Pontifex.

APerit se etiam magis Sectione proximâ. Primò tamen philosophatur pauca, *de Bono, ex causâ integrâ*; *Malo, ex singulis defectibus*: vt ergo *iuramentum* sit malum, vt respuendum, *non id necessarium esse, vt singulæ eius partes malæ sint*; *satis enim si vel vna sit mala.* Sed huic (si vllam partem æqui dixisset Pontifex) Regis optimi clementiâ abunde iam antè satisfactum erat, cùm facta fides, delata conditio, si notâsset, quæ *vna* illa esset, quæ *plures*, vel *delendi* eas, vel benignâ interpretatione *molliendi.* Tum verò; non *partem* vllam, *substantiam* ipsam damnauit, & *scopum*: iam ad *partes* nos reuocat; & si de illis vel *vna* maculam habet, satis in eo putat ad *totum* reijciendum. Ita illìc, vbi *pars* vlla corrigi potuit, *totum* displicet: hic, vbi *totum* damnare non potest, *pars* vlla sufficit, si ad eius stomachum non sit. Nam de *quatuordecim* illis *propositionibus* (quæ quasi artus sunt & membra Iuramenti) *plurimas* dicit *attingere Sacrosanctam potestatem Vicarij Christi. Plurimæ* illæ, *quot* sint, & id quoque mox narrat subsequente sectione, *vndecim* scilicet *de quatuordecim. Tres* tantùm excipit, putà *primam* & *duas vltimas*; quanquam *penultimam arrosit* iam antè, quæ est *de plenâ authoritate Iuramenti deferendi*; sed *tres* istas iam excipit, quæ tam fœlices fuerunt, vt nusquam in ijs vel *nomen Papæ* legeretur. Vbi enim *Papæ nomen* (quasi esset *in nomine illo* contagio quædam) malæ sunt *omnes*, eas *omnes* reijcit: reijcit autem, eo quòd imminutum eant Pontificis potestatem;

testatem; quòd dicant hoc vel illud, *Papam non posse*, *cui* nempe liceant, penes *quem* sint, *qui* posʃit omnia: Hæc est enim *fides Catholica.* Hîc tamen si non tergiuersari, sed bonâ fide rem gerere velles, *vndecim illis*, quas sic vellicare videri vis, *vndecim alias opponere* debuisti, pro more scholæ, *contradictorias*, vt sic collato pede, conserta manu, non *cauponari bellum* liceret, sed *belligerare*. Non est factum. Quare autem non, Lector facilè coniecerit. Deforme enim spectaculum, *vndecim illas* in *terminis* suis, sic contradicentes, sub vno aspectu ponere; caput quatiat, contrahat frontem Lector, si videat; videat, detractâ laruâ, Ecclesiam vestram, quàm *parum propitia* sit Regibus. Quid ergo fit? *Attingere dicis, vndecim illas, primatum in spiritualibus.* Quid si autem *attingant*, dum citra noxam? sed neq; *attingunt primatum in spiritualibus vndecim*, illæ; & tu, cum *omnes* debebas, *duas* tantũ delibas de *vndecim*, nec illas tamen. Quæro enim, *vtrùm Princeps hæreticus à Pontifice excommunicari posʃit*, an *vlli* quæ ibi sit *propositioni* repugnet? an vspiam ibi mentio *hæretici?* an vspiam quem *posʃit* vel *non posʃit* Pontifex *excommunicare?* Lustra oculis, designa locum, appone numerum. Videbis tuam hanc causam *spiritualem* nullam ibi esse. Hæc ibi nusquam est: Dic de illis quæ sunt. 1. Potest Pontifex *deponere Reges.* 2. Potest *disponere de regnis.* 3. Potest *extraneo cuicunq; inuadendi licentiam dare.* 4. Potest *subditos contra Regem suum armare.* 5. Potest *vim personæ Regis afferendi, authoritatẽ concedere.* 6. Potest *interdicere, nè Regem defendant.* 7. Potest, *si quas sciant contra Regem initas proditiones, eas, ne retegant.* 8. Potest instillare opinionem hanc: *Principes à subditis deponi posse, aut occidi.* An & hæ *causæ spirituales* sunt? An hæ *Primatum* eius *in spiritualibus attingunt?* In *Iuramento* insunt omnes hæ. Cur tu igitur *has*, cur *decem* de *hijs*, quæ sic (vt ais) Pontificem *attingunt*, non excusʃisti? imò cur non *attigisti*? Piguit, credo; vidisti nihil in illis *spirituale*, nisi [a] *spiritualia nequitiæ* fortè, quæ dicit Apostolus. [a] Eph.6.12.

QVasi de lubrico loco igitur elapsus, citò recipit inde se *ad excõmunicandi potestatem* in *Iuramento negatam* Pontifici; nec tamen ibi *negatam* vsquam: quámq; ille *negatam* & hîc & alibi, sæpe iam, sed frustrà, & falsò semper asserit. Non obstat *Iuramentũ*, quò minùs *sententiam* si volet *proferat*; id modò agit

vt

vt non obstet *sententia illa prolata*, quò minùs maneant in fide *subditi*, & vel inuito Pontifice officiũ faciant; ac illam *falsi nominis libertatem* nolint, quâ solet *liberare* Papa à *debitâ* per eos *subiectione*. Et cur tu hîc *populũ* nominas, quasi gentem vel cœtum per se, & sui iuris, quos Iuramentum dicit *vllos subditorum suorum: subditi* autem *sui* dum sint, *Catholici* an *Hæretici* sint, nihil interest; *reddere* debent Regi, quã debent *obedientiam*; quo debito, non magis *liberare* eos potest Pontifex, quàm ære alieno? Quodsi *authoritatẽ* habet à *fide liberandi*, vnde habet? Quo authore habet? vbi in sacris literis *potestas* hæc illi data? Nos

b Matt.22.21. c Rom.13.7. locum notamus, vbi [b] Christus *reddi* iubet, vbi [c] Apostolus ὀφειλὰς, id est *debita* dicit: Tu fac, alium notes, si habeas modò, vbi *ne reddantur*, quæ sic *debita* sunt, *authoritatem* cuiquam indulsit, vel Christus, vel Apostolus, quenquam *liberandi*.

Nec enim Doctores tui Scholastici hîc audiendi sunt, nec facultatem vllam habent, quo Christus, quo Apostoli nusquam *liberârunt*, eo, Pontifici, vt *liberet, nouum ius faciendi*. Scholastici enim Doctores tui, qui sunt, aut vnde? quàm verò antiqui? quo *sæculo* nati? Annon *sæculo* demum *decimotertio* emerserunt, post *Henricum quartum, quintum, sextum*; post *Fredericum primum* & *secundum*; post *Philippum*, Imperatores indignè habitos? Nonne postquàm Pontificibus illis *vires adessent*; virus hoc suum in Scholam effuderunt, & *licere* tum cœpit hoc quod dicis, cùm quicquid *libuit licuit*, cùm *quid posset* vel *non posset* Papa nefas *attingere?* Altiùs verò repetenda vobis res est de iure magis adhuc antiquo, vltra scilicet sæculum *Hildebrandi*, qui, author libertatis huius, iuris conditor, doctrinæ traditor fuit, qui primus grassari ausus in *Henricum Cæsarem*. *Vel vnum proferri* vis à nobis *Catholicum authorem* cui, non probetur hæc subditorum *absolutio* à debitâ Principi *obedientia?* Factum id iam antea, & plures vno prolati. *Venericus, Conradus, Walthramus, Sigebertus, Eberhardus. Io. Parisiensis, Petrus de Vineis, Occam, Dantes, Marsil. Patauinus, Maior, Author Libri*, cuius initium *Rex pacificus*. Nos vel vnum proferri volumus à vobis, qui ante *Hildebrandum* hoc *fecerit*,

a Part.17.pag. 498. qui ante *Henricum quartum*, *passus fuerit*. *Ante hunc non legimus aliquem*, ait [a] Viterbiensis. *Lego & relego* (ait [b] *Frisingensis*)

b 6. 35. c Ad ann.1088 *& nusquam inuenio quenquam ante hunc*. [c] Gemblacensis verò;

Cum

Cum pace omnium bonorum, *hæc* (inquit) *nouitas, non dicam heresis*, *nec dum in mundo emerserat*. Habes à *tribus*, qui circiter id tempus vixerunt, ex *Italiâ, Germaniâ, Galliâ*; ante *Hildebrandum*, quæ vobis *Catholicæ* iam *fidei* pars est, *si non heresin*, *nouitatem* tum quidem *habitam* fuisse. *Hildebrandi* de scholâ discipuli, Doctores tui omnes; vt, hîc iam inter *nos controuersiæ* finis non sit, si inter *illos* nullæ sint *controuersiæ*. Quis enim tum *illorum* ausus est hiscere? Quis aliter de Papâ, quàm *cum stupore* summo, cum interiectione (*Papè*) verba facere? Alterius hæc fori sunt.

Tum, quales ibi Doctores, talia Concilia; nec *antiqua*, quæ ab *Innocentio* 3°. modò sunt, post *annos* à Christo *mille ducentos*; neq; *Generalia*, quæ *solius*, nec *totius Europæ*; nec *libera*, quæ, vt ais, erant, SVB *Innocentio, Gregorio, Clemente, Leone*, reliquis. Et verè quidem SVB *ijs* erant, & *illi* SVPER Concilia hæc, nec quicquam definitum ab *istis*, quæ SVB, nisi quod ab *illis* qui SVPER præfinitum esset. Tum, neque sic, *Concilia* de *ipsis*, sed *ipsi de se* Pontifices verba faciunt, & *insinuando* dicuntur, quæ ibi dicuntur, potiùs quàm *definiendo*. *Lateranense*, nihil habet de Pontifice, tum neque si haberet, magnoperè id ad rem. Concilia enim non habent *potestatem* disponendi de rebus seculi; nec *vlla constitutio Iuris Canonici potest Regno præiudicare, circa administrationem temporalem*. (Lupold. de Babenb.) Tria quæ succedunt, *Lugduni* duo, vnum *Viennæ*, nusquam in Concilijs locum habent: inter Decretalia Pontificum referuntur ex illis quędam, vnde & tu citâsti. Sed quid dicit tamen *Lugdunense* prius? *Cardinales eosdem obsecrantes, vt pensantes attentiùs quid ijs imminet, cùm agitur de creatione Vicarij Iesu Christi, &c.* Quis hîc loquitur? Pontifex *ipse* de *seipso*. Quid verò *Lugdunense* posterius? *Vnde & nos, eiusdem Apostoli effecti successores, & ipsius Redemptoris in terris locum tenentes.* Cuius verba? Pontificis; qui *ipse se* dicit locum Christi tenentem. In *Viennensi* autem; si ibi cum *Summâ Trinitate* & *fide Catholicâ* locum habeat Pontifex, mira narras; sed nusquam apparet locus ille, nisi de procemio dicas, cui, nihil cum Concilio. *Constantiense*, [a] Dominus tuus reijcit ex numero *Generaliū*, quæ probata sint, sed tamen *illud* quid refert? Inter articulos *Iohanni Hus* impositos (verè an secus non disputo,) damnatur vnus, quòd diceret

[a] De Concil. lib. 1. cap. 5.

Dd Papam

Papam non esse Vicarium Christi, vel Successorem Petri, si viuat moribus illi contrarius. nempe Papam, qui nequam sit, Papam tamen esse. Quis negat? Quid hæc ad rem? Tum *Lateranense* sub *Leone* (etsi nec [a] vobis Concilium sit) tamen ex eo, quid affertur? *Pastor æternus in soliditate Petræ, Petrum eiusque Successores instituit.* Quis dicit? *Leo decimus*, qui, (si *Leoni* decimo credimus) Vicarius Christi est. Postulatum haud æquum sanè, vt credatur *ipsis* in causâ *ipsorum*. Sed quò tamen euadent hæc? Vt sit *Vicarius Christi Pontifex*. Sit, si voles. Omnes enim Sacerdotes [b] *Vicarij* eius sunt. Vel si *singularem* malis, Imperator Vicarius est Dei, ita *Anastasius Papa* ad *Anastasium Cæsarem*: Rex quisque in Regno suo, ita *Eleutherius* ad *Lucium* nostrum; Et [c] *Carolus Magnus Rector Religionis* & *Ludouicus*. Quare si in *Vicario*, si in *Rectore* vis vlla est; & ad illos spectat, vt Pontificem *corrigant*, & cogant in ordinem.

a De Concil. lib. 2. cap. 13.

b Euseb. l. Ep. 3.

c Concil. Mogunt. 1um. 2um. in præfat.

Quòd si autem, causa hæc vtique *spiritualis* sit, correptio etiam debet esse, qualis *spiritualem* causam & offensam decet, *spiritualis* & ipsa; nec vltra censuras *spirituales*, Rector *spiritualis* progredi. Nam fides & obseruantia, quâ Principi tenetur subditus, *spirituale* debitum non est, aut ecclesiasticum. Debetur enim & defertur Principi, qui extra Ecclesiam, vbi *spirituale* nihil est: solutio igitur ab illâ, *spiritualis* pœna non est, & cùm *spiritualis* pœna non sit, in causâ *spirituali*, propter delictum *spirituale* infligi non debet. Congeneres enim æquum est esse culpam & pœnam; nec mucrone Episcopali feriri quæ in Rempublicam, nec gladio sæculari quæ in Ecclesiam: altera alterius opem, si videtur, exposcat, altera alterius fines non inuadat. Eò vsque igitur rectè procedit res. Hæresis causa *spiritualis*: excommunicatio pœna *spiritualis*. Plectere vult, cùm *spiritualis* Rector sit, crimen *spirituale*? plectat verò, sed pœna *spirituali*: Sistat ibi modò. Sin & *subditos* fide *soluendos*, & *terras*, inuasioni *subijciendas* porrò *iusserit*, frustra *iusserit*, egressus iam fines potestatis suæ; quæ vbi crimen *spirituale*, supplicio *spirituali* affecit, non habet vltra, quod agat. Supplicet eis censeo, quibus illius *supplicij* ius est: ipse non inuadat, nec *gladio* rem gerat, quem *Petrus* antecessor eius in meliore multò causâ *iussus* est *recondere*: nec *igne*, quem *Zebedæi* filios, *Dominus* de cœlo *non est passus deuocare*. Manumitten-

mittendi vel *seruos*, vel *subditos*: alienandi vel *fundos*: vel *Imperia*: ius illi nullum.

Recurris dein ad *Lateranense*, quasi ad *asylum*: in eo *triarij* tui sunt. Quod, nescio cur *maximum* dicis, nisi propter 800. ibi Priores & Abbates; nam Episcoporum numero maiora multò fuerunt: nec cur *celeberrimum*; nec enim ibi celebre quicquam, nisi quod tam multi tum conuenerunt, vt nihil agerent. Quare autem ad *Lateranense*, *seculo* demum *decimo tertio?* An per *mille* annos & *ducentos*, quibus steterat tum Christiana res, satis cautum non erat, vel prouisum *contra hæreses*, vt *Lateranensi* primùm hoc curæ fuerit? Nullúmne priùs ab *hæresi* periculum? Et an, tùm demum cœpit periculum, quod tum primùm necesse, vt *subditi fide soluerentur?* Qui fuit ab *Abbate Ioachim*, quem nemo; vel ab *Almerico*, quem non multi sectati sunt, timor tantus, (nam hij soli à *Platinâ* nominantur) vt tam violentum hoc, & morbo penè peius remedium adhibendum esset, quod tamen in *Manichæis*, *Arrianis*, *Nestorianis*, *Pelagianis*, *Eutychianis*, *Monothelitis*, tot alijs *hæresibus* multò & magis perniciosis, & latiùs proseminatis, Ecclesia non adhibuit. Quid autem ibi actum in Concilio? Nihil quidem de eo quod dicis, *Conciliariter decretum*, aut definitum: *Significetur id summo Pontifici, qui subditos fidelitate soluet, & terras inuadendas concedet.* Arrogatur hîc quidem Pontifici ius, non datur; & præsumitur quod fuerat antè in praxi, non decernitur; quasi incidenter ibi modus præscribitur, res ipsa ex proposito non definitur; Concilium *ci* vt faciat *potestatem* non *decernit*. Tum nec rectè rem refers; præcidis ibi, multa; *excommunicetur* ibi, dicitur, sed *per quem?* *per Metropolitanum & comprouinciales Episcopos*. Ante ergo *monitiones præuias*, ante *sententiam ab Episcopis dictam*, nihil Pontifici quod agat: Expectanda ei saltem *censura Episcoporum*, etiam *annus post* censuram *integer*. Tum in *Dominos principales* ibi nihil statuitur, sed vel in eos, *qui non habent*, vel *si habent*, *saluo iure Domini principalis*: Omissus autem ibi casus, si *Domini principales* ipsi sint. Apud nos quidem *non* magis vnquam *receptum* celebre illud tuum Concilium *Lateranense*, quàm *Tridentinum in Galliâ*. Nam & *Principi* hîc *subsidia* soluuntur, addo etiam *soluta sunt* iam inde *ad Henrico tertio*, qui mox fuit

 post

post Concilium, *inconsulto Pontifice* contra 46um. capitulum. Et *tametsi sæpè ex bonâ fide ortum non habeat*, tamen hîc apud nos *currit præscriptio*, contra 41um. Et verò, contra *ipsum hoc*, quod in manibus iam habemus *capitulum 3um. Clericorum bona, qui de hæresi conuicti, Ecclesiis non applicantur, sed abeunt in fiscum*; vt nihil quidem ad nos Concilium tuum *Lateranense*. Neque verò vim suam videtur habuisse Decretum hoc *Innocentij tertij*: vt eliciendа proin paulò pòst fuerit à *Frederico 2°*. Constitutio eius triplex, *Patauij*, contra Hæreticos. Quæ ipsa Constitutio plus semper in se momenti habere visa est, quàm Decretũ hoc. Agere enim & procedere voluerunt in Hæreticos ex Constitutione illâ Iudices suos, *Innocentius 4°. Alexander 4°. & Clemens 4°*. Pontifices, non ex capitulo hoc *Lateranensi*: nunquam id facturi ex *Cæsaris* lege, non suâ, nisi *Cæsaris*, quàm suam, plus in se momenti, ac roboris habere statuissent.

Direct. Inquis. Lit. Apostol. pag 13.27.51.

Quanquam non malè id à me quæsitum, *Quid ibi actum?* Nihil enim actum, quod quidem constet. Et ille *locus* ad *marginem*, caput illud tertium, nec illud solum, sed & reliqua, & corpus ipsum Concilij iugulauit. *Platina* de toto hoc Concilio, tam *magno*, tam *celebri*, verba sic se habent. *Venère multa, tum quidem in consultationem, nec decerni tamen quicquam apertè potuit. Venère multa*, ait Platina; tu fidus interpres *Platinæ*, non *multa*, sed *vnum modò de multis* venisse ais, nempe *de terrâ Sanctâ recuperandâ* solùm. Nec potuit *de multis quicquam*, (ait ille) tu verò non *de multis quicquam*, sed *de vno hoc articulo* inter multa; *nihil certi definiri potuit*. Non dicit hoc *Platina*; dicit, *multa quidem tum in consultationem venisse*, (non vnum illud) *neque tamen* (non vnum de multis, sed) *neque quicquam ibi tum decerni potuisse*: Non quidem *apertè*, vt siquid ibi habeatur decretum, *clanculum* & *malis artibus* obtrusum sit. Sed neque tute tibi hîc constas. Nam quod ibi *definitum* esse negas de *terrâ Sanctâ*, non minùs certè definitum est quàm cætera, nempe *cap. 71*, *Ad liberandam terram Sanctam de manibus impiorum, &c.* vt si non *illud*, nec *alia* decerni potuerint; vel enim nihil tum *aliud*, vel si *alia*, & *illud* inter *alia*, nec minùs quàm *alia* decretum fuerit. Sed vt fides Concilij huius suspecta sit; multa certè faciunt. Facit primò, quòd ante *Cochlæum* nusquam extiterit: qui *primus* illud (quod sciam) mortalium edidit,

edidit, idque non ante annum 1538. Nam qui *triennio* antè; Concilia nobis dedit *Iacobus Merlin*, *nullum* tum habebat quod ederet: *Cochlæus* autem (*quis verò nescit Cochlæi mendacia?*) descripta sibi dicit *Decreta hæc*, ex *antiquo codice*; sed neque vnde sibi *Codex* ille, vel *à quo*, nec *quâ fide* fuerit, verbum vllum addit. Nec alius credo fuit *Codex ille antiquus*, quàm *Codex Decretalium*, in quo illa sparsim inserta: quæ ille *inde collecta*, sic in vnum corpus *consarcinauit*; sed *stultè* tamen *consarcinauit*, atque ita vt pereat indicio suo. Quis enim credat? quis ferat *celeberrimum* tuum *Lateranense* Concilium, citare & Decreta sua referre ex *Lateranensi Concilio*, id est, ex *seipso*? *Concilia* quidem vbi de *seipsis* loquuntur, sic ferè loqui solent, *Hæc Sancta Synodus: Placuit huic Sancto Concilio*. At hoc *Concilium*, *de Lateranensi*, id est, de *seipso*, sic loquitur, tanquam de *Concilio alio peregrino*: *Fuit*, & *Noscitur fuisse*, tanquam de *præterito*; non iam *sedente*, idque *Sex* minimùm in locis *cap. 11.* bis autem *cap. 29. cap. 33. cap. 46. cap. 61.* *In Lateranensi Concilio piâ fuit institutione prouisum. De multâ prouidentiâ, fuit in Lateranensi Concilio prohibitum.* Et *Reuoluatur collatio secundùm statutum Lateranensis Concilij. In Lateranensi Concilio noscitur fuisse prohibitum.* Hæc, quisquam *Concilij* ipsius verba *putet*? Annon de *alio quodam* mentionem fieri? Quid ergo [a] *Cochlæus* somniat? *Ab ipso Papâ Innocentio hæc Decreta in formam hanc redacta fuisse, aliquantò post celebratum Concilium? Aliquantò post?* Non placet illud, *post Concilium* celebratum *Concilij Decreta scribi*; *Id quod* (inquit Cochlæus) *cordatus Lector facilè deprehendet ex capitulis quibusdam*; vbi *tria* notat de *Sex* illis quæ mihi antè indicata sunt. Sed non ita vappa fuit *Innocentius*, vt hac verborum formulâ Decreta conderet, vt Synodum sic loquentem induceret, *In Lateranensi Concilio noscitur fuisse prohibitum*, vel *fiat hoc*, *secundùm quod prouisum est in Lateranensi Concilio*, cùm *Synodum* ibi *ipsam* loquentem inducat. Quid ergo fuit? *Platinæ* credimus; *Non est decretum ibi quicquam, non potuit ibi decerni quicquam. Improbauit Innocentius ipse Abbatis Ioachim libellum, damnauit ipse Almericum.* Verba sunt *Platinæ*: Non enim *Concilio* ea ascribit, sed *ipsi*. Et vt hæc, ita cætera; de quibus *decerni nihil potuit*, relata pòst, per eum in *Decretalia* sua. Siqua in Concilio tractata, placuerunt, apposita mentio

[a] *In Præfat. Later. Concil. secundùm Crab.*

tio de illis, quòd in *Lateranensi* prouisa sint: vt de *Sex illis* quæ paulò antè mihi notata, inter quæ tamen *Caput* illud Cochlæi *tertium*, non est vllum. Non enim *Concilij*, caput illud; verè autem *Caput 13. Extrau: De Hæreticis*, nempe *Innocentij ipsius* Decretum, non *Concilij*, *vbi quicquam decerni non potuit*.

Audi verò *Matthæum Parisiensem* qui ipse tum vixit, de *maximo* illo tuo & *celeberrimo* Concilio, rem vt erat, referentem. [b] *Concilium autem illud Generale, quod, more Papali, grandia primâ fronte præ se tulit, in risum & scomma desijt, quo Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Decanos, Archidiaconos, omnesque ad id Concilium accedentes, ludificatus est*. Postquam enim profectus *Innocentius*, vt litem inter *Genuenses*, & *Pisanos* componeret; quid factum fuerit, narrat *Parisiensis*. *Cùm iam nihil geri in tanto negotio cernerent, redeundi ad sua cupidi, veniam sigillatim petierunt. Quibus Papa non concessit, antequam sibi grandem pecuniam promisissent, quam à Mercatoribus Romanis, prius accipere mutuò, Papæq. soluere coacti sunt. Papa, iam acceptâ pecuniâ quæstuosum hoc Concilium dissoluit gratis, totusque Clerus abijt tristis*. En, quod *vnum* tibi erat *Lateranense*, quò cesserit; *vnum* erat, iam *nullum* est, vt iam, *spes sibi Pontifex*, nec vllum superfit refugium, nisi in *Decretis sibi suis*; quibus, nisi inferat quod suo proposito satis futurum sit, dignus sanè qui *sacer* sit.

b *Antiq. Britan. in vitâ. Steph. Langton. Ex minor. Hist. Matt. Paris.*

Vbi autem nominatus fortè *Platina*, opportunum duxit *Concilium* suum *Lateranense* in medio relinquere, ei valedicere; quasi an ibi *quicquam decerni potuerit annon potuerit*, aut quid Concilio fiat, non magnopere curet; & delabi ad *Iohannem* Angliæ *Regem*, ibi in *Platinâ* in vitâ *Innocentij* vectigalem factum; ad *Othonem* etiam inibi depositum; magis scilicet, de *gloriâ Pontificis* anxius, quàm de *Concilij authoritate*; pòst autem acclamat quasi ad facinus à se factum, magnum & memorabile: Non potuit adduci author, qui minùs faceret ad rem nostram, vbi Imperator exactus, Rex ad vectigal redactus est. *Pergat igitur Aduersarius, & similes Authores ad nos conuincendos frequenter adducat*. Quid restat iam, nisi vt pœniteat, *Platinam* vnquam adduxisse, nec quisquam dehinc aliquid de eo citare audeat? Non tamen hoc, *Torte*, subductâ satis ratione. Primùm enim, vbi nos *de iure* quærimus, tu respondes *de facto*; *Nullo iure* factum, nec ipse negare potes, cùm *prius* factum fuerit

erit, *quàm ius* fuerit *faciendi*; cum *Othonem* ipſe *Platina* dicat *depoſitum* priùs fuiſſe, quàm *Concilium* vllum aut ſtatuerit, aut fuerit quod ſtatuere poſſet, *deponendum* eſſe. An is Pontificum mos, *primò*, rem facere, *pòſt*, faciendum decernere? Qui *Concilium* affers, vt doceas *propter hæreſin* deponi poſſe; *exemplum* ſubijcis *Imperatoris*, ante Concilium vllum *depoſiti*; nec tamen propter hæreſin vllam *depoſiti*. Nam nec illius *hæreſis* vlla legitur, propter quam *deponi* debuit: Recuperata tantùm quædam oppida, vnde iram Pontificis in ſe concitârat. [a] *Tempore enim quo vacabat Imperium, Papa Caſtella plurima occupauerat, quæ ad Imperium pertinebant: vnde Imperator, quia quod ſuum erat reuocare ſtuduit, ipſum Papam ſine merito, ad iram prouocauit*: Sed & illud fortè *hæreſin* ſapiebat, vt & alia ſæpe, quæcunque non ad ſtomachum Pontificis. Iurare compulit, vt diſperſa Imperij iura reuocaret: Reuocantem ex iuramenti religione, anathemate percutit. Certè *Innocentio* ipſo, *Otho* magis innocens. Hoc *Othoni* factum, quem *Innocentius eleuans alliſit*; quem enim paulò ante confirmauerat, eundem pòſt, nullâ ſuâ culpâ turpiter deſeruit, cùm contra *Philippum* riualem Imperij *Cæſarem ipſum verum*, infœliciter rem geſſiſſet. Huic quoque ipſi *Othoni*, titulis Imperij priuato, qui ſubſtitutus eſt *Fridericus 2us*. quàm lubrico loco ſederit, quis neſcit? Miris modis tum *Papæ* ludos faciebant *Imperatoribus*, & illa *Tyrannidis* in Pontifice indicia erant, non *authoritatis iuſtæ*; & *debilitatis* in Cæſare, non *cauſæ iniuſtæ*.

[a] Matt. Paris ad ann. 1210.

De Rege *Iohanne* quid mirum? ſi ſic *Cæſares* tum habuit *Innocentius*, quòd metuerit ſibi; cùm eſſet ei *Othonis* exemplum ante oculos Nepotis ſui, cuique ipſe fauiſſet contra Pontificem; præſertim cùm & *Iohannem* ipſum *Innocentius* (nullo etiam tum edito *Lateranenſi* Decreto; nec ſanè *propter hæreſin*) expoſuiſſet prædæ *Gallorum*? Nec id, quia Nepotem ſuum *Arthurum*, legitimum regni hæredem, contra ius faſq; mandaſſet trucidari; lentus enim ad facinus tam leue Pontifex: ſed, quia grande ſcelus admiſit, dum quem ei *Papa* nolenti & neſcienti obtruſit *Archiepiſcopum*, cum non primo quoque tempore ſuſcepiſſet. Egregiam verò laudem Pontificis: Exciderat tum *Iohannes* ſuorū beneuolentiâ; inciderat in diſcrimen vltimum, factus à Papa ſacer; deſertus à ſuis; *Gallus quaſi Hannibal* ad portas;

portas; vndique angustiæ. Quo in discrimine suo, cùm *Innocentij* Papæ *auxilio diuino* (vt ait *Platina*) *Iohannes vti vellet*, parum in eo expertus est *mentis diuinæ*. Sensit enim clausum sibi *diuinum* eius *auxilium* omne, nisi grandi pretio, *vtriúsque* scilicet *regni*, pacisci cum eo vellet. Credo autem, si se conuertisset ad Deum, vel si *Innocentius* Deo plenus, minoris multò cum eo trãsigere potuisse. Ille tum, nisi se regno *Iohannes* exuat, nihil audit: atque ita vt se exueret, planè per vim perpulit. O virum sanctum! ô speculum *innocentiæ!* Nam quòd tu *voluisse* refers *Iohannem*, haud alia in eo facto fuit *voluntas* eius, quàm qualem dixisti *Gregorij* fuisse erga Imperatorem, *vellet nollet*, cùm domi turbatæ res, cùm foris, hostis immineret. Sed quid tum si *voluit* Rex? Regnum ipsum *noluit*, *vniuersitas regni*, quæ in causâ hâc *contradicere* potuit, per os Archiepiscopi *contradixit*, eaque *contradictio* eius de iure fuit admittenda. Noli ergo nimis blandiri tibi de re nihili: multis enim modis *nulla* fuit, ea tum subiectio. Concessa *primùm* non sine periurio, nam contra solenne iuramentũ Deo à Rege præstitũ, ante impositam illi de more coronam. Secundò, Reseruata in eo *Iustitia*, *Libertates*, *Regalia*, per verba, [*Saluis nobis, & hæredibus nostris, Iustitijs, Libertatibus & Regalibus nostris*] atq; ita concessio de iure *nulla*. Tertiò, *Reclamatum* ei est à Regno, [a] *Semper clàm & palam reclamante, cum profundis suspirijs Stephano Archiepiscopo Cantuariensi*. Quartò, *Relaxatum* pòst, quicquid in eo pactum: sic habet Eulogij Author. *An. 1214. Conuocatum est Parlamentum Londonijs, præsidente Archiepiscopo, cum toto Clero, & sectâ Laicali; in quo, per Domini Papæ preceptum; illa obligatio præfata, quam Rex Domino Papæ fecerat, cum fidelitate & homagio relaxatur omnino, septimo die Iulij*. Apud *Tortum* quidem [b] *Thomas Morus* ius testis habeat necesse, qui *Cancellarius Regni*, vt verum posset cognoscere, & *Martyr sanctus*, vt nollet fallere. Vis ab *illo ipso* audire, quæ *eius* sententia de vestro hoc *vectigali?* Verba *eius* sunt: *Quod si dicat quis, (quod verum est, dicere non nullos) vectigales factas à Rege Iohanne Angliam & Hiberniam Papæ, & Sedi Apostolicæ, sub censu annuo mille marcarum; & nos verè vicissim audemus dicere, verè id ab eis non dici; quodq́ nec Roma tota, diploma vel concessionem talem proferre vel possit iam, vel vnquam potuerit. Quod si autem*

a *Matt. Par. Histo. min. in anno 1213.*

b *Supplicat. animar. in purg.*

tem posset, tamen id nihili prorsus esset: nam neque Regem Angliæ vllum, Papæ vnquam Regnum suum dono dare potuisse, nec terram suam vectigalem facere, etiamsi id maximè vellet: nec iam soluitur ei pecunia, nec vnquam soluta est.

Quodsi, quæ tum fuerit hominum sententia de facto illo, scire vis; potes ex *Stephano* Cardinale ipso *Romanæ* Curiæ, ex Papali gratiâ speciali, inuito etiam Rege *Iohanne*, facto hîc *Archiepiscopo*. Is, vtcunque concessio Regis sui in rem Papæ erat, [a] *ante altare S. Pauli in Ecclesiâ Cathedrali Londinensi, cùm redderet coronam Rex, conficiens scriptum toti mundo execrabile,* contradixit, appellationẽ interposuit. Potes & ex ore Capitalis tum Hostis eius *Philippi Galliarum* Regis, cuius hæc verba referuntur à *Matthæo Paris.* [b] *Regnum Angliæ patrimonium B. Petri nunquam erat, nec est, nec erit. Nullus Rex vel Princeps potest dare regnum suum, quod est Respublica, sine assensu Baronum suorum, qui Regnum illud tenentur defendere. Et si Papa hunc errorem defendere decreuerit, perniciosum Regnis omnibus exemplum perhibebit. Heu quantum deterior Regum omnium per eum conditio? Ita enim poterit, processu temporis, per aliquem desidem Hæredem meum, fieri de Franciâ: & tendens manus ad cœlum, addidit, Quod Deus, quod Deus, quod Deus auertat; & eruperunt lacrymæ ab oculis eius. Tunc quoque magnates omnes vno ore clamare cœperunt, quòd pro illo articulo starent vsque ad mortem: ne videlicet Rex aut Princeps per solam voluntatem suam posset Regnum dare, vel tributarium quomodo libet facere, vnde nobiles Regni efficerentur serui.*

[a] *Matt. Paris Histor. maio. in ann. 1231.*

[b] *Matt. Par. Histor. min. in ann. 1216.*

Sed quorsum hæc de Rege *Iohanne?* An vt vras nos, dum commemoras *Regnum* hoc *nostrum*, *Ecclesiæ Romanæ* esse? Nihil agis. Nam antiquissimo tempore, etiam antequam sic oblatum esset à Rege *Iohanne*, *Ecclesiæ Romanæ* fuit. Ita rem refert *Augustinus Steuchus*, Bibliothecarius Pontificis, idque ex Registro *Alexandri 3*[i]. iam inde scilicet *à Donatione Constantini*, vt nulli rei concessio illa *Iohannis* fuerit, tantúmque Papæ dederit, quod suum iam erat. Quid tu autem, *Regnum nostrum* commemoras vnum, quasi & alia omnia Regna eodem loco non sint? Faxo verò vt habeatur mihi à te gratia: augebo enim *Petri* patrimonium. Non enim *Regnum* hoc *Angliæ* solùm, sed & reliqua omnia, quæ per *Europam*

pam sunt Regna (nec vel vnum excipio) *omnia* (inquam) sunt Pontificis. Constat hoc ex Registro *Gregorij* 7[i]. apud *Steuchum* secundo libro contra *Vallam* pro Donatione *Constantini.*

Petrus Rex ARRAGONIAE *venit Romam quinto anno Innocentij tertij, obtulitq; sponte totum Regnum B. Petro & S. R. Ecclesiæ ,ibiq; accepit in feudum prædictum Regnum. Itemq; pro Regno* SARDINIAE *certam pecuniæ summũ constituit se daturũ.* Melior autem hæc multò concessio, magis in honorem sedis Apostolicę, quia sponte oblata: quam Regis *Iohannis*, quę per vim extorta & metum, metum (inquam) qui vel in cõstantem virum cadere potuisset.

Regnum HISPANIAE *ex antiquis constitutionibus B. Petro & S. R. Ecclesiæ in ius & proprietatem traditum est , quod omnes Hispaniæ Reges sciunt.*

Regnum HVNGARIAE *etiam antequam à Saracenis occuparetur, S. R. Ecclesiæ proprium est à Rege Stephano traditum*

Regnum DANORVM *est peculium, & vectigal S. R. Ecclesiæ, & vt subiectioni obnoxiũ, Apostolicæ sedi annuũ vectigal persoluit.*

Regnum CROATIAE & DALMATIAE *à Demetrio Rege tributarium factum ducentorum Byzantiorum tributo.*

Regnum RVSSIAE *iuris est & districtionis R. Ecclesiæ, donatum Regi Demetrio a Gregorio septimo.*

Regnum PORTVGALLIAE *Ecclesiæ Romanæ est.*

Regnum BOHEMIAE *vectigal pendit Apostolicæ sedi centum librarum argenti.*

SVECIA *quoq; ac* NORVEGIA *vt subiectæ , soluunt R. Ecclesiæ vectigal.* Nam de GALLIA notum, quid Bonifacius 8[9]. scripserit *Philippo* tum Regi, & quomodo ei *vetera monumẽta explicuerit, quòd Romanæ Ecclesiæ, & in sacris, & in prophanis, spiritualibus & temporalibus, Gallia subesset*; quo necesse esset, Pontificem, vti Dominum Regni sui, eum venerari & colere.

[a] Lib. 8 Wandal. cap. 1. — De POLONIA sic [a] *Krantzius: Lakoldus à Pontifice Rex nominatus, omne regnum fecit B. Petro tributarium.*

[b] Lib. 17. A. S. H. 1293. — De SCOTIA sic [b] *Polydorus Virgilius. Bonifacius Pontifex indixit Eduardo Regi, ne ampliùs posthac Scotos bello vexaret, quòd, id Regnum antea in Romani Pontificis fidem & potestatem à Scotis ipsis permissum fuisset. Et ideo asseuerabat, sibi soli integrum esse, cuicunq; liberet dare, auferréue.*

De SICILIA, sic *Clemens* 5[9]. *Non est silentio relinquendũ, quod ipse Rex Siciliæ, noster, & Ecclesiæ Romanæ, ratione Regni prædicti,*

notoriè

notoriè subditus, homoq́; ligeus, & vasallus, in eodem regno continuum habet domicilium.

Rex item Insularum de MAII *accepit eas à S.R. Ecclesiâ in feudum*, si *Steucho* credas. Quod nisi credas, videas iam apud *Martam* nuper recocta, vt si non *Regnis ipsis* Papa, at eorum [illegible] seipsum oblectare possit, Satin' hoc Regnorum? Satin' vectigalium? Cur tu igitur nos solos recenses? Cur non & omnes hos, nobiscum vnà? Dic vno verbo, Pōtificis *omnia Regna mundi sunt*. Pontifex *Princeps est mundi huius*. Ita Pontificis honori consultum erit magis, ita & ærario. In quod tamen ærarium non admodum multa inferri credo de vectigalibus hijs, nec *Paulum quintum* multò ex illis ditiorem, quàm ex Nostris: Rationes quidem constant probè, argentum [illegible].

At etiam *Platinam* vis *à nobis frequenter adduci?* Quâ verò de re? An de vitis Pōtificū Romanorū, de quibus scripsit? An de 40. Capitulis & ampliùs contra *Iohannem* 24um. probatis in *Concilio Constantiensi, in quibus, crimina multa, & quidē grauissima, propter quæ depositus?* An de *Paulo secundo* qui *Hæreticos pronunciauit, qui nomen Academiæ, vel ioco vel seriò, nominâssent?* An de Simoniacâ prauitate *Bonifacij noni* contra ius fásq; omnia vendentis, &, quæ ab eo palam habitæ sunt, nundinis indulgentiarū? An verò de *rusticitate Vrbani sexti*, an *stupiditate Cælestini quinti*, an *stoliditate Iohannis* 22^i? Siue de *fraude, ambitione, arrogantiâ Bonifacij octaui*, & de præclaro, quod eius vitæ subnectit, epiphonemate, *Discant igitur huius exemplo &c.* An illud mauis, quomodo illis conuenerit cum Senatu suo, Populóq; Romano per annos *quinquaginta*, quanquā nec per *quadringentos* pax inter eos constans fuerit, vel certa. Quoties ab illis, *Sanctissimi Domini, Vicarij Christi, vrbe pulsi*, quoties, *peius etiam accepti?* Nisi velis potiùs, de *Benedicto nono, Siluestro tertio, Gregorio sexto*, qui sedem vno tempore occupârunt, quos tres *Platina* ille tuus [a] *tria* dicit *monstra teterrima* quibus *Onuphrius* 4um. addit, *Iohannem* quendam, *quo sedes tum Apostolica vexabatur*. Quanquam non *tres* modò istos, sed & alios plerósq; in Benedicto 4°. *portenta*, in *Christophoro primo, monstra*, veritus non est appellare. *Peperit nobis tanta licentia peccandi hæc* portenta. *Quos tanquam* monstra *quædam è medio, breui Deus sustulit. Quot fures & latrones per posticum ingrediuntur.* Quomodo *Bonifacius octauus Cælestinum* imposturâ deluserit: *Christophorus Leonem* vi detruserit: *Damasus Clementem* veneno sustulerit. Quàm

[a] In vitâ Greger. 6.

bene de *Formoso* inter *Stephanum sextum*, & *Sergium tertium*, inter *Theodorum secundum*, & *Iohannem decimum* conuenerit: qui illum *exhumârunt, digitos præsciderunt, in Tiberim cadauer proiecerunt.* De *Siluestro secundo*, Mago: *Iohanne* 13°. incesto: *Bonifacio septimo* sacrilego: *Iohanne* 8°. fœminâ. Pergere vis etiam & *Platinam* adducere, qui triginta S. R. Ecclesiæ *Schismata* recenset, in quibus *biceps, triceps*, S. R. Ecclesia per annos 50. Apud quem *per annos* 180. perque *Pontifices* 50 plus minus, seriatim sibi succedentes, vix quenquam *Pontificis nomine dignum* potes adducere; quos ita *nominâsse* quenquam, miratur ipse qui *nominat*. Qui in *Romano, Benedicto quarto, Christophoro, Sergio tertio, Siluestro tertio, Bonifacio octauo*, epiphonemata subiungit, per *quas artes* Papatus occupari, *quibus studijs* administrari, *quo ferè exitu* concludi soleat. Da veniam Lector; iubet, vrget *Matthæus*, *hæc adducere, ad se suosq́ conuincendos*. Pergat igitur *Matthæus*, & remittat nos ad *Platinam*, ei similes Authores iubeat nos frequenter adducere, & ansam ipse det sæpe, similes Authores adducendi.

REperto in Concilijs *Toletanis* Iuramento *fidei*, reperto in *Aquisgranensi* Iuramento *fidelitatis*, de salute Regiâ, *ne quisquam quolibet machinamento, tractet de nece, vel interitu Regis, de Rege potestate suâ exuendo, Regni gubernaculis priuando, ne quis, quâlibet suasione à Rege deficiat, vel eius Contrarijs se copulet:* vtroq; autem Iuramento in Concilijs illis approbato, seuerè etiam sancito, cùm eadem summa sit, idem scopus *Iuramenti Regij:* quò se vertat nescit; in omnes partes se versat, vt declinare possit, nec potest tamen. *Primò* enim causatur, quod illi tum *Reges Catholici & Orthodoxi fuerint, noster autem Rex ab Ecclesiâ alienus.* Quasi *Regibus* nisi *Catholicis*, nisi intra Ecclesiam sint, *fides* nulla debeatur; quasi Regibus *Aegypti, Babylonis, Persiæ* fidem non præstare; quasi *Achabo, Ichoramo, Manasse*, iusiurandum detrectare; quasi *Constantio, Iuliano, Valenti*, sacramento se non obligare liceret. Dic hoc ergo apertè, Regem qui ab Ecclesiâ alienus est, Regem iam non esse. *Catholico* deberi fidem, *non Catholico* non deberi; iusiurandum negare, fidem temerare ei fas esse; veteres in populo Dei *sub lege*, in Ecclesiâ primitiua *sub Christo*, peccâsse in eo omnes, quòd fidem seruauerint: Dic (inquam) hoc, & nouæ herese-s

au-

author esto. Sed neque tamen sic effugies. Nam si Rex *alienus* est ab Ecclesiâ, quid Papæ cum *alienis*? Cur limites suos egreditur? *Quid est de ijs, qui foris sunt, iudicare?* Cum ijs Regibus agat qui intra Ecclesiam, *aliena* ne curet, & quæ ad eum nihil attinent: Nisi & dogma etiam fabricari vis de *nouo*, & proferre imperium Papæ, etiam in *Reges qui extrà sunt*; hôc argumento, quod *Paulus* ea verba dixerit, *Quid mihi de ijs qui foris sunt iudicare? Petrus* non dixerit; vt satis insulsè [a] quidam è vobis Iesuita.

[a] Paul. Comitol. de sett. Theol.

Diffisus *huic*, *aliud* mox arripit. Non enim quâ Catholici, sed quâ Reges, iuratur illis; *In illis Concilijs non agi de nouo & illicito iuramento: Regium autem nouum & illicitum.* Da hoc illi, *nouum* esse & *illicitum*, & obtinebit in causâ; Nega: & nullus est. Nos verò vtrumque *negamus*: nam neque *nouum* est, sed *vetus* renouatum: & si *nouum*, dum è re natum, *nouitatis* nulla culpa est. *Nouum* est à *Pio* 4°. institutum, mox à Synodo *Tridentinâ*: cur Papæ *nouum* liceat condere; Regibus, si causa est, *noui* condendi ius non sit? Quis hoc vnquam reprehendit? *Licitum* verò hoc, si illa duo *licita*. Nec enim in nostro quicquam, cuius in *Toletano*, & *Aquisgranensi* illo, vis omnis non continetur. Nam quod ibi positum *de non copulando se ijs, qui Regis Contrarij sunt*, facile ad Pontificem ipsum extendi potuit; & illi tum extendissent, si tum fuisset, vt nunc est, *Regum Contrarius*.

Cùm nec acquiescere posset in *hoc* responso suo, *alium* adhuc lapidem mouet. *In illis Conciliorum Iuramentis nihil addi, quòd potestatem Christi Vicarij vllo modo attingat.* Sanè nec in *nostro* hoc, nisi *Regis Cõtrarius* sit, nisi suadeat à Rege deficere: tum enim *illi*, & nos cum *illis*, *copulam omnem cum illo abiuramus.* Sed quid? *Vlcusne* fortè habet potestas Pontificis, an *vlcus* ipsa est, vt nullo modo *attingere* liceat; vt *Tortus* hic Pontificalem vocem vsurpet, & quasi de Cathedrâ dicat, *Nos decernimus? Nos Iuramentum illud, nullo modo à Catholicis viris suscipi posse decernimus.* Nobis verò, libido nulla incessit Pontificis *nominandi*, libenter *nomini* eius parceremus; adigit ille nos, dum per *Emissarios* suos, per *Breuia* sua miscet se *temporalibus*, ingerit se Regum rebus, momentísque Rerumpublicarum, dum *potestate suâ* vtitur, ad *non sua*; vt si maximè vellemus ab

illo *nominando*, à *potestate eius attrectandâ*, abstinere, non liceat. Is ipse necessitatem nobis iniecit, *de potestate suâ* mentionem faciendi, dum *potestate suâ* abutitur ad malum, (si *potestas* illa dicenda sit, quæ *ad malum* est) nempè ad *Reges potestate exuendos, gubernaculis priuandos*, quorum vtrunque ne fiat, expressè cauetur in *Toletanis*.

Post suum illud *Decernimus*, & postquàm iam contra scelus illud inexpiabile detonuit, quod illi in se omnes admittunt, qui *Pontificis potestatem vllo modo attingunt*: pergit porrò *Satis pro imperio*, & rationem præscribit, quam Reges omnes tenere vult, siquando illis ex tetro aliquo facinore (quale fuit hîc Catholicorum apud nos in Regem) aliquos de subditis suis suspectos habeant. Locus sanè, Lectoris attentione dignus. Si metuat sibi Rex à proditione aliquâ, non Iuramentum vllum condat, quò diffluentem subditorum fidem astringat sibi arctiùs; non; sed adeat sanè Pontificem, *ab eo petat, vt præcipiat omnibus, sub excommunicationis pœnâ ipso facto incurrendâ, vt nemo iuramentum præstitum violare, aut aduersùs Principem coniurare, aut hostes ipsius iuuare præsumat*. Audi iam *Matthæi* sententiam, de tam pulchrâ hac ratione suâ, quam Regibus præscripsit. *Petitio* (inquit) *iustissima, & omnino admittenda*. *Primo ergo*, sic Iuramentum condere oportet, vt sit absque vllâ omnino Papæ mentione. *Pòst*, Papæ *supplicare*, vt ille subditis præcipere dignetur, ne violent. *Papa* autem, petitionem *tam* benignus *admittet*; atque ita omnia recto ordine procedent.

Quid si autem non supplicet Rex, nec præcipiat Pontifex, de non violando iuramento? Tum verò, anne *coniurare* fas, & *hostes iuuare Regis*, sic (vt iubetur) non supplicantis? ita videtur sanè. Quid si autem *petat Rex*, *Papa* verò *non admittat?* Quid si *iusta* ei *non videatur* Regis petitio? Quo in loco tum res nostræ? Quid si denique admittat petitionem, & *præcipiat sub excommunicationis pœnâ ipso facto incurrendâ, ne fidem violent, ne hostes iuuent?* Annon qui præcepit, quod præcepit, reuocare, cùm volet, poterit? Tum verò quid agimus? vbi sumus? quid tum fiet denique? Videtísne id agi, vt omnia ab illius *beneplacito*, *arbitrio*, *nutu* pendeant, vt *violare fidem* liceat, liceat *coniurare*, *hostes iuuare* liceat, nisi Ille ne velit, vt

nisi Illi petitio porrigatur, nisi Ille *petitionem admittat*, nisi Ille sic semel *admissam* pòst *non reuocet*, Reges in tuto ne sint? Manifeste hoc quæritur. At quæ (malùm) *petitio* hæc, vt quod *officium* cuiusque est, id ei non liceat facere, nisi *Papà propitio*, nisi *impetratâ* ab eo *veniâ? Officium* enim certè, *non violare iusiurandum*, non aduersùs Regem *coniurare*, non *hostes* eius vel *rebelles iuuare*: at, nisi Rex *supplicandum* censeat Pontifici, nisi *supplicanti* Pontifex annuat, nusquam tuta *fides*; *officium* iam *officium* non est.

At etiam hæc hactenus omnia tum demum concedit *Matthæus*, si sit, nec nisi sit, *Princeps Catholicus*. Quid si autem ab Ecclesiâ alienus? Ne sic quidem *improbabit tamen sedes Apostolica, neque prohibebit, dum concludat iuramentum à se propositum intra hos limites, vt ne mentionem ibi faciat vllam de excommunicatione Pontificiâ, vt ne potestatem Pontificis vllo modo attingat, sed verba iuramenti contra proditores ipsos & inuasores dirigat*. En scelus, quod omninò cauere oportet; non, ne *comprimat* aut *contrectet*, sed *ne attingat*; non, ne *duro* aliquo & *inciuili*, sed *ne vllo modo*. Ergo, quòd *ab Ecclesiâ alienus*, ergo quòd *de nouo Iuramentum instituit*, (quæ priùs obiecit) nihil iam ad rem: ergo illa tum allegata, nihili. Alienus sit; Iuramentum condat; dum ne *illicitum*: illicitum autem, non aliâ de causâ, quàm *quòd attingat aliquo modo Pontificis potestatem*; petat proditores ipsos; taceat de Pontifice; nihil peccat Iuramentum; nec quia *abnegat fidem*: nec quia *Iuramentum perfidiæ est*: nec quia *coniunctum cum infidelitate*.

Quid ergo? Delemúsne de *iureiurando nomen* Pontificis, vt nusquam ibi de eo mentio sit? Non illibenter id quidem, si integrum nobis esset, & nisi *deleto* eius *nomine*, *iusiurandum* quoque integrum esset *delendum*, quippe nulli rei tum futurum, si omissa Papæ mentio. Dicam autem, quo argumento, & rem à fonte deducam: iam enim deduxit nos Cardinalis confessio, ad ipsum *Causæ* totius *Cardinem*. Vnum hoc (vt vides) iam, illos malè habet, quòd Pontifex ibi *nominatus*; alioquin parsisset Breuibus, non *improbâsset* Iuramentum, non *prohibuisset*. Statim patefactâ proditione puluerariâ, quæsitum, (vt moris est) qui authores, qui participes tam nefandi criminis: *viginti* (plùs minùs) eruti; nemo inter eos *alienus*

ab Ecclesiâ, *hæreticus* nemo: ad vnum omnes (quales Roma Catholicos facit) *Catholici Catholicissimi*. Quæsitum deinde, quâ re adducti, quídue dolentes, hoc tam atrox & immane facinus,in animum induxissent: respondent ad vnum omnes, non aliâ vllâ de causâ, quàm *Catholicæ* hîc in regno religionis reuocandæ. Denique quæsitum, quare cum ijs, qui inter eos sacris præerant (vt sunt Sacerdotes, vt Patres societatis) priùs rem non communicâssent, quàm in tam vetitum nefas ruerent: Illi enim detestati essent sine dubio, & ab Illis discere potuissent, quàm se execrando sceleri in eo deuouissent. Fassi autem sunt non modò *conscios* fuisse sceleris,(quos dixi Sacerdotes & Patres) sed, magnopere etiam *authores* sibi fuisse: se ab illis, per Sacramenta, tum Pœnitentiæ, tum Eucharistiæ, ad illud obeundum, quasi ad opus Catholicum, sæpe confirmatos. Nihil hîc nisi *Catholicum*, siue *finem* spectes, propter quem: siue *actores*, siue *authores* ipsos facinoris. *Catholici* omnes.

Quid ergo? Omniúmne Catholicorum eadem mens, votum idem? Absit; De *multis* spes melior. An verò *illi soli* sic affecti, & *cum illis mortua proditio?* Optet hoc quis; sed quis speret? Fortè ergo *alij* quidam malè affecti; *videtur*: alij *quidam* secus; *ita spes est*. Conuenit, vt inter hos sit discrimen aliquod: vt enim,periculosum,*malis* tanquam *bonis* fidere; ita, îniquum *bonos* cum *malis* perdere. Quæsitum tum inter Regni Proceres, Quid agimus, vt detur *hos* ab *illis* internoscere? Conclusum ita tandem: Probentur sanè *Iuramento*, quo de Regis, de Regni securitate caueatur; Eo cauto, cætera quæ illis scrupulo futura, quoad eius fieri potest, ne attingantur. Quorsum itaque *tam multa* ibi, quorsum *vlla* ibi Papæ mentio? Poterat caueri illud,*nec ille nominari*. Imò *non poterat*; *Non poterat,non attingi potestas eius*: nam nisi interiecta ibi eius mentio,perinde erat,acsi *nullum* omnino *iusiurandũ* foret. *Ad homines*, apposita hęc Papæ mentio. Habent enim hij homines, clausam in pectore, in omni sermone,pacto, promisso,iuramento, clausulam hanc tacitam [*nisi Papa secus senserit, nisi aliud Papa iusserit, nisi aliter Papæ visum fuerit*] Tum etiam, qui laxiores, hanc [*Age, iurabo, si ita necesse est, obligabo me: Roma est, qui me soluat denuò*]. *Duo* hæc *mysteria*, cum *Catechismo*

techismo statim docentur; *prima* hæc cura est, initiantur ijs tanquam rudimentis;pòst eadem semper inculcantur sedulò. Quid iuuat autem, aut cui bono est, iurare fidelem se fore, si sic mentem gerat,fidelis ero,*quoad hoc me siuerit Pontifex*; *vbi non siuerit*,vale fides? *Nemo pius est,qui pietatem cauet*,ait Ethnicus. Qui, cum *cautione*, cum *conditione (nisi hoc, nisi illud) pius est*, is certè, vel apud Ethnicos, *pius non est*. Absoluta res est Pietas, *caueri* non vult: at hijs, quantumcunque *bona* res, nisi Papa probet, *non bona*. Fecit ea res, vt pernecessaria additio illa, *Papâ non obstante*, cùm absque illâ, quod reliquum est, inane prorsus.

Verùm hoc *Papa non faciet*. Non faciet? Quis hoc præstabit? Qui in *Henrico* 8°. qui in Reginâ *Elizabethâ* Anglis, fecit: Qui in *Henrico* 3°. *&* 4°. *Gallis*, fecit: Qui in *Laurentio Donato* Veneto, fecit; idem denuo cum volet, faciet. *Pius* 5°. *Sixtus* 5°. si fecerunt: *Paulus* 5°. vbi volet, faciet. Imò *Paulus* 5°. in Venetis, si iam fecit; idem *Paulus*, cùm visum fuerit, annon idem in Anglis facturus est? Quis vetabit, *cùm iudicabit expedire? Iudicabit* autem *expedire, cùm vires aderunt*. Quare nulli rei *iusiurandum* vllum, absque hac clausulâ; quin ludibrium *iuramenti* merum, non *iuramentum*, si hæc defuisset: *Non deponam, non deponenti consentiam*, non si Papa me iusserit; *reus ero iuramenti*, etsi Papa me soluerit. Sic oportuit, aut omnino non oportuit.

Habemus interim confitentem *Matthæum*, si intra hos limites constitisset Iuramentum, *nec mentionem Censuræ Pontificiæ fecisset*, nec *attigisset vllo modo potestatem eius*, non *improbaret*, non *prohiberet*. Attenditisne? Illud ergo est. Non iniustum est, quod iuratum est: Iuramentum non malum de se; deferri potest, præstari potest, *sine euidentissimâ, grauissimâque iniuriâ diuini honoris*; *saluâ etiam fide*; neque præter hoc vnum peccat quicquam, quòd *mentio ibi facta excōmunicationis Pontificiæ*, quòd *potestatem Pontificis aliquo modo attigit*: absque hijs foret, quiuis exigere, quiuis subire posset. Nefas enim vel *mentionem facere Censuræ*; nefas *potestatem* eius *vllo modo*, *vllo* (inquam) *modo attingere*. Quæ an causa satis iusta sit, ipsi viderint. Nam certè nisi *mentio* de ijs *aliqua*, nisi *aliquo saltem modo attingas potestatem* eius, incerta erunt hîc

omnia; omnia ex illius arbitrio pendebunt; omnia durante beneplacito eius manebunt, nec vlteriùs. Et hoc quidem à Pontifice quæritur. Insere Papæ mentionem, *non iurabunt*: exime, *iurabunt*. Quis hæc interpretari nescit? Quis quò tendant non videt? Dandum ergo necessitati, quòd *nominatus* Pontifex, quòd *tacita* ibi eius *potestas*. Et illa, in veteribus Concilijs laudata iuramenta, etsi verbis non ijsdem, idem hoc volunt. Iurant ibi, quòd se *Regis Contrarijs non copulabunt*: *Regis Contrarius* tantundem valet. Eâ enim voce (vt se res habet) Papa continetur, *Contrarius Regum*, & *Regnorum omnium, vbi ipse non regnat*. Nec tu hoc videris abnuere. Causaris enim quòd Iuramentum, *adiunctam* habeat *mentionem Pontificis*, & potestatis suæ; dein, quòd adiunctam habeat *perfidiæ notam*: ita *nota perfidiæ* tibi *Pontifex*, cum *potestate* suâ. Vnum enim hoc ibi appositum criminaris.

TVa verò est, non Apologiæ, *calumnia illa de Bellarmino proditionum in Reginam, vel authore, vel consc. io.* Non enim Author eius id voluit dicere, nec id ei vnquam in mentem venit. Illud autem & voluit, & meritò potuit: non satis auspicatam fuisse illam inter Cardinalem & transfugas nostros familiaritatem. Nam *hi Illum falsis rumoribus: Ille hos prauis opinionibus* oppleuit. Dum enim auidiùs *illas* (*quas circumferri* tum dicebas) *lectiones illius* imbiberent; *de tantisper præstandâ à subditis obedientiâ, dum vires adsint*; cùm adsint autem, excutiendo Principe: egerunt id apud nos omni ope, & operâ, vt in *atrum* illum *diem vires* colligerent. Dum credunt illi, *de indirectâ Pontificis potestate in Principes*, facti sunt ipsi subditi indirecti, & indirectè hic multa in Principem machinati sunt. Hoc illud erat quod dicebat *Apologia*, *prodijsse* illos *è scholâ Bellarmini*, cum suis hijsce deprauatis dogmatibus: *illum* enim *Authorem citâsse* sæpe, illius vocem pro oraculo habuisse. De *Campiano* familiari suo, si eum non pudeat, inde est, quia *exaruit* iam fortè in eo *color ille virtutis*. Nam quod tu scire illum ais: nos hîc scimus, *inscitiam* esse meram. Martyrem *causa* facit, *non pœna*. *Causa* autem illi, quæ religionem attingeret, haud vlla obiecta est; non vel illa, quæ potuit de Primatu Pontificis. *Causa*, de quâ legitimo iudicio publicè conuictus, quòd procurandi causâ, non salutem ciuium, sed ruinam

nam ciuitatis, totiúsque Reipublicæ, & ad res nouas animos addendi, *vires colligendi*, venisset in Angliam. Propter *causam* verò eius naturæ, non magni, credo, habenda, mors cuiusquam; nec enim id vsquam legitur, *pretiosam in conspectu Domini, mortem proditorum*. Vis autem pro certo scire, quantus ille, quàm capitalis proditor? Vbi ab illo, damnato iam capitis, quæreretur, Esséťne *Regina* de *iure, & legitima*, an *prætensa* solùm & *de facto* Regina: respondere renuit. Tum, si immitteret huc Papa copias suas, contra Patriam, contra Principem, quid ageret: cuius à partibus staret; respondit, à Papæ; responsum manu consignauit. Poterat verò superstes esse, si ibi tum sensisset, vt ciuem bonum sentire par erat. Sensit *Hartus*, & sententiam in eo suam, sibi prodesse sensit: venia illi data, vt & *Bosgrauio* Iesuitæ, & *Rishtono*, & *Hortono*, qui cum *Harto* eadem senserunt (& contrà quàm *Campianus*) *ne si Papa quidem ipse cum copijs suis veniret, defecturos se tamen, à Reginâ, vel ab officio discessuros*. Sed bene habet, quòd *excusa est illa post* (quam dicis) *Collatio*: & in eâ nonnihil habetur, quod *Hartus* ibi, *bonus vir* (vt tu eum appellas) & *bonus Catholicus*, Pontificis *potestatem, ad Principes deponendos* (quam tu ita totus astruis) planè pernegat; idémque secum *sentire Catholicos multos* asserit; vt vel *Hartus* non *bonus Confessor*, vel *malus* certè *Martyr Campianus*. Nam quod hic *extruxit*, ille *diruit*: non *vnius fidei* vtérque, in hoc *grauissimo fidei dogmate*.

DE eo autem, quod pòst vellicas, *conscientiæ causâ nihil in quenquam à Rege statutum*; cùm mulctæ tamen soluendæ sint; cùm nisi soluantur, carceres adeundi sint: satis iam antè responsum, vbi de Legis Mulctatitiæ æquitate egimus; quæ tamen ipsa *Lex*, diu iam antè, nec à Rege primùm statuta est. Sacerdos haud vllus actus in exilium, nisi qui lege, capitis damnatus, cum mitiore *exilij* pœnâ *mortem* commutare posse, beneficij loco numerauit. *Blackwellus* ipse, *non multo*, credo, *habitior*, cùm in carcerem veniret, quàm iam est: quem, quasi *maceratum* ibi, mœres. Nec tibi notum, quid illi posit obijci: id constat, non modò *functionem Presbyteri*, sed & *iurisdictionem Archipresbyteri* exercuisse; idque diu, idque authoritate peregrinâ, cuius apud nos multò quàm simplicis *Presbyteri*, vt *causa grauior*, ita *pœna seuerior*: nihil tu eum statutum

 est,

est, nisi mite. Nemo verò *suspensus*, nemo *dissectus*, propter *Iuramentum* non susceptum, nec *factum* id, nec *fieri potest*; Lex nulla patitur; calumnia hæc mera est.

Garnettus autem plurimùm merito suo morte mulctatus, quem tu, nescio cur *dicis, virum omni genere doctrinæ, & vitæ sanctitate incomparabilem*. *Doctrinâ* siquam habuit, sibi habuit; Nemo illi eam *elicere*, nemo *extundere* potuit; deprecatus semper in re literariâ, collationē omnem. Profectò, in chartis eius, quæ repertæ sunt, in toto sermone nihil vsquam *reconditæ eruditionis*: *Bacchum* enim certè magis *redolebat*, quàm *Apollinem*. Siquid autem *de Theologiâ* incidisset, ablegabat ad alium, nescio quem, collegam suum: se enim per annos iam multos rebus gerendis fuisse, totum in praxim politicam incubuisse: eam praxim, doctrinam sibi omnem (*siqua vnquam fuit*) expectorâsse: vt nostri, qui hominem adierunt, non alio sensu, *doctrinam eius incomparabilem* putârint, quàm quod eam sibi nunquam *comparare* potuerit. *De Sanctitate* verò eius, vellem mitteres; atque vtinam de *Sobrietate* dicere posses, vix enim est, vt qui *sobriè* non bibat, sanctè *viuat*, vel *sanctitatem* sibi veram *comparare* posit. Ille verò, quàm sæpe non *sobrius*, nimis multis notum: quod tu, nisi *incomparabilem eius sanctitatem* prædicâsses, à me nunquam audijsses. Tace verò deinceps *de sanctitate*, ne plus etiam adhuc, quod nolis, audias.

Est & illa calumnia, *affectũ eum supplicio, quia reuelare noluit, quæ saluâ conscientiâ reuelare non potuit*. Non enim *ab vno* rem resciuit, sed *pluribus*; & *ab vno* illo, qui vobis fortè notus, non *vnâ ratione*, sed *pluribus*, nec *semel*, sed *sæpiùs* resciuit, nec à *solo*, sed cum comite, vt si, *vnâ* ratione reuelare non potuerit, potuerit *alijs*: Tum, si maximè *in confessione* resciuisset; at potuit tamen, personâ non reuelatâ, *tantum* reuelare, *quantum sat* erat, immani illi *sceleri auertendo*. Potuit, & debuit, idque ex doctrinâ vestrâ debuit, vt cui venia sit *à confitente* facta, *vt reuelare posset*. Tùm, *reuelauit* etiam, in pudorem tum vestrum, tum suum: nimirum, rem totam illi à conscio criminis significatam, *non vt peccatum*, sed *quam ipse priùs intellexerat*. Signata hæc manu eius, prolata palàm, palam probata sunt; Et vos tamen negatis, qui *Romæ* estis, qui *præter auditum* nihil habetis: *auditum* autem ab ijs, qui vobis illudunt;

ipsi

ipsi rem secus se habere sciunt. *Admirabilis profectò impudentia est, ea mendacia literis mandare*, ex *mendacis* alicuius *transfugæ* pertusâ fide, quæ *Garnetti* hîc *autographo*, quæ *Actis publicis* refutantur.

SI Iuramentum, cùm *rigidum* est, *displicet*, cùm *temperatum*, ne sic quidem *placet*, annon iusta reprehensio? Annon *Christus* ipse reprehendat, quibus nec *Iohannes Baptista rigorem* suum, nec *Ipse lenitatē* suam probare potuit; præsertim, cùm, non minùs *res* ipsa, quàm *verba* moderata? Quî enim euadas hîc? Effer aliquid planè; ad *irritandum* tendit: tempera; ad *decipiendum* Si *rigidè* quid dictum, *furor* est: si *moderatè*, *fraus*: & ibi *fraus*, vbi tamen *fraus* vel maximè cauetur. Quæ verò ibi *fraus*? *Quòd non apertè introducis Primatum Regium in Spiritualibus, sed tectè tendit ad eundem finem, sub prætextu, & colore fidelitatis.* Nec *apertè* verò, nec *tectè* etiam. Age enim; percurrre mihi *vndecim* illa Iuramenti *capita*, torque quantum potes; pòst, frontem *ter* perfrica, ac dic, vbi in toto Iuramento, *Spirituale* aliquid Regi tribuitur. Vult in eo Rex *non deponi, non ditione spoliari, non inuadi, non sine subditis relinqui, arma contra se non geri, vim non afferri*, vult *fidem à suis*, vult *defensionem sibi præstari*, vult *mala consilia detegi*, vult *non occidi*, vult *Iuramentum hoc non eludi*, vult *fraude vestrâ non decipi.* Hæc (ni fallor) tua illa *vndecim* sunt. Vbi hîc *Spirituale* quicquam? Vbi, vel *tectè*, primatus vllus *in spiritualibus*? Erue nobis si potes, si est tibi pudor aliquis, quâ clausulâ lateat, *negatio* illa *Apostolici, assertio Regij* Primatus: ostende vestigia alicubi impressa, per quæ, ad fictitium illum *finem* tuum tendat Iuramentum. Annon potest *saluus* Pontifici Primatus esse, nisi Rege *non saluo?* Tædet me calumniæ tam putidæ. *Præstigiæ Satanæ* (quas dicis) in oculis tuis sunt, in quodcunque speculum contueris, reflectunt in te; nec aliam *calcas spinam*, quàm eam, *quam fers* infixam: in Iuramento enim nulla est, nec tendit ad *fraudem*; tu vbique pertendis, & pertingis ad stultitiam, denique & transcurris etiam; nec quicquam tibi pensi est quid dicas, dum dicas malè. Posset autem eludi artificium hoc vestrum, caueri posset illi *de Primatu* suo *spirituali*. Quid si enim sic præfari detur? Regi fidem seruabo, etsi hoc nolit Pontifex; quantumuis *primus* haberi

 vult

vult *in spiritualibus*. En Regi *negatus*; Pontifici *assertus* Primatus: Non minùs tamen, scio, illud tum Pontifex, quàm hoc iam, iurare permitteret.

VBi dixit Apologia, *Rex nouum fidei articulum non cōdit, nec se de articulo aliquo iudicem constituit*; rapit ille statim *ad Pontificem*. Nihil autem opus hoc; nemo *illum* id facere, dixerat: sed tamen rapit, contradicendi studio solo. Ecce autem, vt se expediat. Negat, *à Pontifice nouos fidei articulos condi posse: si tamen per articulos fidei significentur, quacunque dogmata quæ fide Catholicâ credi debent, tum concedit, posse; nec dubitat sic multos fidei articulos ab eo conditos*. Nihil egit: nam nos *neutros*, nec *hos*, nec *illos* articulos à Rege condi posse dicimus En ergo, vt aërem verberauit. *Articulos* autē hîc nobis facit *duûm* generum. Qui *immediatæ reuelationis sunt*; *eos autem non condi*. Quidni vero? *Quia à Prophetis & Apostolis, illi literis mandati sunt*. Quid tum postea, nisi Papa illis authoritatem suam impertiat? Audi glossam vestram:[a] *Aduerte, quòd verba textus non sunt verba Papæ, sed* Salomonis *in Prou ca. 26: sed, quia textus hic, est Canonizatus, facit fidem, & inducit necessitatem, sicut si editus esset à Papâ: quia omnia nostra facimus, quibus authoritatem nostram impertimus*. Quodsi ergo *authoritatem suam* non *impertijsset* ei Papa; quodsi ergo *canonizatus* non fuisset, *non fecisset fidem, sicut si editus esset à Papâ*: proinde non valuisset. Tum [b] *Stapletoni* nota sententia. *Pastorem Hermæ*, vel *Clementis Constitutiones*, etiam ad Canonem addi posse, si id ita videatur. Nec tu ergo plenè nobis hîc edisseris *authoritatem* Pontificis. De altero genere dogmatum, quæ fide Catholicâ credi debent, *à Pontifice* dicis *eiusmodi multa condi*: Sed *coadiuuantibus Concilijs Episcoporum*. Nec in eo satis consulis dignitati Pontificis; vel *sine Concilijs* ab eo *conduntur*, cur illis molestus sit? Errare sine illo possunt Concilia, quantumuis numerosa: Ille si solus sit, si sine illis, errare non potest, memor modò sit *vt sedeat in Cathedrâ*. Noli ergo abundare in superfluis: serua autem Pontifici illibatum honorem hunc *potestatis suæ*, abeat quò volet onerosa hæc multitudo *coadiutorum*. Sed, nec illud artificiosè satis à te positum, vt *articulus fidei dici debeat, quod ex articulo deductum sit*. Articuli enim *principia* sunt; quæ verò deducta ex ijs, sunt *conclusiones*. Tum, quis ita loquitur, quis locutus

a *Decretal. lib. 2. de præsumpt. tit. 23. cap. sicut nox ius in Glossa*

b *Controu. 5. lib. 9. cap. 14.*

locutus est vnquam, *condere immediatas reuelationes Dei?* Quis ita cerritus, vt diceret, Pontifex *condit reuelationes Dei?* Imò *condit reuelationes suas*, carnis & sanguinis, atque illas obtrudit Ecclesiæ, ac suscipi vult tanquam *reuelationes Dei*. Quis etiam tam infœlici genio natus, vt nesciat, *explicare & deducere*, non esse *condere*? Omnino *conditam* rem esse oportere, priusquàm ex eâ *deduci* possit quid, aut de eâ *explicari*. Sed hæc tua est dexteritas in distinguendo. Absit autem, vt quoties *explicatur* quid, aut *deducitur ex articulis, condantur noui*.

Illud autem cecidit sanè incommodè, quòd in *Concilijs* quę nominas, *Niceno, C P[l.taon.] Ephesino*, nullus Pontifex comparuit; Omnia ibi ab Episcopis *deducta, explicata*: Pontifex nihil vel *explicuit*, vel *deduxit*. Sed postea *approbauit*, inquies: suffragio quidem suo, sicut cæteri; at *explicata*, & *deducta* ab alijs. Verùm eòdem res recidit. Nec enim *facerent fidem* hæc, non magis quàm *Prouerbia Salomonis*, nisi illis *authoritatem* suam Papa *impertijsset*. Quare, nihil opus, vt sic, in *duo* genera dispesceres: par est enim eademque de *vtrisque* ratio. Sed est, & adhuc genus *tertium*, quale nimirum de stigmatibus *Francisci*; nec *primarius* articulus, nec *primarij explicatio*: de quo tamen, sic decernit non nemo Pontifex, *vt qui oppositum teneret, hæreticus censeretur*. Conform. Franc. 234. Col. 3.

Atque hæc de Articulis Simile autem *iudicium* est, *de* Pontificis *iudicio*. *Non constituit se iudicem, an articulus fidei recipiendus sit: constituit se iudicem, quando dubium est, an quid ad fidem pertineat, annon pertineat, & tum discernit à quâ parte sit veritas.* *Duplex* est ergo *iudicium* de articulis fidei; prius, *an articuli sint recipiendi*: sic *non iudicat* Papa *de articulis fidei*, sed illis iudicium suum subijcit: *posterius*, an quid *ad fidem pertineat*: sic autem *iudicat*, & *subijcit Articulos iudicio* suo. Mira verò loquendi proprietas: vt sententia, *de quâ dubium est, pertineatne ad fidem, annon pertineat, atque in quâ discerni non potest, à quâ parte sit veritas*, dicatur *articulus fidei*, id est, *principium* Theologicum; sic enim sunt *articuli*. Mira autem distinctio: Non est Papa iudex de articulo, *an recipiendus sit*; est tamen iudex de sententiâ, *an pertineat ad fidem*: Quasi articulus ipse, *ad fidem non pertineat*, non sit de ijs, *quæ ad fidem pertinent*: Quasi etiam, quod *ad fidem pertinet*, ad *articulum aliquem*

liquem non *pertineat:* Quod autem pertinet ad *articulum, articulus* dici non potest; nihil enim *pertinere* potest, ad *seipsum*; nam duo sunt; *id quod*; *id ad quod pertinet.* Quasi denique alia sit, & non vna apud vos *fides*, eademque tum de *articulis*, tum de *sententijs ad fidem pertinentibus:* Quasi pari fide non credatis *purgatorium*, & *Passionem*; *Sanctorum* inuocationem, & *Dei*; *Francisci* stigmata, & *Christi*; *articulos*, & *dogmata*; cùm vtrobique *Medium proponens* idem sit, nec in hijs magis quàm in illis *infallibile*. Mira verò subtilitas hæc tua, quámque alius *nugas* diceret. *Tolli* verò iubes *æquiuocationem*; tollatur sanè, *tolli* enim digna est: *Calumnia* verò nulla est ibi, nisi tua. Nemo enim Pontificem, tute ipse solus, huius eum criminis allegâsti.

Ad odiosam illam Cardinalis collationem, *Successoris Petri*, & *Successoris Henrici octaui*, respondet *Apologia*, *faciliùs probari posse, succedere Regem suis maioribus, tam personâ quàm virtutibus; quàm succedere Papam Petro, siue quoad personam id, siue quoad doctrinam.* Mittis *doctrinam*, laudo; est enim difficillimæ probationis: De *personâ* assumis; *Fide Catholicâ credi, vbi nullus hæsitandi relinquitur locus, Romanum* Pontificem, *Sancto Petro*, in Apostolicâ *dignitate & potestate* succedere. Crudè tamen nimis à te ponuntur ista, & indistinctè. Mittis enim, de *personâ:* De Pontifice dicis *in genere.* At Regi IACOBO Papam *Paulum* 5^tum^. debebas opponere, non Pontificem *Romanum* indefinitè. Tametsi enim *de Pontifice* (vt quidem confusè capitur) multa vobis implicitâ fide credantur: at (puto) *quid actum in Conclaui* de *Paulo* 5°. in Pontificem assumendo, non *fide Catholicâ* credi vobis, aut, præterquàm *morali certitudine* vllâ posse concludi. Noli tamen de Pontifice ipso, ne *in genere* quidem, fidem tuam ita valde præcipitare: nam, & de eo, saltem aliquem *relinqui locum hæresitandi*, faxo mox videas. De Rege nostro, quòd is *Henrico 8°*. succedat, est ita vt dicis, *Catholicâ fide* non tenemus; vestra sit illa impudentia, de Pontifice. Qui negat, *hæreticus* non sit: certè, vt neque qui solem meridie lucere; sed stips, sed caudex, sed fungus. *Moralis* hîc certitudo sola; sic est; sed maior quàm Pontificis vestri. Naturâ enim constat & stirpe, non Comitijs, quibus, nullus *Euripus* incertus magis; atque,

in

in quæ si liceat inquirere, quàm multa sunt, quæ aliquã admittunt *Iuris exceptionem*? vnde, illa vobis tot *Schismata* extiterunt.

Interim verò, si fortè *lib. 2. cap. 12.* voces illæ non sunt, *piè credi*, (nam de *morali certitudine*, verba ibi nulla citantur) nodus ille, vix dignus vindice; *Res ipsa* ibi est: nec te hoc latêre potuit. Nam *lib. 4°. cap. 6°.* Synonyma sunt Cardinali, *probabile est*, & *piè credi potest: Probabilia* ergo quæ sunt, *piè* vobis *creduntur*. Reperies autem eo ipso in loco, nempe *lib. 2. cap. 12.* *Non est improbabile, Petri Sedem Romæ locatam, Domino iubente*, vnde tota vobis pendet Succesſionis ratio. *Non* est hoc *improbabile*; tantùm ergo *probabile* hoc est: Quare *piè* tantùm *credi* potest. *Res ergo* ibi est, atque *affatim*. Neq; verò *vnum* modò hoc; *permulta*, ibi dicuntur à Cardinale, quæ si *credi* oportet à vobis, *piè* oportet; ex *pietate*, non *debito*; ex *deuotione*, non *necesſitate* vllâ; atque adeò, de quibus si detur Cardinali *certitudo moralis*, haud amplius, credo, postulet. Sunt enim non pauca illic, de quibus præclarè vobiscum agatur, si vel *moraliter certa* sint. Nam illud ibi, *Tametsi fortè non sit, tamen omninò asserendum esse quod sit*, *satis* fortè sit, *nimis* fortè, siquis in animum inducat, vt *piè* velit *credere*.

Fide verò *Catholicâ* qui potest? cùm tot necesse est concurrant *hypotheses*, vt constet Succesſionis negotium illud; nec *omnes* posſint esse *de fide*, *vbi nullus relinquitur hæsitandi locus*. Quis autem nescit, vbi *præmissæ moraliter* tantùm *certæ* sunt, non elici *conclusionem* nisi *moralis certitudinis*? Ita quidem, hîc apud nos Transalpinos, *deteriorem* semper *atq; debiliorem partem sequitur conclusio*. Vide mihi iam de tuâ hac *Succesſionis fide*.

Quod, totius structuræ fundamentum est illi, nempè, *Monarchia est Regimen optimum*, id aliâ ratione constat fortè, *de fide* certè *Catholicâ* non est.

Tum, si *optimum* sit; an *Ecclesiæ* quoq; *optimum*, de eo etiam quæri porrò potest. Non enim semper quod *de se optimum*, id ita, τῷδε, ἐνθάδε, νῦν, ait Philosophus, *huic, hîc, nunc*. Non ita forsitan *Ecclesiæ*. Nec enim si Ecclesia cœtus sit *optimus*; sequitur, vt ei propterea *optimum de se* regimen conueniat. Non sanè. Color purpureus, color *optimus*; at quo nolletis colorari vul-

tus vestros, vel Dominus tuus, vel tu, quæ est tamen corporis vestri *pars optima*.

Deinde verò, an dici possit *Petrus Monarcha*, aut liber ei ita inscribi, *Petro Monarchæ summo*; hæsitet quis, propter Christi verbum, *Reges Gentium sic: vos autem non sic*: Reges Gentium *Monarchæ*; quare haud quenquam de Apostolis *Monarcham* dici voluit. Et tu bonâ fide dic; an credis, notam fuisse *Petro Monarchiam* hanc suam; & cùm *Romæ* iam esset, ac *Neronem* ibi conspiceret, vnquamne illi venisse putas in mentem, cogitationem hanc; vtut *Iste* nunc imperat: at ego tamen *Monarcha summus* sum, quando, Christus mihi dixit, *Pasce*, id est, *Regio more impera*.

Etiam Primatus ipse, *in petrâ* fundatus non est. Niti enim inprimis loco Scripturæ, de quo liberum nobis vult esse

a Retract. lib 1. cap. 21. [a] *Augustinus*, velimúsne de *Petro* intelligere, annon velimus. *Harum duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat Lector*. Se quidem *semel* aliquo in loco, de *Petro*: pòst autem *sæpissimè*, aliter interpretatum esse. Quare probabilior illi sententia, *vt non sit de Petro*. Vt ergò *piè possit, necessariò* non *debeat*, sic intelligi. Saltē in medio rem reliquit *Augustinus*: Non oportuit; si *basis* in eâ sit totius *Monarchiæ*. Sensus enim *loci illius*, nisi *de fide Catholicâ sit*, labascit vobis statim Monarchia vestra omnis.

De Pont. lib. 1. cap. 12. Iam si de *Petro* fateamur; at *in Illo, dignitas hæc personalis tantùm ex Christi institutione fuit, nec à Christo, vlli certo loco alligata*, sed *absolutè* in *personam Petri collata*; Vt ergo, quod de Christi institutione est, *in personâ Petri, Catholicâ fide* credamus: at, quod non est de Christi institutione, *in personâ Pontificis* si *piè credatur*, sat est.

Ibidem. Dein, *de dignitate hâc* in *Petro*, *hæsitatio* noua; an in eâ *Petro succedatur*: cùm de Apostolis reliquis nemo *successorem* habeat. vbi *piè credendum* est (non enim, credo, *de Catholicâ fide*) summam in Ecclesiam potestatem in *Petro* fuisse *ordinariam*: in reliquis omnibus Apostolis, *delegatam*, & *extraordinariam*.

Lib. 2. c. 12. Sed si *ordinaria*; quomodo *localis* sit, vt Pontifici *Romano* sit locus? *Ex facto Petri* (non institutione Christi) *postea localis facta est*. seu *potiùs mixta*, (nam de eo etiam *hæsitat* [a] Cardinalis, ac proin nobis etiam *relinquit hæsitandi locum*)

a Ibidem.

&

& Succeſsio hæc tota, *ex instituto Christi:* Succeſsionis ratio *ex facto Petri.* Vbi, *pietate* magnâ opus puto, quâ credat quis, vt *factum Petri*, id eſt *humanum*, ſit rei ratio, quæ ab *instituto Christi* eſt, id eſt, *diuina*; vt *Succeſsionis ratio*, ab *hominis facto* ſit, *Succeſsio ipſa*, non ſit *humana*, & *humani iuris:* Denique vt ex facto humano *fides Catholica* cuiquam pendeat.

Magnus verò hîc *hæſitandi relinquitur locus.* Nam, qui hîc, in facto *Petri* rem ponit *Cardinalis*, idem tamen *eodem ipſo capite* affirmat, *quòd Romanum Pontificem, totius Eccleſiæ Pontificem, ſiue Apoſtolicum Pontificem* Chriſtus ipſe [a] creârit. *a Ibidem.* Si Chriſtus ipſe, quid *facto Petri* opus? Fœda obliuio. Redit tamen pòſt ad *Petri factum* denuò; Ita totus hîc fluctuat.

De facto *Petri* (in quo *ratio* tota illi *Succeſsionis* eſt) *hæſitatio* noua, an *à ſe* fecerit, an verò *à Christo.* Interdum enim Chriſti *nutu*, interdum *iuſſu*, interdum *inſpiratione* factum aſſerit. *Non ſine diuino nutu* id factum ait: Nutus autem non ſatis certus: Locum remotum, vt erat tum *Roma*, non ſatis certò deſignat. Quare inſiſtit in reliquis, ac primò dicit, [b] *Non* *b Ibidem.* *eſt improbabile Dominum etiam apertè iuſsiſſe, vt Sedem ſuam Petrus ita figeret Romæ, vt Romanus Epiſcopus abſolutè ei ſuccederet.* At puto, *piam credulitatem*, ſatis eſſe ad illud credendum, quod *non* eſt *improbabile*; *Catholicam* verò *fidem* non requiri.

Sed in hoc non acquieſcit, tranſit enim & dicit, [c] *Sed* *c De Pont. lib. 2. cap. 12.* *quicquid de hoc ſit*, quaſi de re momenti non magni, ſit, ne ſit. Et meritò. Nam ſi Dominus perſpicuè *Petro* apparens, hoc illi imperâſſet, tunc verè *diuino præcepto* diceretur, Sedes *Petri Romæ* eſſe conſtituta. Non enim *facto Petri*, ſed *verbo Christi.* Tum verò *de fide* eſſet; at, nec Ipſe quidem vult eſſe *de fide.* Quare eò potiùs propendet, vt *Christus* quidem id *apertè* non iuſſerit, ſed [d] *dicatur iuſsiſſe*, quia *id Petrus fecit Deo* *d De Pont. lib. 4. cap. 4.* *inſpirante, quomodo omnia Decreta & præcepta Eccleſiæ, dici poſſunt diuina, quæ tamen mutabilia ſunt. Mutabilia* autem quæ ſunt, annon ſufficit, ſi *piè credantur?*

Etiamſi verò conſtaret, Chriſtum imperâſſe *Petro*, vt *Romæ* Sedem *collocaret*; (quod tamen non liquet) at vt eam ibi *immobiliter collocaret*; non ſequitur, non conſtat. Audi ergo ſententiam Cardinalis. [e] *Quoniam ergo non conſtat, quomo-* *e Ibidem.* *do Christus iuſſerit Petro vt Romæ Sedem collocaret; ideo non eſt de*

fide, diuino & immutabili præcepto Romæ Sedem esse constitutam, sed tamen, vt diximus, est probabilissimum, & piè credendum. Vbi habes *piè credendum* in *terminis terminantibus*: & iam subito, *probabilissimum* id, in superlatiuo gradu, de quo paulò antè, sat illi erat, *non est improbabile*.

At illud, quem non perplexum relinquat, quod ab eo ibi positum est? [a] *Tametsi fortè non sit de iure diuino, Romanum Pontificem, quis Romanus Pontifex est, Petro succedere in Præfecturam totius Ecclesiæ: tamen siquis absolutè petat, an iure diuino Romanus Pontifex sit Caput totius Ecclesiæ* (non est autem, nisi sic *Petro* succedat) *omnino id asserendum esse?* Annon hîc meritò quis *hæsitet?* Primùm, num *Catholica* fides vestra, pro obiecto habet, *quod fortè non est?* nam quod fortè non est, fortè etiam & est. Tum illud, *Fortè non est, tametsi autem fortè non sit: tamen siquis petat an sit, omnino id asserendum esse*: Cuius verò, hæc, fides concoquat?

a De Pont. lib. 2. cap. 12.

Nec minùs in eo iusta *hæsitandi* ratio, quod dicit: [b] *Licet fortè non sit de iure diuino, Romanum Pontificem, vt Romanum Pontificem, Petro succedere: tamen id ad fidem Catholicam pertinere. Pertinere* dicit *ad fidem*, non esse *de fide*; ac lepidè sanè rem explicat, de *Pauli* penulâ, *quam etsi iure diuino non habuit Paulus, nec Troade reliquit; habuisse tamen, ac reliquisse ibi, de fide est.* Est certè; expresse enim hoc habetur in sacris literis de *Pauli penulâ*: at de *Petri Pallio*, vel *Sede Apostolicâ*, aut quòd *Pontifex Petro successurus* esset, non habetur ibi quicquam. Fatetur verò hoc. Etsi autem non habeatur in Scripturis: illud tamen (quod perinde est) haberi ex *Traditione* Apostolicâ *Petri*. Apostolica verò Traditio illa *Petri*, vnde habetur? *Declaratur*, inquit. At *Pauli* Epistola per se *clara* est; *Petri* traditio *declaratione* opus habet. Multùm interest. Et qui tandem *declarant?* Duo Pontifices, *Marcellus* & *Leo*, qui *Petrum* dicunt *Romam* iuisse CHRISTI iussu. *Duo testes domestici*; *alter* verò *supposititius*. At de hijs ipsis ita pòst Cardinalis: [c] *Non definiunt hanc rem, tanquam de fide, sed narrant vt historiam. Non sunt autem de fide Pontificum narrationes, sed Decreta.* Ita, nec *post declarationem*, de fide sunt ista, *relinquitur* etiam *hæsitandi locus.*

b Ibidem.

c De Pont. lib. 4. cap. 4.

Sed videamus etiam *factum Petri* à quo *localis* ista, seu

nixta dignitas, habet vim omnem. *Petrus* primùm, *Romam* iuerit, *Romæ* fuerit, necesse est. Quòd *Babylone* fuerit, esto sanè *de fide*. Quòd *Roma Babylon*, alius fortè non daret (non enim ducitur argumentum *à Sensu mystico*) verùm esto sanè. Sit *Roma Babylon*, potiùs quàm locus in Scripturis nullus sit, qui dicat *Romæ* fuisse *Petrum*: at *de Sensu mystico* potest fortè *pia, Catholica fides* esse non potest.

Vt verò *Romæ* sederit Episcopus, ex *historiâ* id habetur: *Historiæ* autem *historicâ*, non *Catholicâ fide* habentur: Certitudo de illis omnis, *moralis* est, *Catholica* non est. *Sulpitius* dixit, vel *Optatus*; creditur ijs, sed *morali*, non *Catholicâ fide*. *Lib.2.cap.4.*

Sederit *Episcopus*; transmisit ergo *Episcopatum*: sed quis nobis fidem faciet, cum *Episcopatu Apostolicam* quoque *dignitatem, & potestatem*, vel non *totam*, sed *duas eius tertias*, transmisisse, aut aliam quàm quæ illi, tanquam *Episcopò* competebat? An & hoc *de fide Catholicâ*? Vnde verò habetur? quis scripsit? *Lib.2.cap.12.*

Illud autem, quis nobis expediat? *Petrum* non *adiunxisse Pontificatui Episcopatum vrbis Romæ*, sed *euexisse Episcopatum Romanum in Pontificatum, vt iam Pontifici vno tantùm Pallio opus sit*. Non enim esse *duo* iam *Episcopatum* Vrbis, & *Pontificatum* Orbis, *nisi potentiâ*. An requiris etiam ad hoc *fidem Catholicam, in quâ nullus hæsitandi relinquitur locus*? An parem fidem de *Pallio* Pontificis, & de *Pauli penulâ*? An ægrè feres, si hæc *piè* tantùm *credamus*? *Ibidem.*

Tum & alia adhuc difficultas: *Electionis formam ipsam* quæ nunc est, quæque Successores *Petro* facit, quis probabit nobis, quòd *de fide Catholicâ* sit? *Fides Catholica* de ijs est, quæ semper eadem: hæc verò mutata sæpè. *Olim* per Clerum fuit, populumque *Romanum*; *post*, interuentu authoritatis Imperatoriæ. *Hij* diu iam *ambo* exclusi sunt. Qui iam successor *Petri*, per *Cardinales* eligitur *in Conclaui*: *Petri* verò ætate, diu post *Petrum*, neque *Conclauis*, neque *Dominorum Cardinalium* in Orbe nomen auditum est.

Alia etiam in *Successione* hæsitatio. Nam ipse hic Cardinalis hæsitat, qui *Romanum* Pontificem dicit [a] *propriè succedere Petro, non vt Apostolo*. Non ergo nisi *impropriè* in *Apostolicâ dignitate, & potestate succedere*. De eo verò quod *propriè* non est, annon si *piè credatur* sat est? *a De Pontif. lib.4 cap.25.*

 Nec

Nec minor in *Successionis serie*; Ibi, vel in limine ipso impingimus. Quasi enim niti nos nollet *Successione* vestrâ Deus: ita, de *primâ* omnium *Successione*, de *primo* omnium *Petri Successore*, rem voluit esse incertam. Scis ipse, post *mille* demum, ac *ducentos amplius* annos, *versum* illum editum de *Clemente*.——*Nutat adhuc mundus, sit quartus, sit ne secundus.* Ità nec ibi omnia *explicata* sunt.

Pòst verò, intercurrunt *illinc*, tot *Hæretici*, *Liberius*, *Anastasius*, *Honorius*, *Iohannes 22*, tot *monstra*, *& portenta teterrima*: *hinc* tot *schismata*, quæ vos ipsi ad *triginta* numeratis, in quibus, quis de *tribus*, vter de *duobus*, *Petri* Successor fuerit, tot scrupuli; vt si *de morali* certi esse possitis, maior vobis *certitudo* quærenda non sit. Possem & alia accumulare; sed hæc satis sunt. Concurrant omnia hæc necesse est. Hæc si tu postules, *de fide Catholicâ* facere, vnà operam des (quod ille in Comœdiâ) vt cum ratione insanias; nisi *certitudine* enim *morali* non consistunt hæc: benè etiam, si *illâ*. Et si *credendi* vobis vox allubescit, *piè credenda* sunt; aliter enim à vobis *credi* nequeunt.

Redeo iam ad illud, quod initio posui; posui autem ex *Alphonso*, & *Mirandulâ*. Sic habet [a] *Alphonsus*: *Quamuis credere teneamur ex fide verum Petri successorem, esse supremum totius Ecclesiæ pastorem: non tamen tenemur eâdem fide credere* Leonem *aut* Clementem *esse verum Petri successorem: quoniam non tenemur ex fide Catholicâ credere, eorum quemlibet rectè, & canonicè fuisse electum*. [b] *Picus* etiam *Mirandula*, qui scripsit nobis *Theoremata de fide*, non sinit nos *Catholicâ fide* hoc credere, nisi & *Catholicâ* nobis *fide* constet Pontificem *Canonicè electum* esse. Iam verò, vtrum à *duabus tertijs* Cardinaliũ, vtrum *Canonicè* electus, id verò *fide Catholicâ* constare non potest. Aliquis ibi saltem *hæsitandi locus*. Sedit Pontifex *quidam*, cuius electioni duæ partes assensæ non sunt. Rem refert eo loco *Mirandula*. Annon ergo *locus hæsitandi*? Sedit *alter*, qui dubius animi, an anima sua immortalis, *referente eodem*. De eo certè *relinquitur hæsitandi locus*. Deniq; sederunt simul *tres* Pontifices; *Balthasar de Cossâ*, *Angelus de Corarijs*, *Petrus de Lunâ*. Ibi verò nutauit *fides Catholica*, nec vllus tum locus, nisi *hæsitationi*; Successor *Petri* quis fuerit, nec dum constat: si *vllus* fuit, iniuria illi facta; Omnes enim

a *Adu. Hær. lib. 1. cap. 9.*

b *Theor. 4.*

enim depositi: si *nullus* fuit, quid *fide* tum factũ? Certè *Henrici 5ⁱ*, qui fuit per id tempus Rex *Angliæ*, certa magis Successio, quàm Romani tum Pōtificis: & tu tamen, *de fide* vis esse, & *de Catholicâ fide*? Neq; verò semel hoc contigit; *Benedictus 9ᵘˢ*, *Siluester 3ᵘˢ*, *Greg. 6ᵘˢ*, *tria teterrima monstra* (sic enim *Platina*, *quem nos iubes frequenter adducere*) simul *Petri Successores*: *Onuphrius* verò addit & *quartum*, *Iohannem*. Quis istorum fuit *Chiron*? Difficile dictu, *locus hæsitandi*. Abi ergo cum tuâ *Catholicâ fide*: *morali certitudine* contentus esto, quando an *Canonicè* intret, non potest esse *certitudo* vlla nisi *moralis*, nempe, si rectè rem referant, qui de Conclaui sunt. Quid opus ergo hîc tentare *per nefas* quicquam, cùm per fas liceat; aut *malâ fide* rem gerere, cùm si optimâ fide gerat, propositi compos esse potuerit?

QVæritur iam, *an Principem vllum vnquam Pontifex cædi mandauerit*. Quæritur, sed malè. Quæstionis is *status* non est: sed, *an Princeps vllus iustam sibi vnquam à Papâ timendi causam habuerit*. Hîc importunè, *de cæde* mentio fit à Cardinale; quasi nullum Principi periculum, nisi *vitæ*; quasi extra *cædem*, nihil Principi *metuendum*. Vbi, semel hoc habeto. Generosa indoles pro pari habet, de *vitâ*, & de *Regno* deponi: *cædi* mandet Pontifex, si de Regno *cedere*: Perinde enim est. Verùm, *Cædi* non *mandauit*, ex mente Cardinalis iam, nihil aliud significare dicit *Tortus*, quàm quòd *nō submisit Sicariũ* Quid interest ad *cædem*; si immisit *Exercitũ*, si concitauit *Seditionem*? Parui enim refert, per *vim* pereas, an *fraudem*, (quanquam in vtroque *vis*) per fraudem dico *Sicarij*, an per vim *Militis*. Mallet verò Rex quiuis, (si est illi animus verè Regius) perire *solus*, *Sicarij* manu, quàm cum Ciuium suorum *strage ingenti*, *ingenti* ditionum *vastitate*. Sed siue id per *hostes*, siue per *rebelles*, siue per *Sicarios* fiat, siue denique nihil horum fiat, nec *vitâ*, sed *Regno* tantùm quærat exuere: stat quod initio positum, *Iusta Principibus causa metuendi*.

Verùm *Pōtificum aduersus Imperatores bella vix leguntur, nisi defensionis causâ*: *Leguntur* ergo & *ab ipsis gesta*: sed quot putas ab alijs *gesta*, *ab ipsis excitata*? Ars enim illa Pontificum, domi sedere in otio, per alios bella gerere, subditis interdicere ne pareant, maledicere si pareant, edicere vt insurgant, maledicere nisi insurgant in Principem, Regna illorum prædæ exponere,

ponere, sine *labore*, *periculo*, sæpe & sine *sumptu*, hostes suos debellare. *Non approbauit*(aïs); fortasse non *diplomate*, non consensu expresso; sed habet alterum, (quem vos dicere soletis) *interpretatiuum*. Quid si autem, quod *Ipsi* facere non libet, Cardinalium alicui mandet? verbi gratiâ, *Comensi*; qui cùm Reginam ELIZABETHAM cædi mandauit, & *Parreio* vt id faceret author fuit; an id quisquam, inscio atque inuito Pontifice, mandatum putet, aut, si executioni mandatum fuisset, ab *Illo* improbatū iri? *Leguntur tamen*(inquis) *Imperatorum Bella aduersus Pontifices.* Sed quis *Imperatorū*, Pontifici bellum indixit, non ab *eo* priùs lacessitus, non vel tactus fulmine, vel tonitru exterritus, non vel Riuali, vel Rebelli aliquo priùs in *eum* concitato?

De *Henrico* antē *quarto* Imperatore, *Nihilne hoc ad rem facit*, quòd Filio non licuit Patri parentare? quòd interdicta illi Patris sepultura? *Nihilne hoc ad rem*, quòd in Patrem & *viuentem*, & *mortuum*, Filius coactus sit esse impius: in *viuentem*, contra quem arma gesserit: in *mortuum*, quem exhumatū proiecerit? quòd non satis in viuo *pastus* sit Papæ *liuor*, sed neque *post fata quieuerit*? Neq; enim *honorificam* Papa *Sepulturam*(vt tu vis) reprehendit, sed *sepulturam*: quam non *honorificam*, sed omnino *nullam* esse voluit. *Humari* enim noluit, *humatum exhumari* iussit: nec potuit reconciliari Episcopus *Leodiensis*, nisi conditione hâc, vt *effoderetur* denuò cadauer *Henrici*. *Exhumatum* est cadauer, *Spiram* pheretro delatum; ibi in *Capellâ* quadam *S. Afræ* desertâ, siue in Cellâ quadam eius, stetit *quinque* annis *inhumatum*. *Mandato* (inquit [a] *Viterbiensis*) *Romani Pontificis è cœmeterio eijcitur, eique omnis Christiana sepultura denegatur. —Papa caput cleri iubet hinc corpus remoueri: Filius ossa Patris doluit fore cum sceleratis. Tanta seueritas Papæ, vt mortuum humari non sineret*, ait [b] *Helmoldus*. Factum verò hoc *Pontifice eum sepeliri vetante*, [c] *Sigonius: hortatu Papæ*, ipse [d] *Binnius*. *Nihilne hoc ad rem*, quòd *morientibus instet* Pontifex, *Manes mordeat*, *sæuiat in morticina*, nec vel *ipsâ morte* satietur?

Nec id nouum iam, affigere ei, vel affingere *hæresin* aut *Schisma*, cui cum Pontifice lis vlla, quando *Illi* non parêre, *peccatum* est *ariolandi*, scelus *Idololatriæ*, hæresis denique *hæreticissima*. Quæ enim illa *hæresis* fuerit, docet [e] *Sigonius*; *Filius, Paternâ*

[a] Chron. part. 17.

[b] Lib. 1. c. 33.

[c] De regn. Ital. lib. 9. in fin.

[d] In Paschal. 2.

[e] De Regn. Ital. Lib. 9.

terna hæresi repudiatâ Pontificiam obedientiam suscepit. Obedientiam Pontificis non suscipere ea demũ *hæresis* fuit Patris. Filius autẽ Orthodoxus, vt *Pontifici obsequium* præstaret, impius fuit in Patrem. Nam quòd *sub Censurâ defunctus* est: idem hoc *Ignatio Patriarchæ Constantinopolitano* contigit, qui & ipse, cùm sic obiret, in eius, quod ius suum putauit, defensione (quæ & *Imperatoris* quoque *Henrici causa fuit*) non modò non sepulturâ caruisse, sed & miraculis claruisse dicitur. Quòd verò *naturali morbo extinctum* dicis: *naturalis* is *morbus* non erat; nec tu hoc nescis. Deiectus iam, & desertus à subditis suis, à propinquis, & (quod omnem immanitatem superat) *à filio suo; filio suo*, qui ex vtero suo egressus erat, quærente iam animã suam: ipso animi angore, ipso carceris fœtore contabuit; eóq; *præter naturã morbo*, non *naturali* vllo extinctus *est*.

Ad *Sixti quinti* orationem illam de cæde *Henrici tertij* Francorum Regis, verecundatur paululùm *Tortus*; & hoc *primum* in responso, *ingenuitatis signum* dedit. Quin tu age, quod *ingenuum* agere par est. Potestis, rem *tu* à *Domino*; *ille* de *Consistorio* rescíscere, *verâne* an *secus*. Si *vera*, cur pudet fateri? si *secus*, cur piget negare? Quorsum illud tuum, *esto tamen*, si rem putas Pontifici probrosam fore? Ægrè ergo *admittis*, sed tamen *admittit* tandem. Vidit enim in Consistorio *Secreto*, non tam esse *secreta* omnia, vt non emanent in vulgus; & quãquam nullus *excepit*, at dum adhuc in memoriâ recens erat, statim à discessu poterat quis capita eius & vim omnem referre in Cõmentarios. Sed quid coniecturis opus est? *Tortus* ipse, vt alibi sæpe, ita sui *hic parum memor*, qui primò *neminem* dicit *excepisse*: idem, *aliquos*, pòst dicit, *acta Consistorij breuiter annotâsse*. Admittit ergo. *Et quid in eâ reperies*, inquit, *nisi laudes & admirationem sapientiæ & prudentiæ Dei*? Et quodnam illud *sapientiæ* opus, quod ita vnicè *admiratur*? *Quòd simplex Monachus, non mutato habitu, non gladio clypeóue armatus, ad Regem liberè penetrauit*. At hoc sanè non ita valde *mirandum*: illud potiùs, si *penetrâsset ad Regem Monachus, gladio, clypeóue armatus*. Nam quòd *inermis*, suspicio de eo nulla; sin *armatus*, non ità credo per medios Satellites, viam expeditam habuisset. Nihil ergo in *admiratione* illâ *Sixti*, *admiratione* dignum.

Monitio verò magis adhuc insana. Eum, qui dixit, *Nolite*

tangere Christos meos, velle, à quoquam occidi *Christos suos*: quo, nullus erat in *Scripturâ* locus, (si vniuersam euoluisset) *Sixti* proposito magis ex toto diametro contrarius, nec qui, quod ille probare voluit, magis apertè refutaret. Locus, qui à *Rege* scriptus, & de *Regibus*, *nominatim* verò de *Regibus non tangendis*, eum aliquis tam insulsus sit, vt adducat ad *cædem Regis* probandam, tanquam opus diuinæ voluntati consentaneum? Certè, [a] *Toletano* Concilio id monstri simile visum: Cùm Dominus dicat, *Nolite tangere Christos meos*, & Dauid, *Quis* (inquit) *extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit? Esse tamen quosdam, quibus nec vitare metus sit periurium, nec Regibus inferre exitium.* Sic Patres illi, secus longè quàm *Sixtus*, *locum illum* accommodant: *monitionem* inde longè *aliam*, quàm *Sixtus* eliciunt, vt hinc Lector intelligat, quàm aptè *cuneos* suos ad *nodos* applicent Pontifices, quàm benè illis & Concilijs suis, inter se conueniat. Concilia *ad Reges*; imò Propheta *ad Reges*; Pontifex *ad Cardinales*, quos & ipsos iam *Christos Domini* appellat, non *Pontificem solum*. At hos *Christos nouos*, viros *Cardinalitiâ dignitate fulgentes*, Dauid, nec *vnctos Domini* agnouit, nec (quamuis *propheta* esset) *prævidit vngendos*. Hunc iam *Sixti Christũ* (nempe Cardinalem) *tangi* non oportuit: at illum *Dauidis Christum*, (*Regem* scilicet) vnico cultelli ictu necari! Et hoc *dignum*, *illius prudentiâ*, *opus*, qui dixit, *Nolite tangere Christos meos!* Meliùs certè insisteres in Oratione hac negandâ (nimirum *Sixti* illam fuisse) quàm vt hæc tam malè cohærentia illius sic nomine effutires.

a Can. 74.

At *Cardinalis ille Regi nostro affinis*; Etiam Dux frater eius. Quodsi, morte tum per ius fasque mulctatus *Cardinalis*, (de quo instituti iam nostri non est quicquam decernere) quid attinebat de *Cardinale* verba facere, silere de *Duce*? vterque enim ex æquo *Regi propinquus* sanguine. Sin præter ius fasque ea cædes facta est, pariter in *Duce* peccatum est. Quorsum ergo (*Fratre* omisso, & quidem *natu maiore*) *Cardinalem* Regi occinit, quasi *propinquum* suum? Non enim *quâ Cardinalis, vel Sacerdos*, Regi *propinquus*: sed quâ *Princeps* de stirpe & stemmate *Guisiorum*; vt hæc de affinitate res tota silentio potuerit præteriri.

Iam verò, *vir Sacratus Fraterculus* dicitur, (*nec tamen lauda-tur*)

tur) mirum autem quòd & illum *Christum Domini* non scripserit. *Vir* autem iste *Sacratus*, vltus est *virum Sacratum* alium, & *Christum Domini*, nempe Cardinalem, nece Regis *Henrici*; quasi ille, neque *Sacratus* esset, neque *Christus Domini*. Vbi tu, si *Scripturam* saperes, si *Concilia* spirares, Regem *Sacratum* diceres, & *Christum Domini* : illum, execrabilem *parricidam*, & *Christicidam*. Iam, quod adhuc magis *execrandum*, Deum ipsum in sceleris societatem vocat, nec satis illi dicere, *siuit*, *permisit*; sed, *vltus est* (inquit) *Deus Christum suum*. *Regem Deus per alium sacratum virum*, id est, Monachum, *interfecit*. Ita *Deus Regem* interfecit, per Monachi manum: *manum* commodauit *Monachus*; interfector, & *author cædis Deus* ipse, etiam mors *Christi* eius *opus manus Dei*. Et hæc *Consistorij* secreti *Theologia* est: hæ ibi *Pontificis Theologicæ* prælectiones.

Quodsi Deus tam ægrè ferat, *tangi* à quoquam *Christos vestros* Cardinales: Cùm [a] *Pius* 4. Cardinalem *Carafam*, virum Sacratum, Christũ Domini, & *Paulo* 4° *arctissimo sanguinis vinculo* coniunctum, in carcere strangulari iussit; vbi tum vltio diuina substitit? Cur id sine *manifesto diuinæ prouidentiæ miraculo* tulit inultum *Pius* 4°? Cur & [b] *Vrbanus* 6°, qui septem *sacratos viros*, & *Christos Domini*; Cardinales, duriùs quidem habuit? *Quinq;* enim immissos atque obstrictos in saccis, *demersit* in mari: *duorum* autem reliquorum corpora (postquàm morte mulctâsset,) *in furno exiccata*, iussit asseruari *in sarcinis*, & mulis imposita, (cùm iter vspiam haberet) ante se cum *Petasis* suis *Purpureis*, pompam ducere: nec tamen vllum *Sacratum virum Fraterculum* excitauit Dei prouidentia, qui *Christos illos vestros Domini*, tam indignè habitos vlcisceretur.

a Platin in vitâ Pij 4.

b Pandulp. Collen. Hist. r. Neapol. lib. 5. ad ann. 1385.

Illud verò ibi multos malè habet: quòd qui definire omnia tam facilè potuit Pontifex, tamen *Monachus ille, rectè an secus egerit, non definiuit*; quódque, cùm *opus Dei prædicandum* suscepisset, non & *opus hominis damnandum* quoque susceperit; sed pendêre siuit orbem Christianum animi dubium, fueritne Regis mors, quasi *Seruatoris* nostri, an verò quasi *Holophernis* & *Madianitæ*: Monachus autem ipse, *Herodi* & *Pilato*; an verò *Iudithæ* & *Phineæ* annumerandus. Secretum hoc seruare sibi voluit & suis, inter *arcana Consistorij*, ne fortè, si *virum*

tam sacratum execratus esset, ne, si in *Clementem* illum fuisset inclementior, si *Pilatum* aliquem definijsset vel *Herodem*: deesset pòst Pontifici materia, *diuinæ prouidentiæ laudibus euehendæ*, quam ille ex *simili euentu*, sæpiùs cupit decantare. Enimuerò, ibi dé *Pilato*, de *Herode*, in totâ oratione mentio nulla; tantùm *Eleazari* & *Iudithæ* exempla ibi sunt; Monachum cum *illis confert, præfert*, vt quid de illo senserit, facilis sit coniectura.

Multos (inquam) hoc habet malè: illud verò omnes pessimè, quòd vbi *mactatus* Rex aliquis; tum *Consistorium habet* Pontifex, Cardinales conuocat, orationem meditatur, meditatam profert, *Dei prouidentiam, iustitiam*, laudibus in cœlum extollit: Vbi diram proditionem *euasit* Rex aliquis, nihil horum; *vacuum Consistorium*, orationes nullæ, mutus Pontifex, non manifestum ibi *miraculum* vllum, non *encomium* vllum, aut oratio panegyrica, de laudibus *diuinæ prouidentiæ*. Perditio Regis, *laudes* habet suas; & *admirationem*; ex salute Regum, nec *admiratio* Dei, nec laus. Ad *mortem Cardinalis* venit illi in mentem statim: ad *necem Regis*; excidit illi prorsus quis dixerit, *Nolite tangere Christos meos*. Quin si statuatur in viros sacratos, *Garnettum* & *Oldcornum*, illum criminis *conscium*; hunc *laudatorem*: si lex aliqua feratur, ad reliquos participes eruendos; *magno* statim *animi mærore* consternatur Pontifex, & *afflictio* illi *mirum in modum augetur*.

Quod fuit autem dictū de referendo in *Sanctos fraterculo* illo; *sine authore non dicitur*, etsi *author* non dicitur; puta, aliquem de ijs, qui acta Consistorij *breuitèr annotare* solent. Nec dissimile verò, quoniam qui ita Deum tum laudare gestiebat; eum verisimile est, & *in Sanctis Deum* laudare voluisse. Poterat autem pleno ore, atque in *concreto*, si vt illud, *opus Dei* fuit, ita ille, *Sanctus Dei* qui perpetrauit. Quidni autem *Sanctus*, cui apparuit *Angelus*, & facti *author* fuit? Cui *pater spiritualis* (conspicans in eo cum Pontifice prorsus, atque eodem spiritu afflatus) idem ipsum *Iudithæ* exemplum, imitandum proposuit; in quo *Sixtus* ipse laudando, pòst tam diligenter insistit; cui denique; de operis merito præmióque prolixè pollicitus est. Proditio quidem multo etiam magis tetra erat, in quâ comprehensi *Garnettus* cum *Oldcorno* suo, quàm

fuit

fuit illa *fraterculi:* qui tamen ambo relati iam inter *Martyres*, & (quâ a Iesuitis) Sancti sunt, vt non *careat omni verisimilitudine consilium* illud: proin eximendum *albis*, inserendum inter *nigra Torti* mendacia; vtpote de ijs, qui non in *album sanctorum*, sed in *nigrum Dæmoniorum* referri mereantur.

DIcendum iam, ecquam vim habeant, quæ in *Bellarmino contradictiones* notatæ sunt: an nusquam secum pugnet, sed constans vbique sit, & sui similis. Certè *recognouit* sua nuper, in quibus discedit sępe à seipso; Quid ergo desperet quis, fieri posse, vt & in alijs vniformis non fuerit, eandem semper sententiam non dixerit?

Neque verò *contemni* potuit à te, nisi immeritò, contradictio ibi *prima*. Maior enim certè est, ac proin *minùs contemnenda* contradictio, quæ tractatum integrum, quàm quæ sententiolam vnicam euertit. Quodsi totum illud *pentabiblon* eius de Iustificatione, eò tendat, vt *inhærentem* in nobis iustitiæ habitum, & *emanantem* ex eo operum iustitiam statuat; quò ita, non solâ *Christi* iustitiâ nobis reputatâ niti, sed & *in nostrâ* etiam pariter liceat *fiduciam ponere*; annon vno quasi impetu funditus euertit disputationem illam omnem, qui tandem sic concludit, *Tutissimum non esse nobis nisi hoc, vt fiduciam nostram totam in misericordiâ Dei solâ*; *totam* inquam in *solâ* reponamus? Eludis illud; *Non quasi nulla* (inquis) *possit fiducia in bonis operibus collocari.* Potest ergo fiducia *aliqua* in bonis operibus collocari; at nisi *tutius* hoc sit, ne potest quidem. Nec tu illud, credo, volebas: *potest*, sed hoc *tutius* non est; id est, *potest*, sed temerè. Potest ergò *aliqua*: at contradicit, *Non potest* fiduciæ pars *aliqua*, sed oportet *totam in solâ* misericordiâ collocare: *Tutissimũ* enim hoc est. Quod namq; *tutius*, quòd *tutissimũ* est, id in *rebus animæ* semper cuiq; faciendum.

Quod verò è *Bernardo* affers de *præsumptione*, alienum planè à proposito. Obsecro te, an *fiducia* iam tibi *præsumptio* est? *Præsumptio* in vitio semper; *fiducia* virtus, quippe confirmata Spes. Aliud longè *præsumere*, aliud *fiduciam ponere*. *Præsumit*, qui merita nulla habet, vel falsa; *fiduciam ponit*, qui & *aliqua* habet, & *vera*. Tu dicis *aliqua*, dicis & *vera* merita nostra esse, *fiduciam* ergo in illis *collocabimus*; *ad fidendum* merita habe-

bimus, *non præsumendam*, quod iure, meritò possumus: *præsumptionem* longùm valere iubebimus, quæ fallax est, quia falsis innixa; nos *veris fidimus*, in quibus potest (dicis ipse) *fiducia aliqua*, dicit Dominus tuus, *fiducia nulla*, collocari. *Nulla* enim in *meritis*, si *tota* nobis *in solâ* misericordiâ Dei collocanda est: collocanda autem, si id *tutius*.

Vtile tamen est, inquis: Meritò contemni posset responsio hæc tua. Quæstio primùm, nobis de *vtili* non est. Sit tamen; si *inutile* factu, ne faciendum quidem. Si *non potest* in bonis operibus fiducia *collocari*, nisi *inutiliter*; non potest in illis *collocari*. *Non est vtile* (inquis) *respicere propria merita*. Si non *respicere*, certè nec *fidere*; si *non vtile*, nunquam faciendum *quod vtile non est*. An id dicis licere nobis, quod nisi *inutiliter* non licet? An id possumus, quod *tutò* non possumus? *Ad superbiam euitandam, non est vtile*. At hîc etiam aliud *fiducia*, aliud *superbia*; *fidere* licet, ipse dicis, *superbire* haud vnquam licet. Sed neque vel si non *superbias*, sed *fidas* tantùm, *tutissimum*, vt fiduciæ partem vllam in meritis, sed *vt totam in solâ Dei misericordiâ reponas, in eamq́ solam respicias*.

Æquè ridiculum; *Non est vtile*, quia *incerti sumus* an habeamus merita. At non potest vlla in meritis *fiducia* poni, si an habeamus *incerti simus*. Incertis enim non est *fidendum*. Et quæ est ista Lectoris ludificatio, *licet, non licet*; licet, *quia veræ salutis causæ sunt*; non licet, *quia an tales tibi sint, incertus es?* Ecclesia docet, *præcipuam spem & fiduciam in Deo ponendam esse; aliquam tamen etiam in meritis poni posse*: Bellarminus docet, *totam in solâ misericordiâ Dei ponendam esse*; id est, nullam in meritis poni posse. *Tutissimum* ergo non facere, quod Ecclesia docet. Illa docet *in meritis aliquam*: Ille docet, *tutissimum, non aliquam*, id est, *nullam in meritis*, sed *totam in solâ* Dei misericordiâ. *Nulla*, & *Aliqua*, notæ contradictionis sunt. Annon hoc est miserè fluctuare?

SEcundam, vt potes, expedi. Nunquam *Charybdin* sic vitabis, qui in *Scyllam* incidas. *Non mouet Deus, vel inclinat, ad malum moraliter*: *Mouet Deus vel inclinat ad malum moraliter*. Charybdis est; vitas sic; *Non mouet moraliter* (id est) *imperando*: mouet moraliter (id est) *occasionem immittendo*. Esto. *Moraliter mouere*, id est, *morali modo*: *Morali* ergo *modo* Ge-

 nus

nus est: *per modum imperij*, *per modum occasionis*, Species duæ. Posterior rectè dicitur, *Deum moraliter mouere*, id est, *per modum occasionis*: affirmatur enim ibi Genus de Specie. Prior verò, non rectè, *Moralitèr* enim *mouere* Genus est; *Per modum imperij*, Species. Non debet negari Genus, vbi de solâ Specie agitur. En tibi Scyllam. Falsum enim hoc, *Non mouet Deus moralitèr*; nec explicatio iuuat, id est *imperando non mouet*, quià insistit statìm Aduersarius, Imò id solum, non est *moralitèr mouere*; est & modus alter apud *Thomam*: *occasionem* scilicet *immittendo*; atque ita *mouet* Deus. Debuit verò, primo loco Speciem nominâsse, non Genus totum; *non mouere* scilicet *Deum imperando*, dicere debuit; *non mouere moraliter*, dicere non debuit: quia & *occasione mouere*, *moraliter* etiam mouere est. Vis in exemplo rem videre? *Non mouet Deus ad malum moraliter*, id est, *imperando*: *Asinus non est animal*, *id est*, *ratione praditum*. Ita, verò si loqui liceat, quis sibi vnquam contradicet?

IN *tertiâ*, tibi id vsu venit, quod Cardinali pòst dicit *Apologia*, *dum præsentem iam impetum declines, quid causâ ipsâ fiat, nihil moraris*. Adhibes enim hîc (cùm melior ad manum non esset) *mucidam* illam *distinctionem*, quâ cuiuis telo occurritur apud te, *Succedunt*, & *propriè non Succedunt*, quam tamen hîc adhibes satis *impropriè*; *Episcopos Apostolis succedere impropriè*: *Non succedere* autem *propriè*. Atque inter duo illa cùm distinctio nulla sit, omnes te *Logicæ peritissimum* esse, & *communi sensu abundare* prædicent, necesse est. *Priore loco* affirmat Cardinalis, *succedere*, *sed non propriè*: *posteriore* autem, *non succedere propriè*: Et hæc tu putas Cardinale digna! Nec vides Cardinalem ex eo probare, quòd *Episcopi iure diuino, maiores sunt Presbyteris*, quia succedunt Apostolis: quibus si non succedant *nisi impropriè*, argumenti Eius vis omnis corruit; nec enim, maiores erunt tum Episcopi presbyteris, *nisi impropriè*. Ita dum hîc euadat modò; quid alibi patiatur Dominus tuus; an *ignoret Logicam*, an *careat communi sensu*, an probet *propriè*, quod probare ibi instituit, an *impropriè*: tuâ nihil refert. Oportet enim certè, vt Apostolis *loco illo priore* succedant, & *propriè* succedant: Nam nisi Apostoli *propriè* maiores fuerint *septuaginta* Discipulis, nisi Episcopi Apostolis succedant item *propriè*, non concludit ibi propositum.

tum. *Propriè* ergo, eo loco succedunt Apostolis, vbi tu vis, *non propriè*.

Tum quod addis, *de Apostolis, quatenus Episcopis particularium Ecclesiarum affirmare hæc* Cardinalem, de tuo addis. Nihil ibi de *particularibus Ecclesijs Ephesi*, vel *Hierosolymæ*; sed neque de *Iacobo* vel *Iohanne*. Nam si esset *Ephesi* Episcopus *Iohannes*, *Timotheo* succederet, quem *Paulus* ibi Episcopum constituerat; non *Timotheus Iohanni*. Deinde verò etiam, eneruaret argumentum eius penitus. Nec enim plures Episcopi, succederent Apostolis, quàm *duodecim illi* qui *particularibus illis Ecclesiis* præerant, quarum *Apostoli* fuerant *Episcopi primi*. Quid reliquis iam fieret? Illi *Presbyteris maiores* non essent; non certè. Non enim *Successores* nisi *duodecim* illi *soli*: reliqui verò non *maiores Presbyteris*, nimirum, qui *Apostolis* non succederent. En vt agas causam Domini tui! En quàm futilia facis vt dicat, ne sibi contradicat! Nam in loco altero, tam magna Cardinali causa præ manibus fuit, ita totus ei intentus (quò scilicet *omnes Episcopi non aliunde accipiant iurisdictionem suam, quàm à Papâ*) vt oblitus planè Clericorum suorum, ac totus defixus in Pontifice, nolit succedere Episcopos Apostolis iurisdictione vllâ, sed solo ordine: Magnum enim incommodum, si *ex æquo* omnes succederent Apostolis, *ex æquo* omnes iurisdictionem suam ab Apostolis haberent, nec pendêrent omnes à Papâ; cùm tamen in [a] *libro de Clericis*, *quatuor* argumentis probet, non *ordine* solùm, sed etiam *iurisdictione* Episcopos Apostolis successisse. Quin eum ipsum locum, quem adducit, *libro de Clericis*, *quòd Spiritus Sanctus eos posuit Episcopos*, vt probet, *ipso Domino instituente*, *Episcoporum propriam esse curam, & gubernationem Ecclesiæ*: *Eum ipsum* (inquam) [b] *libro de Pontifice*, *soluit*; nec *à Spiritu Sancto positos* vult, nisi mediante Pontifice. Quòd enim ibi dicit, *Episcopos non propriè succedere Apostolis*, quatenus *Apostoli* erant, id est, *missi in omnem terram*: non minùs militat contra Pontificem, qui *non prædicat in toto Orbe*: nec *missus est in omnem terram*: nec *scribit libros Canonicos*: nec *habet donum linguarum aut miraculorum* magìs, quàm reliqui Episcopi. Tum, *& eo ipso in loco*, ita Cardinalis: *Romanus Pontifex propriè succedit Petro, non vt Apostolo*. Vt iam, per vos, Apostoli successores nullos habeant,

a Cap. 14.

b Lib. 4. cap. 25.

habeant, nec vel *Petrus* ipse, Pontificem ipsum. Tàm tu dextre concilias hîc nobis contradictionem hanc tertiam.

AT in *Quartâ*, verbo rem conficis. *Distingue* (inquis) *tempora*. Verùm hîc nihil opus est, *tempora distinguas*, si *nullo tempore Iudas* credidit. Nullo autem tempore credidisse euincit locus ille *Chrysostomi* (è loco enim *Chrysostomi* affert [a] Cardinalis) *nos enim* (aiebat ibi *Petrus*) *credidimus & cognouimus, quia tu es* CHRISTVS *filius Dei viuentis. Cùm dixisset Petrus, Et nos credidimus; eximit* CHRISTVS *è numero Iudam*, Iudam excipit Dominus de Collegio credentium. CHRISTVS ergo monuit, *non esse verum de omnibus*. Quid tandem? *credidisse illos omnes*: non enim credidit *Iudas*. Non tum, dices. Imò verò *credidimus*, de præterito dicitur, quasi diu iam antè credidissent. Eximit ergo, ex eorum numero *Iudam*, qui *ante crediderant*. Tum paulò antè, *vers. 64.* ita loquitur; *Sciebat enim ab initio, quinam erant non credentes. Ab initio* dicit, non tum demum; sed ab initio conuersationis suæ cum Discipulis: Et *quinam essent credentes ab initio*, non, quinam pòst essent à fide defecturi. Non enim, ideo quia scandalizati sunt, dici potuerunt *non credentes*: sed *non in fide permanentes*. At ille, simpliciter dicit, *quinam essent non credentes*. Nec modò *infideles* fuisse ostendit, sed causam etiam assignat *infidelitatis*; quæ est, ex remotione gratiæ attrahentis. Subijcit enim, quod multò adhuc magis rem ponit in aperto: *proptereà dixi vobis, nemo potest venire ad me, nisi datum sit ei à patre*. Cuius vocis, *propterea*, is sensus est; Scisse ideo Christum, *qui essent non credentes*, quòd sciſſet nisi eis à Patre datum esset, vt credendo *venirent*, *venire* non posse. Non venisse ergo *Iudam*, quòd ei *à Patre datum* non esset, vt veniret: A Patre, (inquam) *Iudæ datum non esse*: non igitur *venisse*. Qui autem non *venerat discedere* non poterat. Denique [b] *Alcuinus* noster disertè rem exprimit. *Vnus ex duodecim erat Iudas*, non *fide*, sed numero: non *veritate*, sed simulatione.

[a] De Pontif. lib. 1. cap. 12.

[b] In Iohn 6.

IN *Quintâ*; Præcepto morali de substantiâ operis iubetur quis, non solùm obseruare, vel implere præceptum; sed ita obseruare, vt peccatum non committat; id est, (Cardinale ipso interprete) præceptum cum omnibus circumstantijs obseruare. Nam quid? Operis substantiam, intelligis nudam,

 nec

nec debitis ve[illegible]itam circumſtantijs: id eſt *vtcunq́;* factam, nec *modo*, nec *loco*, nec *tempore*, quo oportet? Imò fateris ipſe de tempore, dum dicis; *Qui facit eleemoſynam quando tenetur ex præcepto*; *Qui facit quando*, ita tu: Quidni autem, *qui facit vbi?* &, *qui cui?* &, *qui vnde* etiam tenetur? Ex præcepto enim tenetur, non modò vt faciat *quando*, quæ *temporis* circumſtantia eſt; ſed vt faciat *vbi*, quæ *loci*. Tu, *temporis* circumſtantiam apponis: nos, eodem iure *cæteras*.

Sed mitto & illam, & cæteras. Quæro quæ ſit operis ſubſtantia? Ea ſcilicet, quæ ſpeciem operi dant, ad *ſubſtantiam operis* concurrere, ne tu quidem negabis. In Eleemoſynâ, quæ tandem illa? Tria ſcilicet hæc inſunt in ſubſtantiâ Eleemoſynæ: vt demus *noſtrum*; vt *indigenti*; vt *ex miſericordiâ* demus. Horum trium ſiquid deſit, perit de operis ſubſtantiâ. De pecuniâ *furtiuâ* ſi faciat quis Eleemoſynam, peccatum admittit: non enim de *ſuo*. Pariter, ſi *diuiti*: non enim *indiget*. Pariter ſi non *ex miſericordiâ*: non autem *ex miſericordiâ*, ſi ex *inani gloriâ*, ſi vt laudetur, ſi fine deprauato faciat. Finis enim hîc ſpeciem dat in *moralibus*. Præceptum autem morale eſt de Eleemoſynâ; vt quod tu de vitioſo fine ſuggeris, planè ſit *extra oleas*. Cùm enim Cardinalis ipſe nobis explicat, quid ſit *ſecundùm ſubſtantiam operis*, requirit, *vt fiat bonum opus, ſecundùm moralem quandam honeſtatem:* Moralis autem honeſtas, *ſine fine debito*, nulla eſt. Quin ſi Cardinalem ipſum audimus; Opera infidelium, ob finem prauum, ad quem referuntur, peccata ſimpliciter ſunt. Quare excludat alios fines, alia peccata, *bonum morale:* finem in præcepti moralis opere, excludit præceptum ipſum; ſine quo, nec *ſubſtantia* eſt, nec *ſpecies* operis, *ſecundùm moralem honeſtatem*. Nec ergo hîc verba ſola ſonant contrarium, ſenſus ipſe contrarius eſt. *Præceptum ſeruare, vt peccatum non committatur: Seruare* etiam *cum peccato*, id eſt, *etiamſi peccatum committatur*.

De grat. & lib. arb. lib. 5. c. 9. 5.

QVale & illud in *Sextâ:* Contradictiones ab Apologiâ proponi ad Lutheranos, quaſi Cardinalis ſit Lutheranus. *Apud Lutheranos* (inquis) *contradictio hac*. Apud vos verò quæ? *Retinere fidem, quæ per dilectionem operatur*; & *læthalitèr peccare*. *Petrus* autem *fidem* illam ex *dilectione operantem* non retinuit, ſed aliam *mortuam*, & *ſine operibus*. Vide hoc primùm,

mùm, quàm obtusè. Id enim agit, eo loco Cardinalis, vt miris modis efferat B. *Petri* priuilegium, quod ei concessum, vi orationis Christi, *Ego rogaui pro te, ne deficeret fides tua.* Fides tua (interprete iam *Torto*) *mortua* scilicet *sine operibus, sine dilectione*, quę S^to. *Iacobo, fides Dæmonum*, & pro hâc *fide rogauit* Christ[illegible], *ne* in *Petro deficeret*. Illustrem verò (vt narras) *Petri* prærogatiuam, & Christi orationem magni faciendam, quæ *Petro* impetrauit, vt permaneret in eo *fides* nescio quæ *cadauerosâ, informis, æquiuoca, falsi nominis*, quæ & *in Dæmone* posśit permanere. Ita tu, dum aliquid chartæ illinas, non valde referre putas, quam *Christo* oranti, quam *Petro*, pro quo oratum est, quam *Cardinali* ipsi iniuriam afferas, quam etiam *Pontifici* cuius ibi res agitur, ne posśit in eo deficere *fides Dæmonum*, à quâ, vestra omnium fides pendet. Aliam, credo, Cardinalis *Petro* prerogatiuam vindicare voluit quàm vt perseueraret in *fide Dæmonum*; aliam *Pontifici*.

Tum, quæ fuit in *Petro* fides, cum Christus hoc promitteret, *mortua* non fuit; pro *mortuâ* ergo Christus non orauit. Nam si *mortua*, *defecerat* iam: si iam autem *defecerat*, quomodo, *ne deficeret* orare potuit Christus? Addo etiam, quòd si *mortua*, potiùs vt in eo talis fides *deficeret* orare debuit; quàm *vt ne deficeret*. Tum, fidem illam Paulinam, *quâ creditur ad iustitiam*, fidem *mortuam* esse, quis te docuit? Non certè Apostolus, qui proximo statim versu subiungit; idque rationem reddendo, *Dicit enim scriptura, omnis, qui in eum credit, non confundetur.* Nec *Petrus* ergo confusus ita fuisset, coram ancillulâ, si non amisisset eam; sed retinuisset, & vel sic saltem in Christum credere potuisset. Non [a] *Theophylactus* (vnde citauit hæc Cardinalis) qui, *fidem radicem* dicit, & *radicem eam vixisse*, id est, *fidem* in eo *viuam* adhuc fuisse. [a] In Luc. 22.

Pòst verò etiam ais, *amisisse Petrum confessionem oris, non fuisse tamen hæreticum, vel infidelem.* Nulla ergo in oratione Christi vis, nullum ex eâ *Petro* priuilegium. *Non sibi ipsi*; læthaliter enim peccauit. *Non Ecclesiæ*: nam si *confessionem oris* amittere posśit, (Christi oratione non obstante,) quicquid intus *in corde* sentiat, non *confirmabit*, sed peruertet *Ecclesiam*, quæ ab *ore* illius pendet, in *corde* quid lateat scire non potest. Sed hoc, credo, à te positum, in gratiam *Liberij, Honorij, Iohannis*

nis 22[1]. qui, etsi *oris confessionem*, addo, & *manus subscriptionem* amiserunt; non tamen (*vt piè credendum est*) fuerunt hæretici. Quid tum? *confessione suâ* interim, Ecclesiæ nocuerunt: quæ magis in tuto foret, si salua illis sit *confessio oris*, pereat autem *de corde* fides, id est, hęresin corde *credant*, ore *ne confiteantur.*

Tertiò *Læthaliter peccare* vis, *& fidem [illegible]nuisse, quæ esset ad iustitiam dispositio*; id est, *dispositionem* ad vitam habuisse, & tamen *mortuam* fuisse. Quod tibi (credo) accidit, ex nimiâ logicæ peritiâ, vbi nisi *dispositio* omnis ad *habitum* sublata sit, *priuatio* (qualis læthi) non solet introduci. Tu verò vnâ operâ, & *disponere* potes ad vitam, & tamen *letho* homines dare. Quemadmodum & illud, acutè sanè vidisti, *si Apostolus existimaret fidem, quâ creditur ad iustitiam, sufficere ad perfectam iustitiam sine charitate, non adderet, Ore autem confessio fit ad salutem.* Certè si *ad salutem* sufficere crederet, vt *corde* quis *credat*; non adderet, *ore fit confessio ad salutem.* Ad *iustitiam* autem credidit sufficere, alioqui non diceret, *Credi corde ad iustitiam.* Ad *iustitiam* enim non *creditur*, si non satis illud *ad iustitiam, corde credere*, si plus *ad iustitiam* quæratur, quàm vt *corde* ad eam *credatur.* Nec diceret tum, *ore autem*, sed, *ore etiam*, non *ad salutem*, sed *ad iustitiam confessio* facienda est.

Tum, quale illud, ex *defectu Charitatis*, *caruit confessione oris.* Quasi, *confessio oris*, *charitatis*, & non fidei actus proprius, & primarius; Quasi non diserta sit, tam *Prophetæ* vox, quàm *Apostoli*, *Credidi, propter quod locutus sum.* Quasi *Theophylactus* hoc ibi non dicat, *confessionem folia*, fidem radicem, & *radicem viuam* non, (vt tu ais) *emortuam* fuisse. Quasi *Glossa* ipsa hoc, quasi *Thomas* & *Schola* tota non teneant; vt si propriè, ex *confessionis* defectu quis arguat; dicendum sit ei, ex defectu *fidei* caruit *confessione* oris, potiùs quàm ex defectu *charitatis.* Denique, vt modis omnibus miserè iacere videas responsionem hîc tuam; Nec defectus in B. *Petro* tum charitatis. Ita [a] *Bernardus.* *Petrus cùm peccauit, charitatem non amisit, quia peccauit in veritatem, potiùs quàm charitatem.* Ita [b] *Leo: Vidit in te Dominus, non fidem fictam, non dilectionem auersam, sed constantiam fuisse turbatam: abundauit fletus, vbi defecit affectus, & fons charitatis lauit vèrba formidinis.* Ecce, *non auersam* tum in *Petro* charitatem: Ecce etiam, vel tum in eo *fontem charitatis.*

a De nat. diu. amor. cap. 6.
b De Pass. Dom. Serm. 9.

tis. Ita, qui sibi nunquam contradicit [c] *Cardinalis* ipse, in *Petro*, (cùm Christum negauit,) *non fuisse extinctam charitatem sed mansisse* dicit, *Leo non auersam*, *Bernardus non amissam*. Manet ergo adhuc contradictio. *Non amisit fidem*, adde iam, *nec charitatem*, Et, *Peccauit* tamen *Petrus peccatum lethale*. [c] *De pæn. tom. lib. 2. c. 14.*

IN *Septimâ* verò, ostendis ipse te terris, dein occultas; occultas, dein ostendis, sub nouâ illâ distinctione tuâ, *clam & palam, occultè & apertè*: frustra tamen, nec secus quàm *Cumanus* vester *aures suas*. Nam etsi oppugnare *facto*, & exsecrari *verbo* idola potest Antichristus; at abhorrere (quod animi & cordis est) non potest idola, si illa clam habeat. Nimis apertè [c] Cyrillus, *idola odio habebit*. Potestne autem *odio habere* quis, non quod in *aperto*, sed quod in *occulto* veneratur? Quare, ludendum erat tibi hîc, terminis æquiuocis, & adhibenda *Glossa vestra* noua: *Abhorrebit, odio habebit*, id est, *non abhorrebit, non odio habebit: odio* tantùm *habere, abhorrere* se tantùm simulabit; alioqui locum hunc nunquam conciliâsses. Patres fortè Societatis, sic loquuntur, *Odi Diabolum*, id est, odisse me simulo: Patres Antiqui sic loquuti non sunt: quem *oderant*, ex animo *oderant*, rectè non *oderant*; teque *odissent*, qui affingis illorum sententijs, parum ex illorum sententiâ, sensum hunc *odiosum*, & compingis eos in numerum vestrorum Æquiuocantium. Dic autem, sodes, quæ erit vsquam, vnquam, contradictio, si sic liceat conciliare? *Est*, id est, *non* est; sed videtur *esse*: *Abhorret*, id est, *non abhorret, sed simulat se abhorrere*. *Abhorret* credo, lector, te ista sic *conciliantem*. *Catechis. 5.*

IN *Octauâ*, postquam verecundiæ limites semel transilijt, facit, quod *ibi sequitur*, *apud Oratorem*. De *oblatione* seu (quod idem est) *Sacrificio* quæritur. De *oblatione* autem, id est, *actione ipsâ offerendi*: non de *re oblatâ*. De *Sacrificio*, id est, *actione sacrificandi*; non *re, quæ sacrificatur*. In Missâ enim iam sumus, quæ quidem, res *oblata* non est, sed tantùm *offerendi actio*: *Vera* ergo *offerendi actio, celebratur verbis consecrationis*. Locus hic primus est. Locus verò secundus. *Positio super altare, non est actio offerendi*. At *consecratio verborum*, & *positio super altare*, re, ratione, naturâ, tempore, ordine, diuersa sunt; nec *positio*, super altare incipit, nisi *consecratione* peractâ, id est, (si Cardinali credimus) nisi *verâ oblatione* celebratâ atque peractâ, *De Miss. lib. 1. cap. 27.*

vera oblatio non inchoatur. Hæc quis non videt, quàm pugnantia? Hic conciliator *Tortus* officium suum facit, id est, torquet voces *duas*, *Oblatio: Celebratur*. *Oblatio*, id est, *res oblata*. *Celebratur*, id est, *in altari esse incipit*. Locus certè malè conciliatus. *Prior* malè, de *oblatione*. *Octo* in *capite illo* propositiones Cardinalis facit: postquàm *tribus primis* expediuit de sacrificio, (accipiendo sacrificium, pro re, quæ sacrificatur, siue oblationem, pro re quæ offertur;) *quinque* reliquis, explicat, quid sit propriè *sacrificium siue oblatio*, accipiendo sacrificium pro actione sacrificandi, siue oblationem, pro actione offerendi) nempe, è *quinque* Missæ partibus, quâ parte, sit ipsa *oblatio*, id est, *actio offerendi*. Propositione *quartâ*, docet, non esse in *oblatione* præcedente consecrationem: *quintâ*, non esse in *oblatione* consecrationem subsequente: *sextâ*, non esse in fractione: *septimâ*, non esse in consumptione, nisi ex parte: *octauâ* demum, *in Consecratione consistere Sacrificij essentiam*. Bis autem hoc. *Per consecrationem veram & realem immolationem fieri: Verbis consecrationis, veram & solennem oblationem celebrari*: Denique hoc ipsum ita esse, *quinque* argumentis confirmat; & nisi sit: non Christum, non Apostolos obtulisse vnquam, aut sacrificâsse. Benè ergo, & grauiter officium suum facit, qui negat verba consecrationis ad oblationem concurrere formaliter: cùm toties ibi Cardinalis ingeminet, *in consecratione consistere Sacrificij essentiam*: & maiusculis literis apposuit, vt si luscus sit *Tortus*, legere tamen possit, *consecrationem ad essentiam sacrificij pertinere*. Ad *materiam* certè non pertinet: ad *formam igitur*. At ille tamen, *non formaliter* ait. Atque hæc prior eius tortura, *oblationis*, id est, *actionis offerendi* pro re oblatâ.

De Miss. lib. 1. cap. 27.

Posterior; quod Cardinalis *celebrari* dicit; id *Tortus in altari esse incipere*. Sed manifestâ fraude. *In altari* enim *esse incipere*, dicit Cardinalis, *mediante manu Sacerdotis*; atque hæc ipsius ibi verba sunt, *Manu*, non ore, & digitis, non verbis. Hanc Sacerdotis *manum* bis præcîdit *Tortus* duobus in locis; & sperauit impositurum se lectori, *victimam per verba consecrationis effici, & in arâ Domini collocari*. Effici quidem, *per verba*, verum est: sed *per manum* Sacerdotis, non *per verba*, in arâ collocari, quis non videt? Verbis & consecratione, oblatio

tio illa fit, *priore* loco : manibus autem & positione fit, *posteriore*. Atque ita hæc per *Tortum* contradictio, nisi malâ fide, conciliari non potest.

DE *Nonâ*. Mundi finem ignotum, diem nouissimum incertum *esse*, nec *esse* solum incertum, sed & *fore*, subitò prorsus & *inopinatò superuenturum in omnes, qui sunt super faciem terræ; sicut diem Diluuij, Sodomæ; quasi laqueum in volucres, furem nocturnum, partum mulieris, instar fulguris repentini*, multis in locis monet Saluator. Tu hoc arripis; incertum *esse* iam, sed non, si iam est, ita semper *fore*; Non enim cùm ANTICHRISTVS regnare cœperit. Nam scient tum omnes (Cardinale Calculatore) diebus *quadraginta quinque* post *annos tres & dimidium*; siue *menses quadraginta duos*; siue *dies 1260*. Christum certò venturum, mundi finem, diem nouissimum certò futurum. Non ergo illis *improuisò* veniet *filius hominis*. Illorum erit tum *scire tempora & momenta, per vos iam, posita extra potestatem Patris*: Illis notum erit, *quod Angelis ignotum*: Nec *repentinus*, vt *Diluuij*; ita *Iudicij* dies. Veniet enim Antichristus (vti vos asseritis) sic, vt latêre non possit. Is vbi venerit, in digitis statim supputabunt, *annos* & *menses* exactè (nec in eo ambigui erunt, solares sint, an lunares: *Lunares* enim erunt, sponsore [a] Domino tuo: imò, & *dies* ipsos præcisè; nec falli poterunt: certo enim certiùs, *dies* abesse non poterit, *quadraginta quinque* diebus ab Antichristo mortuo, Christum sine dubio venturum, Mundi finem fore. Constat enim *quòd non erunt nisi quadraginta quinque dies ad finem mundi post mortem Antichristi*. Habebunt ergo in numerato, & expectabunt diem nouissimum, diem nempe *quadragesimum quintum*, nec dicent, *pax & tuta omnia*. Et illa de *aduentu secundo* in Euangelio, quasi *furis, laquei, partus, fulguris*, fabulæ meræ sunt, falsa omnia. Videsne iam concinnâ hac *conciliatione* tuâ euerti Scripturæ vim omnem, Euangelium, Epistolas, Christum ipsum denique, falsi teneri?

[a] De Pontif. lib. 3. cap. 8.

Et tamen Scripturam ipsam pertrahere audet in societatem sceleris, & dicere; *Si hæc contradictio est, in ipsâ Scripturâ diuinâ est: vtrumque enim in Scripturâ diuinâ habetur.* Verba fortè in *Apocalypsi* sunt: sensus in *Apocrypsi* cerebri tui. Non enim seruo reuelauit, quod non *Filio*; nec *Iohannes* Christo con-

contradicit: contradiceret, si *certum* daret tempus, quod Christus *incertum*; si diem *prauisum*, quem Christus *improuisum*. Sed *nemo scit quando Antichristus veniet*. Quid tum? Cùm venerit, ecquis tum sciet? Ecquis tum exploratum habebit, mundi terminum definitum? Ergo frustra *vigilare* tum iussit Christus, *vigilare* quidem semper *omnes*, sed *illos* qui *tum* futuri, peculiari quadam ratione; frustrà (inquam:) quæ enim aliàs *incerta*, tum fore *certissima*. Sed *neque quisquam scit, quando in toto mundo Euangelij prædicatio sit complenda*. Quàm verò dissimile? Ibi, *quando complenda*, nemo scit: Hîc verò scit quisque, quando *complendum* sit regnum Antichristi, *tali anno, mense, die*. Sine verò, vt Cardinalem hîc alloquar verbis suis. *Sequitur ex hoc errore, nosse* Cardinalem, *quando finietur mundus, quod tamen est contra verba Domini*. Sic verò (vt tu facis) Scripturas inter se conciliare, quid aliud est, quàm *Paulum* cum *Christo* conculcare? In fine mundi, *de fine*, homines *incertissimos* fore, dicunt illi: tu verò, tum *certissimos* fore.

Atque, vt tua hæc quàm malè conciliata sint; & vobis inter vos, quàm non benè conueniat, Lectori constet; appono hîc [a] *Blasij de Viegas* Iesuitæ, sententiam hâc totâ de re. Sic ille, longè secus, quàm vos. *Verùm, vtrùm plures quàm quadraginta quinque dies à morte Antichristi, vsque ad diem iudicij excurrere debeant, incertum est, & illud etiam minimè exploratum, vt ait Lyranus in Cap. 39. Ezek. vtrùm illi dies futuri sunt vsuales vt nostri, an pro annis computari debeant, quemadmodum & Ezek. cap. 4. dicitur* diem pro anno dedi tibi. *Iuxta quam sententiam, incognitus adhuc manet dies iudicij. Sanè admodum probabile est, incertas futuras eius temporis inducias. Etenim Dominus, Matth. 24. agens de suo aduentu ad iudicium, sic ait,* Sicut erant in diebus ante diluuium, comedentes, & bibentes, & nubentes, & nuptui tradentes, vsque ad eum diem quo intrauit Noe in arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit aduentus filij hominis. *Quam Christi sententiam, Doctores referunt, ad illud tempus quod effluet, à morte Antichristi, vsque ad diem iudicij, & 1. Thess. 5.* Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet: cùm enim dixerint, Pax & securitas, tunc repentinus superueniet interitus. *Non est autem verisimile tam breui, quadraginta quinque dierum spacio, post mortem Antichristi,*

[a] In 13. cap. Apoc. Com. 2. Sect. 45.

christi, homines vsque adeo depositutos tantæ persecutionis memoriam, vt, in eâ viuant securitate, otio, & delicijs, quæ ante diluuium præcessisse memorantur. Accedit, quod Christus Dominus docet, diem iudicij incognitum omnibus mortalibus futurum. Si autem quadraginta quinque tantùm dies à morte Antichristi vsque ad diem iudicij deberent excurrere, certè possent eius temporis homines, eum diem certò designare. Pater itaque *Blasius* conciliare hæc nunquam posset, *Tortus* viderit.

DE *Decimâ.* Sedes Antichristi vbi futura, *Romanè*, an *Hierosolymis*, nihil hîc ad *contradictionem*, neque controuersia de eo nobis vlla. Nec tamen opus tibi eâ de re tantoperè tumultuari. Non enim *Lutherani* soli *Romæ* fore censent Sedem Antichristi: censent & *Iesuitæ*; atque Illi inter eos qui debent rem optimè cognoscere, vtpote qui in *Apocalypsin*, *lucubrationes* suas ediderunt, *Ribera* & *Viegas*; nec leuiter perstrinxerunt, vt Dominus tuus, sed incubuerunt penitus, vt fides ex eo maior illis habenda sit. Esto verò tu, vel propter Patres illos, *Luthero* æquior; neque rem adeo indignè feras, si dicatur dixisse Dominus tuus, quod duos Compatres eius dixisse non pœnitet. Lis tota est de *incendio*. Neque ibi *venatione* opus vllum; prosilit enim ipsa per se, & procurrit *contradictio*, *absque cane* vllo venatico. In *eodem* enim *capite* Roma *bis* ardet; *semel* à decem Regibus: *iterum* ab Antichristo incensa. In cineres *semel* versa, quî potest *iterum* conflagrare? Hæc contradictio est: Hanc expedi.

Si decem Reges (inquis) *comburent purpuream Meretricem, id est Romam, & si Antichristus illam odio habebit, & per illos decem Reges comburet, quomodo Sedes illius erit? Decem Reges* comburent, & Antichristus *per decem illos Reges* comburet; *vnicáne* hæc, an *gemina* combustio? Videtur *gemina*. Vltrò enim *Reges*, & sponte suâ eam comburent: post verò, iussu *Antichristi*. An verò sedens *Hierosolymis Antichristus*, mittet inde *Romam*, *Reges decem*, combustum eam? Nequaquam; non mittet; non misione vllâ, vel iussione Antichristi comburent eam: *Deus dabit in corda eorum, vt id faciant.* Si enim Reges mittat, cur *Decem?* Vnus sat erat ei negotio, vnus *Alaricus*, vnus *Totila*. Et cur *Reges*? Calones multò meliores sunt incendiarij. Sed *mittet ne combustum?* Quî potest, quæ iam antè

combusta est? Sic respondebunt enim Reges, factum hoc iam antè, *Iam cinis est, vbi Roma fuit.* Tuum verò commentum, quòd *Antichristus per Reges* combureт, atque ita vna modò fit, *Antichristi* & *decem Regum* combustio, commentum merum est. *Antichristi* enim illa concrematio, non nisi *serò fiet, in fine mundi. Non autem veniet Antichristus ante desolationem Imperij Romani. Decem verò Reges, vno simul tempore regnabunt, qui diuident inter se Romanum Imperium, vt ita penitus desolatum faciant.* Ita *primò* per decem Reges comburetur *Roma*, vt ita diuidatur, & *desoletur Imperium. Desolatò Imperio*, venit *Antichristus*; *Antichristus* tandem in fine mundi *Romam comburet. Bis* ergo arsura *Roma*: atque hoc est, in quo sese exerceat facultas illa tua *conciliatiua*, quomodo conflagrare *secundò* possit, quæ semel deflagrauit: quomodo, vel exurat eam *pòst Antichristus*, quæ à *decem Regibus antè* exusta est; vel *decem Reges*, *antè* exurere possunt, ab *Antichristo pòst* exurendam. Quam tu, haud vnquam, credo, *conciliabis*, nisi *Romam* dicas, quasi *Phœnicem*, ex suis cineribus *renasci*, atque ita demum *renatam*, quasi *Titij* iecur, *nouam* esse Antichristo *materiam*, & *syluam* denuò comburendi. *Venare* verò tu nobis hîc aliquam, si potes, cohærentiam.

De Rom. Pont. lib. 3. cap. 5.

De *vndecimâ*, saxo intelligas, vbi contradictio sit. Si in *Papâ solo* omnis iurisdictio, nec in alijs vlla *nisi ab ipso* deriuata; *solus* ille atque *vnus* veri nominis *Episcopus*, reliqui titulo tenus; & (vtcunque nomenclaturam illam declinas) *verè Vicarij*. Quid enim *Vicario* faciat quisquam, quod illis Papa non facit, quoties libet, *dat, aufert, sublimat, deprimit, committit, reseruat, concedit, reuocat, creat, auget, minuit, penitus ad nihil redigit?* Quid ampliùs *Præsidi* Princeps, aut *Prætori* suo? Quare necesse habent, non *Dei* solùm, sed etiam *Apostolicæ Sedis gratiâ*, Episcopos se esse confiteri. Vis etiam quod maius, adhuc? Optarent verò esse *Vicarij* eius Episcopi; (nisi *minorum Gentium Vicarios* libeat dicere) minus enim sæpe sunt quàm *Vicarij*. Nam si *Presbyterum* aliquem, *cum Vicariâ potestate* ablegârit ad eos Pontifex in remotas regiones; omnes isti Principes Episcopi, *Vicario* illi *Presbytero* fasces submittunt, *pro superiore* suo agnoscunt, mandata ab *Illo* accipiunt, vt qui, maiorem à Papâ iurisdictionem acceperit, *maior Vica-*

rius

rius ſit,quàm Epiſcopi. Sed tu,qui *Apologiæ Authorem ſomniare* putas contradictiones, abi ad *Auguſtinum Triumphum*, magni apud vos nominis Authorem; vide, an ibi vigilans apud eum legere poſsis, Epiſcopum *Romanum*, immediatè eſſe Epiſcopum cuiuſque Eccleſiæ; quare, reliquos *mediatè*; quare, *illius tantùm Vicarios*, nec iam *Coepiſcopos* (vt *Romanus* olim reliquos, reliqui *Romanum* ſcripſerunt) ſed planè *Chorepiſcopos* ſuos.

Quem verò dicis contradictionis ſpiritum, in vobis eſt; ni eſſet, *Gregorio* ſaltem parceretis. Is, *Vniuerſalis* titulum, velut *ſacrilegum* & *profanum*, non in *Iohanne* ſolùm *Conſtantinopolitano*, ſed etiam in *ſeipſo Romano* damnat, explodit, execratur; ídque non hoc, aut illo ſenſu, ſed *ſimpliciter & abſolutè*. Ita *Gregorium* ſibi ipſi facitis contrarium. Illud verò conciliat Cardinalis (ſcilicet vt tu hîc omnia) *Simpliciter & abſolutè, damnauit, nimirũ, quatenus tribuitur Epiſc. Conſtantinopolitano, Abſolutè, quatenus.* Et hoc vobis *conciliare* eſt, ſed vnde non magna vobis opinio *conciliatur* apud bonos, cum bonis benè agendi. De Pont. lib. 2. cap. 31.

AGedum verò, videamus an *iuſta* Chriſtianis Principibus *cauſa* iam ſit, *vt metuant ſibi à Pontifice*. Fuit quidem olim. Vbi id queritur *Tortus*, quod de vllo metu, præterquam mortis nobis ſermo ſit, & interiecta dicit *verba*, *de attentatis per Pontificem contra Reges*, quæ apud Cardinalem nulla ſunt. Id vnũ *de cæde per ſicarios* affirmâſſe; de hoc vno *timore* dixiſſe. Vbi, quanam *Torti* fortunâ, ſeu potiùs quonam infortunio id accidat neſcio; vbi *ficti* meminit vel *falſi*, ſemper *ficti falſiq́*, tenetur ipſe, vt hîc iam, *de cæde per Sicarios videlicet*; videlicet hoc in *Bellarmino nuſquam* eſt. Aſſumentum hoc *Torti* eſt, qui verba hæc *fingit*, & *affingit* Domino ſuo. Poteſt verò *mandari* cædes, nec *conduci* Sicarius. Tam enim *cædi mandauit* Reginam *Pius quintus*, cùm *Rebelles* hîc excitauit; quàm *Sixtus quintus*, cùm *Parreium* huc *parricidam* immiſit. Vide ergo hîc, quàm ſis iniquus. *Attentare in Reges* dixit Apologia: *cædem imperare* dixit Cardinalis; annon eôdem ambo recidunt? Vix intelligas ſanè, quid interſit. Non *attentat in Reges*, niſi qui *hoſtili* in eos *animo*; quo *animo* qui ſit, annon *cædem fieri* iubebit, *factam* approbabit? Abeſſe quidem non poteſt, quin eiuſdem hominis ſit, qui in animum inducat in *Reges attentare*, Claſsicum etiam canere, & de medio *ſublatos* velle.

 Quan-

Quanquam, vſurpata illi vox *attentandi*, quòd de *Coronâ ſuâ* etiam Reges, non de *vitâ ſolâ* ſolliciti ſint. Tace verò *tu*, niſi vis eſſe inſulſus: quaſi de *vitâ ſolâ* ſolliciti ſint Principes, *de imperio* non ſint: quaſi dum eos Pontifex *de vitâ* ſecuros reddat, nihil vltrà quærant, æquo animo ſinant *de regnis* ſuis ſtatuere pro arbitratu: quaſi denique apud generoſas indoles (quales aut in Regibus ſunt, aut nuſquam) idem planè non ſit, in *Coronam*, & in *vitam* attentare. Apud ingenuum quémq; ita res eſt: *Honor & vita pari paſſu ambulant*, imò Honor vitam contrà non carus: *Honoris intereſſe maius eſt omni intereſſe*, etiam vel vitæ ipſius; & *generoſæ indoli*, emori ſic ſatius eſt per honorem, quàm per dedecus viuere. Rectè ergo illud ſubiecit Apologia, *diu iactatos à Pontifice Imperatores, tandem verò penitus ſubmerſos etiam, periiſſe*. Idem hęc illis ſunt, eódem redeunt, *non eſſe*, &, *non imperare*. De Regibus certè verum, ſi vſquam verum, *vbi non ſint qui fuerint, non eſt cur velint viuere*. Et eſt eorum Principum apud viuentes exiſtimatio melior, in hiſtorijs memoria multò glorióſior, qui cùm imperare non poſſent, fortiter occubuerunt; quàm eorum, qui cum imperio priuati, priuatâ vitâ contenti, dum viuere modò poſſent, turpiter ſuccubuerunt. Quanquam nec qui ſic ſuccubuerunt, diu fuerunt ſuperſtites, pudor illis & dedecus exederunt cor: Scribetur & illis Pontifex mortis cauſa. Parum enim intereſt, *mœrore* quis, an *plagâ*; *corpore* quis, an *Spiritu* vulnerato intereat. Vel ergo hoc dixit Cardinalis, vel nihil dixit. Sed tu nunquam Dominum tuum finges tam ineptum, vt Reges ita miſerè ſolari velit: Bono animo eſtote: nolite verò *timere*; nihil *attentabit* Papa ad *cædem* veſtram, tantummodò *depoſitionem* minatur; nec *vitam* vobis, ſed *ſceptra* ereptum venit; nec per *Sicarios* hoc, ſed per *Legiones exteras*, vel per *Rebelles de ſubditis* veſtris effectum dabit. Viden' hęc quam putidè, vt vel iſthuc dicere debeat, vel de totâ cauſâ penitus ſilere? Nam & hoc antè illi obiectum, quòd cùm ineſſent in Iuramento multæ, præter hanc vnam de *cæde*; *depoſitio* ſcilicet, *expoſitio in prædam*, *inuaſio*, *incitatio ad Rebellionem*, *Rebellio* denique ipſa; *vnam* illam de *cæde* arripuit, *cætera*, quaſi non vidiſſet, ſciens prudens *diſſimulauit*. Nec id, quia parum idoneæ ab illis

cauſa

causa *metuendi*, sed quòd illa omnia, & facta sæpe fuisse à Pontifice, & verò etiam fieri potuisse, varijs per Controuersias suas locis, non dixisset modò, sed seriò etiam triumphâsset. Vt ergò ne sit Regibus terrori Pontifex; non modò nihil moliri debet *in personas*, sed neque in *status* eorum. Nec specimen hoc *argumenti ficti* est; sed sine hoc nec specimen argumenti fingi potest; nec *finxit* ibi quicquam, sed monuit Cardinalem, quid ab eo nequiter prætermissum; quid porrò probatum oportuit, nisi causâ cadere vellet. Sed quare tandem non transijt hæc *Tortus*, si *ficta*, si *leuia*, si *non* à Cardinale *prolata?* Non ausus est. Sunt enim & hæ, non vanæ *timoris* causæ, nec minùs *iustæ*, quàm Illius illæ. Vidit hoc *Tortus*, & cum *timorem* inde *iustum* Regibus incuti videret, *timuit* ipse transire; Cuique exemplo responsum suum, quale quale, commentus est. De Pontif. lib.5.cap.8.

FAteturprimò extimuisse *Henricum quartum*, sed *filialem* eius *timorem* fuisse, *Censuræ* Papalis, non *seruilem*, *mortis*, vel (quæ morte peior) *depositionis*; nec impulsum terrore amittendi Imperij, sed *sponte* (ô os!) & conscientiâ merâ ad illam sese humilitatem deiecisse. Crede huic (Lector) inposterùm. Verè enim hic mihi fas verba ipsius vsurpare de ipso, *vt semper sui similis perseueret, cùm non habeat, quod verè respondeat, ipse fingit*. Explico enim tibi *eos Authores* tantùm, qui ibi in *Apologiâ* annotati *in margine*. *Hâc commotione coactus Rex, Romam humiliter, vt pote veniam ab Apostolico postulaturus, inimicis non sperantibus, tetendit*. Audin' [a] Vrspergensem? *Commotione coactus Principum & Populi quasi Regno exui vereretur*, non *sponte* autem, vt absolui mereretur. [b] *Platina. Decernunt Principes Alemanniæ, vt à Gregorio, Henricus supplex veniam errati petat: Quod se facturum, Rex ipse interposito iuramento, pollicitus est*. Ex *decreto Principum* igitur, non dictamine conscientiæ. [c] Schafnaburgensis verò qui tum vixit: *Cùm bis terue, missis Legatis, à Principibus suis pacem petijsset, neque vllum supplicationis genus prætermisisset, & reiectus esset, & nuncium accepisset ab eis, si ante diem anniuersariam Excommunicationis suæ non absolueretur*, regnum deinceps repetere non posse; *Romam contendit*. Necessariò ergo id factum, vt *regnum repetere posset*: non sponte; vt Censurâ absolui. Etiam & illis adijcio

a Adan.1075.
b In vita Gregor. 7.
c Adan. 1076.

 alios.

d In Helmo. alios. [d] Authorem vitæ *Henrici* 4[ti.] *Plerique Episcopi se ab eius auxilio retrahebant, quod & maior pars Procerum factitabat. Tum verò* (non conscientiâ vllâ adductus , sed) *videns rem suam in arcto sitam, inito tam occulto, quàm astuto consilio, subitum & inopinatum iter, in occursum Apostolici arripuit.* [e] Brunonem.
e De Bello. Saxon. in an. 1067. *Henricus autem vagans per Italiam, loco, sed magis animo, quid ageret nesciebat, quia quicquid ageret*; Regnum perdere timebat. *Nisi enim supplex ad Apostolicum veniret, & per eum solutus à*
f In Henri. 4°. *Banno fuisset, regnum se non recepturum pro certo sciebat.* [f] Cuspinianum. *Omnes Regnicolas Pontifex ab obedientiâ absoluit; quod magnum peperit in imperio dissidium, adeo vt Rex Henricus,* compelleretur etiam inuitus *Romam petere, & summo Pontifici adhærere, vt secum gratiam iniret.* Tu, *sponte*, dicis: Ille,
g De Reg. Ital. l.9. in an. 1076. *adeo vt compelleretur etiam inuitus.* Quid quod [g] Sigonius, in *summum discrimen Regni admittendi adductum*, *fecisse* id dicit?
h Epit. Hist. vniuer. ca. 193. Tum [h] Laziardus, *Partem regni ab eo defecisse, Saxones aduersus eum bella parâsse*, quâ re motum, ac sibi timentem, *Pontificem adijsse*. Vbi hîc *meritum absolutionis?* vbi *metus Excommunicationis?* vbi vel huius, vel illius mentio? *Cùm Regnum timeret perdere*, ait Bruno; *Cùm Regnum alioqui repetere non posset*, Schafnaburgensis; *In summum discrimen adductus Regni amittendi*, Sigonius. Audis, non Censuram, sed *ne Regnum perderet*, timuisse? Vbi *spontanea* illa tua *deiectio?* Imò, *Coactus*, ait Vrspergensis, *commotione*; *Decreto Principum*, Platina; *Videns res suas in arcto sitas*, Author vitæ; *adeo vt compelleretur etiam inuitus*, Cuspinianus. Et hoccine tu vocas, *sponte se deijcere?* Denique qui *Henricum* bene nouerit, & quomodo pòst, *bis* ab eodem *Gregorio*, etiam ab *Vrbano secundo*, *& Paschali secundo*, ter minimùm excommunicatus, nihili id fecerit, perstiterit, innodatus etiam Censuræ diem extremum obierit, non multùm ei à Censurâ Pontificiâ; sed (qui erat) *timorem* omnem, à Regni *amissione* fuisse, necesse est fateatur.

DE *Friderico primo* scrupulum primò injicit, de *Historiæ dubiâ fide*. *Dubiâ?* Quare? Quòd eam non referant quatuor saltem Historici, *Genebrardus, Platina, Sigonius, Sabellicus.* Poterat ex *Sabellico* ipse sibi responsum dare. *Non tradunt hoc illi*, fateor; sed *num propterea negant?* At tradunt alij. Non *Genebrardus*? at *Massonius* popularis eius, in vitâ *Alexandri*

andri refert. Non *Platina*, qui vitas Pontificum scripsit; at *Ciacconius*, qui & ipse scripsit, nec minùs accuratè. Non *Sigonius*, at *Bergomensis:* non *Sabellicus*; at *Petrus Iustinianus. Addo*, & de Germaniâ *Nauclerus*, & *Mutius*, & de Græciâ ipsâ *Gennadius*, & *Bessarion Cardinalis*. Nec dubitanter hoc. Inter eos, qui res *Venetas* scripsit [a] *Iustinianus*, & quid *Venetijs* factum optimè nosse poterat. *Deposuit purpuram Fridericus, & humi procumbens Pontificis pedes exosculatus est. Alexander autem Friderici collo plantâ superpositâ, Dauidicum illud protulisse dicitur*, Super aspidem, &c. *Cùm autem diceret Imperator, Non tibi, sed Petro; Pontifex impressâ fortiùs plantâ, Et mihi, ait, & Petro.* [b] Bergomensis itidem. *Alexander vniuerso astante populo Imperatori iussit, vt se humi prosterneret, & veniã denuò postularet. Quo facto, Alexander Pontifex Imperatoris collum pede comprimens, ait, scriptum est*, Super aspidem &c. Ac *hij* quidem *ambo* de ditione *Venetâ*, quibus *Sabellicus* tuus plurimũ tribuit, cæterísque, in Patriæ suæ rebus præferendos censet. Denique (quia fieri hîc cupio compendium) qui huic ipsi historiæ totus incubuit *Hieronymus Bardus* excusus *Venetijs* 1584: Viginti minimùm Authores commemorat, omnes *Catholicos*, *Antiquos* omnes; etiam *verba* apponit *eorum*, qui calcatas à Papâ *Cæsaris* ceruices, disertis verbis testantur *omnes*; Fac legas, si otiũ est, nec eris iam dubius fidei; *Historia* enim *dubiæ fidei* non est. Genebrardus quidem *procubuisse* dicit; piguit, credo, plura. Sed nec hoc, *exemplo Petri. Petrus*, non vel hoc tulit in *Centurione*, tulit in *Cæsare* ipso, qui *Petri* Successor ἐχθρῶν ἐστι. Regem verò Petrus *Præcellentem* diceret, & *Honorandum*, non *aspidem* & *conculcandum*. Etsi verò *Genebrardum*, plura piguit; at [c] *Massonium* non piguit de calcatâ ceruice meminisse, *Cùm Cæsar inclinatâ ceruice collum pedi Alexandri submisisset, dixissetque Pontifex*, Super aspidem, &c. Vel ergo, reclamante *Baronio*, constat Historiæ fides sua, à *Græcis, Italis, Gallis, Germanis. Timuit*, inquis, *nihil Fridericus, nisi excommunicationem*. Timuit verò. [d] *Platina* ipse tuus, aliud timuisse narrat. *Quòd Proceres palam illi minati essent, redituros se in Germaniam, ni properè cum Pontifice in gratiam rediret.* [e] Laziardus & [f] Polonus, *Timens ne à Dominio suo caderet. Vt cum Pontifice Romano pacis fœdera libenter inire coactus sit; Et maximè, quod eius filius à Venetiarum Principe*

[a] *Lib. 2. rerum venet.*

[b] *Ad an. 1160.*

[c] *In Alexan. 3.*

[d] *In vita Alex. 3.*

[e] *Epito. Hist. vniuers. cap. 112.*

[f] *Ad an. 1166.*

a Ad an. 1155. b Generat. 40.

Principe captiuus tenebatur: a Bergomensis. b Nauclerus, *Protestati sunt se eum derelicturos, & Successorem ab Electoribus postulaturos, quibus deterritus minu, &c.* Timuit ergo, *Ne Proceres desciscerent; Ne dominio excideret; Ne in filium captum durius quid statueret Pontifex; Deterritus est minis;* Quarè abrogationem Imperij timuit, excommunicationem non timuit.

DE *Henrico sexto, Historiam parum verisimilem esse* dicis; Et est certè; idque vitio vertimus Pontifici, quòd *vera* sit de *fastu* illius narratio, quæ *veri* vix *similis* est. Quam tamen ipse hîc dicis parum *verisimilem*, nec *vllam rationem pati, vt credamus*, fateris pòst veram, & à *Baronio* admissam, & *credis* ipse *homo constans*, & nos sinis *credere*. Quid verò, si *annosus* senex *Cælestinus?* An nescis *ambitionem non senescere?* Quid porrò si *summâ* antea comitate? *Papatus superbum, aut inuenit, aut facit.* At *Simultates illi cum Henrico nullæ.* Quid opus, quem tam *placidum* habeat *vt ouem?* At fuissent fortè, nisi *passus* hanc ab eo *contumeliam. Ranulphus* autem *noster* eâ diligentiâ, eruditione, fide Author est, vt à multis præclaris viris, etiam *Polydoro Virgilio* vestro, *egregius Historicus* habeatur, nec *Sigonijs* aut *Sabellicis* vestris cedit, quique, si in rem vestram, quicquam vel solus retulisset, quantiuis pretij foret.

a Annal. part. post. in Rich. 1°.

Verùm, non ille solùm hoc; *Rogerius* etiam a *Houedenus, Ranulpho* prior, quique ipse tum vixit, & Historiam suam scripsit, cùm hæc *Henrico sexto* fierent, ita rem gestam narrat: *Sedebat Dominus Papa in Cathedrâ Pontificali, tenens Coronam auream Imperialem inter pedes suos, & Imperator inclinato capite, recepit Coronam, & Imperatrix similiter, de pedibus Domini Papæ. Dominus autem Papa statim percussit cum pede suo Coronam Imperatoris, & deiecit eam in terrâ.* Nec tamen, si tibi credimus, *timuit* Imperator. Non valdè quidem *sperauit* hoc omine. Non enim bonæ spei signum *Coronæ excussio*, aut læti auspicij: præsertim ab hoc Pontifice, cui *Bubonis* verum cognomen erat, *aue malè auspicatâ. Nec iratus fuit*, inquis. Quî scis? An exta eius tum, & cor inspexisti (nouus aruspex) quòd bilem omnem à præcordijs abfuisse affirmas? Imò non potuit irasci facto, *quoniam intellexit*, latêre in eo mysterium (nec enim *sine mysterio* calcari Coronas à Papâ) nempe, *posse malis meritis amitti Coronam.* Tria verò hic insunt; *1. quod decussa ei Corona fuit;*

2. quòd

2. quòd à Pontifice decussa; 3. quòd pede Pontificis. Quicunque demum Coronam ei *decussisset*; *decussio* illa *à quocunque demum* facta, satis monere potuit, Coronam amitti posse, etsi alius id fecisset, quàm Papa. Quid Papâ opus fuit? *Hovedenus*, mysterium illud explicat, *significans, quòd ipse Papa potestatem eijciendi eum, ab Imperio habet, si ille demeruerit.* Non in eo ergo *mysterium* quòd *amitti Corona*, sed quòd *tollente eam Pontifice amitti posset.* Meliùs adhuc [a] *Cestrensis. Designans per hoc, quòd ipse Papa habet potestatem creandi Imperatorem, si meruerit, & deijciendi, si demeruerit.* Pleniùs hoc quidem multò, & magis ad rem: non quid *Imperator pati*, sed quid *Papa facere*; *creare*, si mereri iudicet; *deijcere*, si demereri.

[a] Polychron. lib. 7° cap. 26.

Hactenus verò edocti sumus, cur *decussa corona*, cur *à Pontifice*: Sed si, vel *manu* deiecisset Pontifex Coronam, satis per illud, priuatiua illa potestas Pontificis significari potuit; quorsum *pede* factum? nam neque illud *mysterio suo* carere potuit: Fortè vt admoneret, Pontificis *pedem*, partem infimam, Imperatoris *vertice* summo sublimiorem, & vel *supplosione pedis*, efficere, cùm libet, vt *decidat ei de capite diadema.* Mira verò (vt video) *mysteria* latent, in *calcibus Pontificijs. Vnus ibi Patrem*, calcibus suis *docuit*, quomodò *psalmi versum illum* intelligeret, *Super aspidem, &c. Alter hîc filium* calcibus *docet*, quâ ratione posit Coronam amittere. Quis non deosculetur *pedes* tam *mysticos?* Ridicula hæc sunt, sed *Tortus* magis, qui *Pontifices* scribit, circumferre in *calcibus, monitiones* tam sanctas, & salubres.

DE *Philippo dixisse* fatetur *Apologiam quod ad rem facit, nisi quòd admista ibi manifesta falsitas.* Illa verò quę? *Philippum ab Othone interemptum.* Id verum fuerit, an falsum, quid *ad timorem* Philippi? Timuit *Innocentij, verba minantia* & metuenda, magis apta *Sicario*, quàm *Vicario* Christi: AVT *Ego Illum, aut Ille Me.* Erupisse verò illum in verba hæc, qui eâ ætate fuit, & plerisque eorum quæ scribit ipse interfuit, narrat [b] *Vrspergensis. Audita* sibi dicit. Non enim adfuit loquenti fortè; sed *à fide dignis audita*; alioqui haud vnquam retulisset in Historiam. *Relatu* verò *difficilia* & *vix credenda*, tam erant *indigna Pontifice*: quò fuit *Innocentij* minor innocentia. Sed quæ *vix credenda, credenda tamen.* Non enim *primus* in exemplo hoc

[b] ad an. 1191.

Innocentius: *Eadem* ipsa dixerat *Henrico quarto Gregorius septimus*, vel *eadem*, vel certè *grauiora*. Sic *Greg.* obijcit per Epistolam Imperator; [a] *Scilicet vt tuis verbis vtar*, Quod aut Tu morereris, aut Mihi animã Regnúmq; tolleres. Eadē verò verba (præter *Cuspinianū*) *grauissimus Author tuus* [b] *Nauclerus* repetit. *Timor* verò, è *verbis* illis; quod instituto satis erat, præsertim si non dixit modò Pontifex, sed & sanctè deierauit (vt [c] *Cuspinianus* Author est) nec Pontifici fas vnquã peierare. Excitasse dein, atq; incitâsse *Bertholdū* primò, pòst etiã *Othonem* illi æmulū constat; abrogâsse ei imperiū; *Othonem* contra ius fásq; omne coronâsse; (quem igitur ne nunc quidē *Germani* habent pro Imperatore *legitimo*;) multa in *Philippi* perniciem machinatū esse. Hæc illi *timorem* auxerint necesse est. Respondit tandem verbis exitus. Cæsus autem est, siue ab *Othone Palatino*, siue ab *Othone Landgrauio*, siue à *Vitelspachio* tuo, nec tamen, vt tu vis, *priuato*; sed *Comite*, non id, credo, magnopere refert quis *Otho* cæsor fuit: *Philippus* cæsus est. Ita, non peierauit *Innocentius*; Ademptum illi *diadema*, *vita* quoque adempta est. Neq; verò, quòd Historicis inter se non conuenit, quis *ille percussor* fuerit, valdè hoc ad rem. Illud ad rem: Pontificem *minis terruisse*, nec frustra *terruisse*; *ademisse* enim ei *diadema*. *Timuisse* verò *Philippum*, nec frustra *timuisse*; *amisisse* enim *diadema*. *Timor* autem ibi probandus erat, *cædes* non erat.

QVi verò *Philippum* primò, dein *Othonem*, imperio viderat excussos ab Innocentio, *Fridericus secundus*: annon versabatur illi ante oculos, *iusta metus occasio*? Cùm & tertiò, *fulmine afflatus* & *deiectus Imperio*, & Principum suorum *fide nudatus*: Et nonne vita eius etiam petita est? [d] Qui in expugnato *Scalæ* castro capti, annon hoc morientes fassi sunt; *authore se Pontifice*, negotium illud in se suscepisse? Pòst verò etiam, *Theobaldus* cum alijs quinque, nonne idem aggressi sunt; & annon Imperatori in animo *sex illos*, postquam in potestatem iam eius venissent, [e] *per diuersa mundi climata, ad omnes Reges & Principes, cum Bullâ Papali impressâ in fronte, ibidem inuentâ, in publicam proditionis notitiam destinare*? Sat erant hæc *timori* probando. Præteris omnia hæc, *vnum* vellicas, in quo tamen multa peccas. De *veneno* negas. At qui ætate illâ vixit [f] *Matthæus Parisiensis*, affirmat; *Rediit*, inquit, *in*

[a] Constit. Imper. Hanuuns. ad annum 1080.
[b] Generat. 40.
[c] In Philipp.
[d] Pet. de Vin. lib. 2. cap. 10.
[e] Mat. Par. pag. 166.
[f] In Henr. 3. ad ann. 1149.

in Apuliam, vt dicitur, potionatus. Affirmat & [a] *Chronicon Augustense. In Apuliam rediit, & veneno extinctus, sepultus est in Fungiâ.* Etiam [b] Chronologica Compilatio apud Pistorium. *Fridericus anathematizatus, & imperiali honore priuatus, veneno interiit.* Etiam [c] *Sigonius* vester. *In Apuliâ, idibus Decembris veneno est mortuus, cuius mortis Manfredus suspicionem tulit.* Tu rem totam reiicis in *Manfredum*. *Manfredus* autem *maturauit* modò illi *exitũ* puluillo, potiùs quàm *exitus causa fuit.* Nam si, vt narrat *Parisiensis, venenum lethiferum & efficax valdè potioni immistum est*, præuertit modò horam *Manfredus*; si concessisset ei exigui temporis vsuram, si paululùm modò sustinuisset, *veneni* vi expirâsset: vt ille, mori modò fecerit; iamiã moriturum.

a Ad ann. 1250

b Ad ann. 1252

c De Regn. Ital. lib. 18.

Manfredum verò, quem *terræ filium* fateris ipse, potuit & Apologia *Manfredum quendam* appellare. Nullâ enim re, nisi scelere *magnum, viperam* potiùs quandam, & fœdum parricidam, qui ei, à quo spiritum *acceperat*, spiritum *interclusit*. Ab eo [d] *Cuspinianus* factum, id nullus dubitat; *siue ab hostibus, aut Pontifice corruptus id fecerit*, (omnes autem illi hostes à Pontifice tum erant) *siue quis ad Siciliæ regnum aspiraret.* Non autem posterius hoc, quòd *Siciliæ* regnum ambiret, *cùm testamento scriptus esset hæres Siciliæ*, ait [e] *Sigonius*. Quare, prius illud: quòd à Pontifice *corruptus* fuerat. Sed *Cuspinianus rem refert, ex Petro de Vineis.* Qui potest? cùm & *Petrus de Vineis* in suspicionem ipse venerit, quasi criminis particeps? *Eius enim (apud* [f] *Parisiensem) Dominus Papa cor, eneruando muneribus & pollicitis maximis inclinarât*; vt, de *Manfredo* per Pontificem *corrupto*, magis adhuc *verisimile* sit. Verùm *Cuspinianus, in Pontifices affectus vix bene.* At erat tamen *bonus Catholicus*, nec de *hæresi* suspectus vnquam, nec à *Pontifice læsus. Malè* tamen *affectus.* Quis verò posset in illos *bene affici*, qui tot illorum *scelera, fraudes, cædes*, legerit, sciuerit, scripserit, quot *Cuspinianus? Veneno* ergo *mortuus Fridericus*, vt *Parisiensis*: Cuius mortis *Manfredus suspicionem tulit*, vt *Sigonius*: Is autem *à Pontifice corruptus*, vt *Cuspinianus*.

d In vita Frider. 2.

e De Reg. Ital. lib. 18. in fin.

f In Henric. 2. ad ann. 1249.

QVem verò ibi proximo in loco *Alexandrum* Apologia innuat, non est quòd te valdè de eo torqueas. *Alexander* is *tertius* est. Nihil autem in *Iouio* de *Alexandro tertio*: satis illi negotium facessit qui *tertius* ab hoc. Quæ erat ibi in

 mar-

margine allegatio *Iouij*, ea sequens *Sexti* exemplum spectabat, Typographi errore factum, vt poneretur summâ in paginâ, loco non suo. At, quam ibi recitat ab *Alexandro tertio* datam timendi causam, ea *Friderico primo* data sunt. *Illius expressam ad viuum imaginem misit Sultano Pontifex, tum cùm Fridericus pugnaret in Asiâ, vnáq; per literas egit, curaret illum de medio tollendum, si securus regnare vellet.* Atque hæc è Germanicâ Historiâ, de *Friderico Barbarossâ*, & apud *Barnum* de vitis Pontificum, in vitâ *Alexandri tertij*, qui illi *vltimus* est de Pontificum numero. Apud *Balæum* idem, qui *Iohannem Marium* authorem citat: idem apud *Schardium* reperies, qui *Cremonensem*. Admodum autem infensus erat *Alexander Friderico*: vestra hoc *Papia* sensit: mulctatus Episcopus vester *Pallio* & *Cruce*, quòd à partibus *Friderici* steterat. Quo tempore, *Papiæ* in Synodo, maiores tui *Papienses* omnes Theologi & Iurisconsulti longè aliter sentiebant, quam tu modò. Siquidem *inter omnes tum conuenit*, posse Pontificem ab Imperatore iure *deponi*, vt & reipsâ ibi *depositus* est Pontifex.

QVi verò in *Pauli Iouij secundo* Historiarum Libro, vidisti *Alexandri tertij* Epistolam nullam ad Sultanum, (nulla enim ibi erat, quam videres) at *poteras* verba hæc; saltem iam poteris, postquã tibi delineata sunt. *Nec multò pòst, ipse Gemes, ad Caietam moritur, erátq; constans fama Alexandrum, (vt Barbarus Princeps inimici Regis gloria atq; spectaculo subtraheretur, & ipse obiter proposita à Baiazethe præmia promereret) lethiferum puluerem Saccharis, quibus Turca poculis omnibus vteretur, miscuisse. Is erat puluis ad fallendum candore mirabili, nec iniucundo admodum sapore, qui non acriore vi protinus, sicuti præsentanea venena, spiritus vitales opprimeret, sed sensim illabendo, exitiali tarditate grassaretur.* [a] Guicciardinus etiam. *Non defuere, qui crederent Baiazethem, cognito Regis Galliæ in Italiam apparatu, per Iacobum Bucciardum, apud Baiazethem Pontificis Legatum, Pontificem pecuniâ corrupisse, vt Gemen vitâ priuaret. Eius mors, à Pontifice, lento veneno procurata fuisse, constanti hominum opinione credita est.* Pariter [b] Sabellicus. *Zizimum vt veneno tolleret, ab initio Gallici tumultus, per literas, cum Alexandro egerat Barbarus Rex, magnũ auri pondus, si eam sibi operam nauâsset, pollicitus.* Quæ & ipsa [c] *Cuspiniani* quoque verba sunt. Quod verò *Cuspinianus* dicit,

a Hist. Ital. lib. 2.

b Enn. 10. li. 9

c In Baiazeth. 2°.

dicit, *mortuus est veneno Zizimus Alexandro Pontifice haud ignorante*, id ipsum quoque Sabellicus: *Fuerunt qui crederent, eum veneno sublatum, fuisseq́; Alexandrum Pontificem eius consilij non ignarum*. Vt si iniquior sis in *Cuspinianum*, quòd Catholicus cùm sit, malè tamen fuerit affectus in Pontificem; habeas iam vestros homines, *Iouium, Guicciardinum, Sabellicum*, quibus tutò credas, nec fides in hoc tua vacillet ampliùs.

Vt tu autem hîc delitias facis, vt minutias quæris; *Scribit factum haud ignorante Pontifice, sed iussu Pontificis id factum, non scribit*. Quasi nescias quid valeat, *Non ignorante*. Disce ex *Conradini* nece. *Non negauit* ibi Pontifex, Iurisconsulti vestri exponunt, id est, *concessit*. Ita hîc, *Non ignarus*, id est, *conscius criminis* fuit, atque adeo Author. Vbi enim Pontifex *pars, prima pars est*, *caput* est; Nunquam *Accessorij* naturam sequitur, semper *Principalis*. Alios ad *Illum* accedere æquum, non *Illum* ad alios. Tum *de summâ* hæsitas. *Proposita* à Baiazethe *præmia sunt*, ait *Iouius*. Pontifex *pecuniâ corruptus*, ait *Guicciardinus*. Pecunia illa, *magnum auri pondus*, ait *Sabellicus*. (Atque ita quidem par, vt *Magnus* Pontifex, *Magni* Turcæ fratrem, non nisi *Magno* pretio tolleret.) Summa ipsa denique, notata atque nominata à [d] *Iouio*. *Ducenta millia aureorum nummûm*: *pacta* scilicet, nec tu scio, dubitas, quin numerata. Non ita solet oscitanter *pacisci* Pontifex, vt *illudi* sibi patiatur; nec æquum erat, à Turcâ præcipuè: sic enim summo vestro cum dedecore, *Turca Sanctissimo* imposuisse diceretur. En ergo, vt *potestatem* nullam hîc habeat *Apologiæ Author ad historias addendi*: tu fac potestatem habeas *de calumnijs detrahendi*. d Lib. 2.

AT de *Henrico secundo* nostro, nimis in aperto res est, *vapulâsse eum*. [c] *Carnem suam nudam disciplinæ virgarum supponens, à singulis viris Religiosis, quorum multitudo magna conuenerat, ictus ternos vel quinos excepit*. Ita *Matthæus Parisiensis, Houedenus, Neubrigensis, Walsinghamus, Capgrauius, Author* vitę & processus *Thomæ*. Atq; hoc *ex mandato Pontificis*. Sic enim *Houedenus*, [a] *Promisit & alia quædã, quæ non oportet scripturæ serie denotare*. Et [b] *Author* vitæ. *Iniunxerunt Legati Papæ etiam ei secretiùs alia quædam, quæ ad communem audientiam non peruenerunt*, quæ *nostri homines* de *virgæ* disciplinâ ferè intelligunt. Hæc ille cùm passus esset, *timuisse* illum concedis, sed *iudicium* c Mat. Par. in Henric. 2. in ann. 1174. pag. 125. a Pag. 303. b Lib. 4. ca. 5.

Dei, & Censuras Ecclesiæ. Censuras Ecclesiæ fortè, erant enim timendæ, quæ tam erant rigidæ; nam *de Iudicio Dei* bene sperare potuit. Quia [c] *auditâ Thomæ nece, per quadraginta dies, sedit mærens, & acerbiorẽ multò plus quàm mortuorum fecit luctum, lugentium cibos comedit, equum non ascendit, nulla causa, nulla consultatio, nulla querela ingrediebatur ad eum, sedebat solitarius, ingemiscens, & dolens, sæpiùs hoc iterans, Heu, heu accidisse sic.* [d] Qui *accepto primùm nuncio de morte Thomæ, Omnipotentem Deum testem inuocauit, quòd opus illud nefarium, nec suâ voluntate vel conscientiâ commissum est, nec suo artificio perquisitum.* Qui, [e] *coram Legatis Papæ iurauit, quòd neque mandauit, neque voluit, quòd Archiepiscopus interficeretur, & quando audiuit, vehementer mortem eius doluit.* [f] *Addidit etiam ex propriâ voluntate, quòd pro morte Patris sui, vel Matris suæ, nunquam tantùm doluit.* Qui denique [g] *vltro ad tumulum eius protestatus est publicè, quòd mortem eius nec mandauit, nec voluit, nec suo artificio perquisiuit.*

c Capgrau. fol. 292.
d Mat.Par. pag.120.
e Capgrau. ibid.
f Author. Vitæ, lib.4 cap.5.
g Mat.Par. pag.125.

At *præter Deum*, Pontifex placandus fuit, cui nulla tum Imperatori pœna congrua, nisi *curuata ceruicis* visa est: nulla Regi præterquam puerilis illa *virgarum pœnitentia. Misit primò Rex ad Pontificem, qui eum de crimine purgaret, Richardum Barre. Is receptus non est. Post illum, alios quatuor; Nec eos videre voluit. Tum, ab admissis, Regem nec nominari sustinuit, tanquam Papæ abominabile esset nomen Regis. Ac etiam, de Regis Regniq́; grauamine diutissimè tractauit, & immutabiliter disposuit Dominus Papa in Regem nominatim, & totam terram eius, cismarinam & transmarinam, interdicti ferre sententiam.* Denique & hoc ipsum per Senonensem Archiepiscopum, in cismarinas eius ditiones executioni mandatum est. *Et missi erant tum à Pontifice duo Legati, Gratianus & Viuianus, qui magnis, & diuersis vexationibus* Regem *angariauerunt, volentes eum & terrã suam interdicto supponere. Sed Rex Angliæ, inde præmonitus, ante illorum ingressum, ad præsentiã summi Pontificis appellauit, & sic se & terram suam à grauamine illorum custodiuit. At tum, Apostolicam timens seueritatem, ad mare properauit, & de Normanniâ in Angliã transfretauit, præcipiens quòd nullus Breuis lator, cuiuscunque fuerit conditionis vel ordinis, permitteretur transfretare neque de Normanniâ in Angliam, neque de Angliâ in Normanniam, nisi priùs datâ securitate, quòd nullum malum vel grauamen quæreret Regi, nec Regno suo.*

Houed.pag. 301. a
Pag.301. b
Pag.301. b

Hæc

Hæc *Houedenus.* A quo habes, Regem *Henricum: Papæ seueritatem, Cardinalium vexationes, & angarias, latores Breuium, malum & grauamen*, & *regni sui*, & *suum extimuisse.*

DE *Nauarræ* regno abalienato, non temerè est quòd omittis dicere, iubes *consulere Historicos.* Quid opus? Fatere tu quod res est. Quodcunque præterea *Hispanus* Regibus ius est; scis tamen Historicos, si consulantur, responsuros statim, mulctatum Regno *Nauarrenum à Iulio secundo*; mulctatitio regno donatum ab eo *Hispanum*: Ita scilicet *voluit, iussit* Summus tum Pontifex. De Regum titulis nemo te disserere vult. Quid ad nos de illis? Alio fortè titulo nititur *Hispanus*: De eo non quæritur: De *Pontificis* tui, de *Iulij donatione* quæritur. De *Pontificis facto* dicendum tibi erat; & dixisses scio, lubens, nisi vidisses, nodum hunc, te vindice, expediri non posse. Quanquam autem ibi, *de re ipsâ* nihil attingas; at ex indole tuâ visum est, *voculam* saltem vellicare. Dixerat enim Apologia Regem *Nauarræ*, qui sic Regno spoliatus, *Regis patrem*, qui iam regnat: *Auus* is erat, vel *proauus.* At vel apud Iurisconsultos, qui *loquuntur ad libram*, *Patris* nomine *Auus Filij Nepos* demonstrari intelligitur, atque ita leges ipsæ loquuntur. Consule, si placet, & te hîc fatere *canem Æsopicum*, qui captâsti *vmbram*, dimissâ *substantiâ*; *neutram* tamen tenuisti. Res verò ita se habuit de Regno *Nauarreno* apud [a] *Nebriss.* Papæ *Iulio*, bellum tum erat cum *Ludouico* Galliæ Rege, cuius à parte erat *Iohannes* Rex *Nauarrenus*, qui & *Gallus* ipse esset, & partem maximam patrimonij in *Galliâ* haberet. A Pontifice tum stabat *Hispaniæ* Rex. Is exercitum ducebat in *Aquitaniam*, contra Regem *Galliarum.* Per *Nauarram* verò mediam transire voluit, nec transire modò, sed dum iret, rediret, *tres*, (quas nominare ei visum) *arces* munitas sibi tradi à *Nauarreno*, quæ in *Hispanorum* suorum interea manibus essent: Nisi è vestigio petitas arces in quos vsus dictum est, traderet; se omnia rapturum. Iniquum sanè postulatum. Ab *Hispano* tamen res relata ad Pontificem. Ab eo Rex *Nauarræ* (quòd *Ludouico* Galliæ Regi, hosti suo faueret) declaratur Schismaticus, atq; proinde Hæreticus. Quia verò identidem admonitus pertinaciùs agebat, & se iam non obscurè *Gallum* profitebatur; mulctatur regno, & omnibus fortunis, non modò *ipse*, sed & *Vxor*

[a] Lib.1.cap.3.

&

& *Filij*, cum *omni Posteritate* suâ: In *Hispanum* omne ius regnandi transfertur. Ita nimirum *Albanus* belli Dux pro *Hispano*, Regis sui ius explicat apud *Pampilonæ* ciues, in regno *Nauarræ* vrbis primariæ, quam *Albanus* tum obsidebat. [a] *De titulo dubitatis? Vniuersali Ecclesiæ atque Apostolico senatui credite, qui Regem vestrum Schismaticum, Hæreticum, Apostolicæ sedis hostem publicum, atque reum læsæ Maiestatis declarârunt, bona publicârunt, primo occupanti, & nominatim Principi nostro concesserunt. Aut igitur totum hoc Orthodoxæ fidei nomen inane est, aut Rex vester, Dijs & hominibus inuisus, infamis, intestabilis, & à Christianorum communione segregandus est.* Pergit dein, atque sibi ipsi obijcit: *At dicet quispiam, Quis vnquam audiuit Regem, & eum quidem Regem, qui superiorem non habet, vocari in ius, inauditum, causâque indictâ, condemnari, regnoque spoliari?* Respondet autem: *Quasi nouum sit, & nunc primùm ad aures vestras peruenerit, à summo Pontifice Reges mulctari regno, imperio Imperatores.* [b] Guicciardinus verò confert in pauca rem totam. *Rex Arragoniæ, cùm se Regnum Nauarræ legitimè possidere alio nomine affirmare non posset, occupationem iure Pontificij Imperij factam esse Sacrosanctæ Sedis authoritate asserebat.* Habes quo titulo; *Pontificis anathemate:* Quâ de causâ; *quia fidem seruabat Regi suo.* Et annon *propter fidem* seruatam *Regno exui, metus causâ* satis *iusta, constanti viro?*

[a] Nebriss. lib. 1. cap. 6.

[b] Lib. 11.

SEquitur *Proauum, Pronepos.* Et *in eo* animus *tibi* vagatur: Apologia rem premit. Non enim *vno Gladio* diu iam pugnauit Pontifex: Gladius Gladium sequitur, *materialis spiritualem:* id quod de *Proauo* eius *Iohanne* dixit *Iulius secundus* (apud [c] Nebrissensem) *vterque in Nauarrenum stringendus est Gladius, ac interim dum acuitur secularis, spiritualem in ceruices eius intentemus.* Nec dixit modò, sed & reipsâ ostendit, proiectis in Tiberim clauibus, *Gladio* suo *spirituali:* Deinceps verò plus sibi præsidij futurum in *Pauli Gladio* quàm *Petri Claue*, palam professus est. In Nepote itidem *ecce duo Gladij.* Non ille modò *Sixti 5ti* & Gregorij 14ti de *militiâ* spirituali: sed & *Gladius Ligæ Sanctæ.* Ille verò non vnicus: aliquot *Gladiorum millia* in ceruices eius intentata; & illa, propter quotidianas strages quas edebant, Regi (quem suorum cura tangeret) certè *metuenda.* Tu *spiritualem* magis timuisse vis: Exiistet

forte

[c] Lib. 1. de bell. Nauar. cap. 3.

fortè alius, qui *materialem*, magis. Vtrumque fortè *timuisse*, nec tam illum tamen, quàm hunc, cordatus nemo negauerit. Quare *intra rem* consistit Apologia. Sed ea semper est charitas vestra in hoc negotio, Qui *cedit* vobis, ex *solâ conscientiâ* id facit, nec nisi Censuræ metu, vt nuper *Dux Mutinensis* cùm Ferrarâ cederet, non dubium, quin ex causâ, & motu merè Spirituali ex mero in *Clementem* officio: Nec cessionem eius fas, aliam in partem interpretari.

Cæremonias verò vbi *risit?* Doluit potiùs collapsam ita iam apud vos Disciplinam, vt res tota ad *frigidam Cæremoniam* redierit. Olim, per Legatos cædi non solebant Reges, (paulò antè id in *Henrico* nostro vidimus) Ipsi *flagellari* solebant *cum hominibus*, & ab hominibus, idq; *grauiter*, ad *verū dolorem*, non *leuiter* modò *ad significationem* nescio quam. At iam, quia equum non potestis, ephippium cæditis: & cùm *significatum* ipsum vobis perijt, *vmbratilem*, & inanem modò *ritum* retinetis. Quodsi cui *ridere* libeat, *rideat* illud licet (*ridiculum* enim profectò) quod tu ita seriò quæris, *an magnum illi videatur, quòd Legatus Regius leuiter percussus sit virgâ Sacerdotali, non ad dolorem vllum, sed sensum aliquem mysticum.* Ne metuas; vobis fortè hoc (quicquid id est) quantumuis leue, *magnum* videtur: nobis non *magnum*, quin perpusillum hoc quidem, atque adeo instar *nihili*, pro *tam longâ Apostasiâ*, *tam leuiter* corripi; nisi quia, *pro peccato magno paululùm supplicij satis est Patri.*

Quanquam Apologiam ibi nolo sic intelligas, quasi ex illâ *virga percussione* dolor magnus, vel *liuor*, vel *vibex* extiterint; aut quasi supra modum in pœnâ illâ *crudelis* Pontifex. Non ille quidem *crudelis* in eâ; *superbus* magis & *insolens*, qui Principem tantum in Legati sui personâ tàm *indignis modis* tractauerit. *Dolor* fortè *minor*: *indignitas* verò in virgâ *non minor*, si eâ vel *leuiter attingas* modò, ingenuum quemuis, quàm si *cædas vel ad sanguinem*. *Ingenuum* dico *quemuis*: Quanto autem maior, si *tantum Regem* in Legato suo; siue Pontificem respicias, *insolentia* fuit, qui fecit; siue Regem, *indignitas*, qui passus hanc contumeliam. Nisi quòd Regem excusent turbæ domesticæ, quæ tum illi ita grauiter incubuerunt, vt necesse ei fuerit (cum *Carolo Magno, de quo antè*) ferre vix ferenda.

Insolens enim profectò hoc; non aliam *Regi pœnitentiam* comminisci posse, quàm *virgarum*; atque adeo audeo dicere, insolitum Apostolis quidem, quos *virgis* aliquando *cæsos*: *virgis* autem vel Reges vel Regum Legatos *cædere*, vix vnquam legas. Quos, qui *Apostolis* scilicet *succedunt*, seriò cædunt, cùm datur; cùm non datur, *Ceremoniâ* contenti sunt: quâ tamen sciant, quid *meriti*, addo etiam, quid & *passuri seriò*, nec *alieno humero*, sed *suo tergo*, si *adessent* Clementi iam *vires*, quæ Alexandro tum adfuerunt. Non aderant; venia ergo data est; & iam in *Legatis* absentes vapulant.

Quid si autem (inquis) *vidisset Theodosium?* Quid si? Non vidisset in eo *ludibrium*, vidisset *vim veræ pœnitentiæ*. Neque verò *Liga* illi tum *vlla* imminebat; non vrbes occupatæ, non acies in procinctu; quicquid ab eo factum, vltrò factum, *vltro* & *sponte purâ*. Non contra illum *Ambrosius legiones* conscripserat, non *Cardinales* aut *Iesuitas* immiserat in *vrbem Regni caput*, ne illa *Imperatorem suum* reciperet; non *amittendi Imperij metus* vllus *Theodosio*. Vidisset verò, non *Legatum* aliquem, sed *ipsum Theodosium*, in causâ suâ, nec *cæremonijs* ludentem, sed seriò rem agentem, nec *alterius humerum* pro eo leuiter, sed ipsius *frontem à seipso* grauiter percussam; vidisset *Significatum ipsum*, doloris vim veram, non *theatricam* quandam & *iocularem vmbram Significationis sine Significato*: vidisset hæc, & cum *Theodosij lacrymis*, *suas*, credo, miscuisset. At *Significationem* illam vestram (si vera narrant qui interfuerunt) omnes ibi tum siccis oculis inspectabant. *Ludicra* enim erat, & ad pompam: vt mirari subeat, quid tibi in mentem venerit, quòd ausus conferre cum illâ *Theodosij*. Quid habet illi simile Scena vestra, in quâ nullus *capillus* euulsus, non vel vllâ *lacrymulâ madidum Pauimentum*. Profectò, si *secutus* in eo *Theodosium*, *longo* id *interuallo*; si imitatus illum, *Archetypum* suum, non satis ad viuum expressit.

Cùm verò *astitisse Regi Deum, vt pericula non pauca nec leuia fœliciter euaderet, & conatus* nescio quos commemoras *nefariorum hominum*, quos iam non timeat; atque hoc ex eo, quod *Legati* sui *humeros* Pōtificiæ *virgulæ* sic *supposuit*: omnino infœliciter huiusce rei mentio à te facta est. Námque hoc verbo expedijsti ipse *virgam*, eâque Pontificem ipsum, eiúsq; Emissarios

sarios Iesuitas non leuiter percussisti. Responde verò mihi; *Rex ille*, quâ fuerit tum in Deum religione, cùm sic astitit illi Deus, vt in tot prælijs *tam fortiter* pugnaret, *tam fœliciter* triumpharet. Ecquid non præsens Illi tum fuerit Deus? Ecquid non lateri Illius hæserit? An aut *pauca* tum aut *leuia* pericula euaserit? & an illa potiùs, non & *pauca* & *leuia*, iam fuerint (si tamen vlla fuerint) quæ exin euasit; præut illa fuerunt, quibus tum, missâ de cœlo manu liberauit Eum Deus? Responde etiam de *nefarijs* istis *hominibus* & *conatibus* eorū, qui pericula tum Illi, nec *pauca*, nec *leuia* creabant, quinam illi *nefarij* tandem? Annon de *Ligâ vestrâ sanctâ*? Annon vel *Iesuitæ*, vel *Iesuitâ aliquo pleni*, qui tum, nec *prælijs*, nec *prælis* Regi pepercerunt? Quorum Ille tamen *conatus*, & in acie *apertos*, & extra aciem *clandestinos* euasit; etiam tum, cùm *virgas vestras* contempsit. Responde & hoc; *Nefarius* ille *homo*, quis fuit vel vnde, qui nondum *percusso Legati humero*, *cultello* tum Ei in fauces inuolauit? *Nefarij* illi *qui genus*, *vnde homo*, quorum *Pyramidi* olim incisa præconia? Cuius etsi iam *lapides* amoliti estis, at *memoriam* non estis, non potestis, non magis quàm *cicatricem* de *vultu Regio*. Manet hæc in *vultu*, manebit illa in Historiâ, monumenta ambo *nefariorum hominum*, vestrâ de sectâ, quorum ab vno hoc exemplo, *conatus* Regibus *metuendi sunt*: Nam de *nostræ professionis* hominibus, nemo vnquam extitit, qui contra Illum vel manum leuârit; qui non Ei semper fidus astiterit; tantum abest, vt vel in *Caput* eius, vel in *Coronam*, eorum quisquam quicquam vnquam tentauerit. Ego verò, quâ sum in *Christos Domini Reges Christianos* omnes obseruantiâ & fide, supplex Deum veneror, vt pergat porrò *Regem illum ter Maximum*, à *conatibus nefariorum hominum* liberare, etiam vel qui de Sacerrimâ Sectâ sunt, quos ille semper *Authores* habuit *calamitatis suæ*: vtque Regi etiam magis illustret oculos, quo in penitissimos eorum *conatus*, acie suâ penetret, vbique gentium iam, (quàm latè patet *Europa*) suspectos; saltem, vt inter eos, quos fidos sibi semper sensit; eosque, quos sanguinem suum *hausisse aliquem*, *sitisse reliquum* non semel expertus est, *prudentia sua* putet esse, si prudenter sciat & maturè distinguere.

Fas verò mihi, non sine torturâ *Torti*, locum hunc conclu-

dere, atque illud dicere: *Astitisse Regi Deum* magis antè, quàm post *virgidemiam*. Pericula quoque tum & *plura*, & *grauiora* euasisse; quanquam quid *plura* dico, vel *grauiora?* quæ euasit *omnia*, *tum* euasit. Ab *illis* enim fuerunt *omnia*. Exin non *pauca*, non *leuia*, *nulla* enim euasit; nam *præter illos suos nefarios* infestum sensit *neminem*. *Nefarios* illos *homines* & *hostes suos* de Sectâ fuisse ad quam transijt: *nefarios illorum conatus omnes* tum *cùm Noster esset* fœliciter euasisse: Plures quidem illi tum dentes, nec *cultellum* tam *iugulo propinquum* fuisse: nec enim modò antè in bello *à Catholicis*, sed & in pace pòst, *inter Catholicos* suos periclitatum esse.

AT *in Reginâ* tu quidem totus euagaris, qui vbi de *timore* agitur *capitis*, Fortunarum, Imperij: stationem semper deseris, nec de eo vnquam dicere vis, sed ad alium semper delaberis, *timorem Iudicij Diuini*, *de quo* hîc non quæritur. Dic *de illo* cùm erit dicendi locus: dic de *tribus capellis hic*: An scilicet *causa Reginæ vlla* fuerit, vt *vitæ* suæ, vt *Coronæ*, à Pontifice metueret. A *Pontifice*, qui illâ Diris omnibus *deuouit*; qui Regna eius *prædæ exposuit*, qui subditis *facem prætulit* ad seditionem; qui *Calices Sacros*, qui *vestes ipsas suas oppignorare*; qui ipsis *in castris* (*silicernium iam*) *militare* voluit, potiùs quàm vt *Illam Regno* non deturbaret; qui *Signis* suis, & Legionibus *Hiberniam* inuasit, qui cùm infœliciter ibi rem gessisset, illud ipsum *Hiberniæ* Regnum, iusque eius *transcripsit in Hispanum*. A *Pontifice*, quo conscio, *Percussor* huc immissus à Cardinale *Comensi*: Dic an inter tot illas, nulla Ei *causa* fuerit, *cur* ab illo *metueret*. Mitte verò *animam*; Dies nondum est: *noli ante Diem iudicare*: noli te in Abyssum demergere Iudiciorum Dei. Nam, quam tu *fidem Deo datam* dicis, *de fide Catholicâ seruandâ*, nulla violauit; seruauit *fidem*, à fæcibus vestris *puram seruauit*: vtque *Deo Illa*, ita *Deus Illi*, & *fidem seruauit*; & fecit, vt *data Ei fides* à subditis suis in finem vsque inuiolata seruaretur; quantumuis sæpe tentata à Iesuitis vestris, an posset labefactari. Nec vllus Christiani orbis Princeps magis, (absit verbo inuidia,) nullus æquè propitium sibi Numen sensit in Regno suo, vt Illa, si *Regni fælicitatem* spectes, beata certè Regina.

Diceres verò de *Seditioso* illo *Alani* libello, quo tuetur bonus subditus, bonus Catholicus, *Reginæ, vt omnia Acta Iudicialia*

cialia seu Processus omnes Iuridicos, (ex quo publicata eius Excommunicatio) Diuino atque Humano iure prorsus irritos fuisse, atq; nullos: ita nec Bellum per Eam licitè, quamuis iustissimâ de causâ, vel indici potuisse, vel geri. Primam enim illam conditionem esse in Bello legitimo, vt indici debeat ab ijs, quibus Suprema est, atque iusta authoritas indicendi: quam Illa iam Excommunicata non habet; præsertim cùm præter Excommunicationem, Deposita quoq; sit de Dignitate Regiâ, à Vicario CHRISTI, *cuius est in terris potestas Summa: subditiq; eius non solùm soluti à fidelitate omni, iuramento, obseruantiâ, obedientiâ; sed eis expreßè etiam interdictum, ne vel seruiant vel obsequantur, Personæ eniquam, ita Canonicè damnatæ. Absque culpâ omni potuisse Dauidem à Saule deficere; potuisse Duces Saulis, quæ Regis erant omnia, Dauidi tradere. Nec modò licitam fuisse rebellionem Idumeæ, quam priùs sibi subiecerat Rex Iehoram: sed & Libnam vrbē propriam & suam iustè desciscere ab eo, & in hostiles manus sese in perpetuum tradere potuisse.* Quorsum verò hæc, nisi vt doceat *fas* cuiquam esse (quid dixi *fas?*) id cuique *incumbere* iam, posse & debere, & ad illud, tum *officij*, tum *conscientiæ* nexu quemque obligatum esse, vt *diripiant* Eius omnia, & *hostibus tradant:* Rapere, Clepere, quæ Eius flagitium nullum esse. Hæc illius ibi *consilia:* & *mendacia tua*, si negas *consilia illius* fuisse. *Alani theoremata* hæc non potuisti, maluisti *pessimum* illud, & *turpissimum Stanlei facinus* tueri; sed vt decet *proditionem*, *mendacio*. Non enim abstulerunt *Angli ab Hispano Dauentriam*; sed inter *vrbes alias*, quas tum Regina *Cautionis loco* habuit, ab *Ordinibus Belgicis* acceperunt. Ea *boni custodis Stanlei* fidei concredita est. Is, si *Catholicus* prodire repentè voluit, redderet *depositum* suum, Ei redderet à *quâ* acceperat, *quæ* illam *fide optimâ* acceperat, quò per eam caueret indemnitati suæ. Quid ad illum quis verus vrbis Dominus? Alia *Depositi* lex est, quàm vt sedeat quis iudex, de *alieno Deposito:* fidem *Depositario* liberaret, nec à facto tam fœdo, auspicia sumeret *religionis nouæ*; nec hijs primitijs *perfidiæ* & *proditionis Catholicissimum suum* consecraret. De cuius *Catholicâ fide* quid senserint, haud sanè scio; *de eâ fide*, quam Principi suæ datam violauit, videntur non admodum sensisse honorificè ad quos desciuit. Ecquid enim ex eo *fidei illius* con-

creditum est, ab illis, quorū causâ *fidem* sic fefellit? Non sanè; meritò autem illud. *Perfidia placuit, perfidus displicuit*, nec dignus ex eo vnquam est habitus, cuius *fidei* (quantumuis iam Catholicæ) vlla apud eos *Dauentria* crederetur. Sed ab hoc *Stanlei* facto, *iactura* aliqua, *timor* nullus; quare ad illud *Matthæus* diuertit: *timor* potiùs à *libro* illo *virulento*, quem *Matthæus* propterea planè prætermisit.

QVæ Regi causa fuit, vt sibi prospiceret, à *Bullis* prima fuit, quibus inclementer obnūtiatum est ei, à *Clemente* Papâ. Huic tu *Nodo*, *Canem* malè applicas; primò, non infuisse illis *vllius certæ Personæ aut Nominis designationem*. Non certè *Nomen* eius, connexis syllabis, sed *designatio* certa *Personæ*. Verba enim illa [*Quantumcunq; niteretur Propinquitate Sanguinis*] quis nescit quem *designarent*? Quis alius tum *Propinquitate Sanguinis nitebatur*? Eâdem operâ, Nomen inserere potuisset IACOBI *Scotorum Regis*, atque eo verborum circuitu describere, quem nôrant omnes, præter, supráque Mortales omnes niti *Proximâ, Maximâq; Sanguinis Propinquitate*. Vacaturo propedièm Regno, Catholicum potiri voluit *Clemens*, atq; vt *id populus curet scilicet*. Scribit Catholicis Anglis, *vt curent, Catholicus regno potiatur*. Quid si autem non *maximè Propinquus* Sanguine? Quid si Hæreditarium illi Regnandi *Ius nullum*? *Curent* tamen *Catholici* (dum Catholicus sit) *vt Regno potiatur*. Quò ergo Sanguis, vel Semē Regium? Quò Vis & Iura Successionis? Quid iuuat Hæredem esse? Videtis quænam *Romæ* consilia coquat Pontifex, quàm infesta Regibus, quàm turbulenta. Laudat tamen consilium hoc *Tortus* dicítque, *nullum eo magis salutare, magis Christianum, magis pium vel vtile dari potuisse*. Nimirum, vt vbi Regnum vacat, *curent subditi*, ne proximus tum Hæres Regnum adeat; nisi cum parte vnâ populi sui, de Religione transigat: Curent, vt alius nullâ *Propinquitate* nixus, *potiatur Regno*, nullo iure Suo, dummodò Papam veneretur. Ilicet ergo, actum est: Regnorum Successio, *cura* iam *populi*: & ad hoc conclamat *Pontifex*, & *Tortus* laudat, & *Salutare* dicit consilium hoc tam *perditum*; *Christianum*, quale nec *inter Gentes* nominatum. Quas verò per *Europam* turbas dabit, si quæ ab antiquo Stemmate pendet Successio, ea iam *ad popularem curam* transferatur? Quid proximum

huic,

huic, *curent ne potiantur*; nisi illud, *curent, si potiti, ne diu potiantur. Catisbeij* consequentia.

Quodsi *populo cura* nulla, vt constet Regi ius suum, excidétne Iure omni? Quidni? Neque miseret quicquam? Cur misereat? *Ipse in causâ erat:* penes *Ipsum* culpa omnis, iacturam Suam *Sibi* acceptam ferat: *Nemo læditur nisi à seipso.* En iam vt cohæreant hæc. *Non nominauit:* Nec opus erat; ita *designauit*, cuiuis vt in procliui sit, *celato nomine, de quo fabula narretur. Populo* dein *mandat* quòd *curatum* vult *ne potiatur regno.* Postremò inclementer dicit, *totius mali causam* à nullo prætérquàm *à seipso*; *si exclusus, ipse in causâ erat.* Quomodò in causâ? Quid tandem peccauit? *spem fecit Pontifici* & fefellit. Non fecit Ipse: vel *Ipse* vel *ministri Eius.* Ministri verò; Et an ea Papalis iustitia *visitandi iniquitatem seruorum in Dominos*, plectendi *Reges*, si *Ministri* delirârunt? An cuiquam incumbet *præstare culpam non suam?* Nec id quidem dicit, sed, *vel Rex in causâ, vel certè eius administri reprehendi debent. Debent* fortè *reprehendi; reprehendantur* ergo, siquid tale promiserint, Rex *in causâ ne sit*; Quam nunquam meritus, *reprehensione* careat. Sed huc res redit. Propter malos *ministros* obnunciauit Regi Pontifex. Atque ita *qui* animum gerit, *qui Sanguinis Ius* nihili facit, *qui populo ius facit* Hæredes iustos excludendi, *qui* vbi minister in culpâ, cudit in Regem, annon *Hic Niger*, annon Regi *timendus* & cauendus, ac bonis omnibus?

DEscēdit pòst, in *pulucrem Pulueraria Proditionis*, sed in Nomine *Mendacij, Calumniæ*, & *Impudentiæ*: ita enim sua ferè auspicari solet. *Pontificē* negat *maculæ vllius suspicione aspersum.* Non *suspicione*? Atqui, crimen cuius tot Iesuitæ participes, *biennio toto* non celatum à Patre *Claudio* Generali, & per eum suboluisse Pontifici, iure *suspicetur* quispiam. Atqui, non alio fundamento nixa est tota hæc proditio, quàm Breuibus Pontificijs, à quibus æterna ei macula, ab illâ nempe clausulâ, *Curarent Catholici ne Regno potiretur.* Cùm Coniurati è Breuibus illis, mentem Pontificis interpretati, non obscurè affirmarent, Pontificem, *cùm curare vellet Catholicos, ne regno potiretur*, eâdem operâ voluisse curare illos, *ne diu potiretur: Si exclusum cupiebat, extrusum* etiam *cupere.* Sed & in

eo

eo suspicio non leuis, quòd neque reformidabant in eo conscientiam Papæ: Missus enim *Romam*, qui totam Ei rem enarraret; sed ita missus, ne priùs eò, rei *conficiendæ*, quàm *confectæ* iam notitia perueniret.

Ad Iesuitas venio. *Garnettus* (vt ais) *constanter affirmauit, in eo scelere, non se, non vllum Iesuitam, vel consultorem, vel consentientem vllo modo fuisse*. De *Garnetto* mox. *Non vllum Iesuitam? Non vllo modo?* vide, *quâ fide*. Quid ergo sibi volebat, vox illa illius, ad primum nuncium detecti iam facinoris: *At at! actum ergo de Societate totâ?* Quid illa, quâ sæpe vsus apud D D. Delegatos Regios, qui quæstioni præerant? *Ne, quicquid se fieret, vnius ob noxam, Societas tota petore apud eos existimatione foret?* Quid illa, cùm excusaret se illis, quòd ita piger esset ad ea confitenda, quæ illum conscium arguebant, & quæ *Delegatis* tamen nota satis: *Eò se inuitum magis ad confitendum accessisse, ne Societas ex facto suo malè audiret, aut incurreret in reprehensiones hominum?* Extant Reorum apud Acta publica spontaneæ confessiones; nec ipsi Rei pòst, vel in *iudicio*, vel in vltimo *supplicio* negabant, Iesuitas, & *Consultores*, & *Consentientes* fuisse.

Iesuita vnus *Tesmundus* quidam, ad quem remissus *Batesius*, postquam ascitus est in numerum proditorum; cui ille *in confessione suâ* rem totam aperuit. Is *Batesio* persuasit, nec *periculum* ibi, nec *peccatum* subesse, rem *licitam* esse, & magno bono futuram; animúmque eius ad facinus *firmauit, firmando* Eucharistiam dedit. Hæc ille, *Batesio* rem confitente; nec *consultor* tamen fuit, nec vllo modo *consensit* in scelus?

Iesuita alter *Gerardus*, *conscius* fuit, *consentiens* & *consultor*, qui vno eodémque tempore *quinque simul* viris, de conspiratorum numero, *iuramentum taciturnitatis* detulit, quòd *per Sacram Trinitatem, pérque quod tum sumpturi erant Sacramentum; nec reuelarent rem illam eorum tum fidei commendandam, nec nisi veniâ à reliquis datâ, vnquam ab executione desisterent*; Iuramentum pòst, datâ illis *Eucharistiâ* obsignauit. Ille quidem, credo, *consensit* saltem.

Iesuita tertius *Oldcornus*, *detectâ* demum *Coniuratione*, quasi *bonum factum* defendit; nec quia successu caruit, ideo non laudandum; cùm & *vndecim Tribus* iussu Dei ipsius contra *Ben-*

iam in

iamiis pugnantes, *bis profligatæ* sint: cùm & *Ludouici* Galliæ *Actio.p.86.131*
Regis in *Terrâ Sanctâ* recuperandâ; & Christianorum *in Rhodo retinendâ* sanctum fuerit institutum, nec euentus tamen respondetit. Puto *consentire* in scelus, qui *defendit*, & *laudat*.

Quanquam quid istis immoror? Vno enim hoc, *Tortus manifestò opprimitur. Is ipse*, à quo rem totam, resque partes singulas resciuit *Garnettus*, à quo omnia *speciatim* audiuit, *is* *Actio.p.102.*
ipse annon Iesuita? Et tu tamen negas, aut negat ille, *vllum Iesuitam vllo modo*, illius conspirationis, *complicem* vel *conscium* fuisse? O vos verecundos, ô veraces homines!

Æquè verum, nec *Garnettum, vllo modo Authorem fuisse*. Ille verò Authori ipsi *Catisbeio* Author fuit: Bis Author; *Primò* cùm *Breuia* illa *Clementis* cum eo communicauit: pessimo consilio id; nam conspectis illis semel, *fundauit se statim Catisbeius, atque super illis, omnes intentiones suas exædificabit*: Verba *Garnetti* sunt. Audi enim, quale Dux inde Sceleris argumentum duxerit. *Quem reÿcere tum licuit, eÿcere iam licet. Æquè licet curare iam, ne pergat potiri, atque tum ne potiretur Rex. Curare nos Catholicos hoc voluit* Clemens. Age, *ea mihi res curæ iam erit*. Ita omne malum à Breuibus, Breuia à Pontifice; Verè vt ouum ipsum à Basilisco hoc exclusum fuerit. Cùm incubaret pòst huic Basilisci ouo *Catisbeius*, ac multa secum versaret animo, de modo *curandi ne diù potiretur Rex*: venit illi in mentem inter alia, *de Puluere*. Hæsit aliquantisper animi anceps; cùm videret, id sine suorum etiam magnâ strage, perfici non posse. Etiam vel *illi* bipedum nequissimo, tam *horrendum, informe* id scelus visum est, vt principio nec tentandum existimaret. Substitit ergo paulisper; at cùm collegisset se, placuit eâ de re Patris *Garnetti* oraculum consulere. Hic iam *Secundò*, & Author, & Consultor est. *Apud Acta.*

Adit ergo *Garnettum* rectâ; quem de consilio suo *bis* conuenit, *Semel* in ædibus vbi latitabat. Adit autem non solus, *Actio.p.79.*
sed vnà cum eo *Grenwellus* (Is *Tesmundus* est Iesuita, sed æquiuoco hoc *Grenwelli* nomine magis hic notus, quàm vero, atq; *eo* dehinc nobis nominandus,) & [c] ipse Conscius & Con- *c Autogr. Apr 4*
sultor, Ambo, *vt in suscepto scelere confirmarentur*. Quærunt: *Casúne aliquo fas esset, insontes vnà cum sontibus interneciogi dare?* Ibi *Garnettus* fassus, *perculsum se quæstione*

 illâ,

illâ, & in suspicionem statim venisse (id quod rês erat) magnum aliquod maleficium meditari *Catisbeium*. Sed, respondit tamen, homo pius, & qui *nullius in morte se miscere voluit, Quidni? Si tantum ex eâ re boni proventurum esset, quantum, aliquot insontum necem compensare posset.* Nec semel hoc: alio
Autogr. Ap. 11. etiam id tempore factum est, in *Campis Suburbanis*, quibus à *Palude* nomen est; vbi, cum eâdem de re pleniùs cum adhuc consuluisset, pleniùs ei *Garnettus* per omnia satisfecit: *Posse & licere cum noxijs innoxios sufflari*, & *magni meriti rem fore, si id magnò alicui bono Catholicis futurum esset.* Atque eo responso sub, eos animos *Catisbeio* addidit, vt nihil ampliùs deliberaret vnquam, sed ferretur pòst totus ad Facinus. Quòd siqui, postea *inhorruerunt* ad Scelus tantum, (& quisque ferè primo auditu *inhorruit*) statim illi in promptu responsio; Constare verò sibi Authoritate optumâ rem licitam esse; constare autem *Authore* Patre *Garnetto*, cuius sibi *vox* esset pro *Oraculo*. Nec quisquam pòst in societatem Sceleris ascitus, nisi illo quasi authoramento. Eo enim responso adducti *Winterus, Rookwodus*, reliqui, *Incendiarius* ipse denique *Fauxius*, alioquin hæsitantes, animos sumpserunt ad Scelus. Pater enim *Garnettus* Consultor fuit.

Vide verò an credibile sit, *Garnettum*, qui cum ijsdem ipsis
Actio p. 86. hominibus *Catisbeio, Wintero, Grenwello*, non ita multò antè in
Apud Acta. *vnâ*, atque *alterâ Coniuratione* fuerat, (*vnâ*, paulò antè obitum Reginæ Rege Regnum ineunte, *alterâ*) de Regis *Hispani* Copijs ad *inuasionem* huc adubcandis; cum *tertiâ* hâc iam exclusum penitùs fuisse. Vide an & illud credibile, cùm
Actio p. 130. *vix vnquam à latere eius* Catisbeius *discederet*, semper autem remotis arbitris rem suam agerent; quòd, (vt scripto habetur illius) *haud vnquam libenter ferret rem sibi vllam esse cum* Catisbeio *nisi soli cum solo*: eum, *quæstione* hâc nunquam nisi *in thesi* pertentatum fuisse. Esto tamen, *vna hæc quæstio fuerit*; Ex eâ *quæstione* nihilne subodoratus est *Garnettus*? adeone *obtusum pectus gestabat*? Imò vel ex ipsâ illâ *quæstione*, subolere sibi tum aiebat, moliri nescio quid *Catisbeium*, vnde multorum neces, nocentum, innocentum consequi oporteret. Venit ergo vel inde in *cognitionem generalem*, & quanta sat erat *Reo constituendo*. Verba ipsius in vltimo supplicio, hæc.

Catis-

A Catisbeio se, rem in genere intellexisse, & in hoc peccâsse, quod celâsset & prauertere neglexisset. Tum etiam, *Quod, quæ sibi comperta, Regiæ Maiestati non aperuisset, mortis sententiam iustissimè in se pronunciatam.* Extra confessionem ergo *Sacramentalem*, *Generatim* rem cognouit. Negat *Tortus*; Fatetur *Garnettus*, Cui credimus? *Actio in Supplicio.p.2.* *Ibid.p.3.*

Debebat verò, cùm sic *in Genere* cognitionem habuit, eius, & vt *in Specie* cognitionem haberet, operam omnem dare; si (vt aïs) *operam omnem dedit vt à Conspiratione desisti posset.* Poterat autem id, non dico, si *operam* dedisset, sed si vel *sine operâ* vllâ suâ audire rem modò voluisset. Per *seipsum* enim stetisse, quò minùs *Speciatim* cognosceret, & *id quoque recognôuit.* Cùm enim, aliquantò pòst cum *Catisbeio* ageret, ne in suo illo (quicquid id erat) Incepto progredi vellet, nisi Pontificis animo priùs explorato: *Mitte verò de Pontifice, (ait Catisbeius) de illius enim animo mihi dubium non est, atque adeo, tute ipse si audire vis, rem ipsam sane scias; & eo dicto cœpit ei rem totam pandere.* Ibi verò instare *Garnettus* ne faceret: non enim adduci posse se, vt audiat. Cur verò, rem *cùm posset* tum, rescire *noluit?* Quæ potest reddi ratio, nisi quòd *Noluit intelligere ut benè ageret?* Voluit *nescire*, quia noluit *impedire?* Frustrà ergo à te dictum ec fallò; *dedit omnem operam, ut à tali conspiratione desisteretur.* Si *dedisset, audisset, damnâsset, auerruncâsset.* Iam res ipsa loquitur: *Ignorare* maluit, quàm *auertere.* *Actio.p.128.* *Actio.p.100.*

Sed dic, etiam: *deditne omnem operam vt desisteretur? Quam* verò? *Romam* scripsit ad Patrem Generalem quò is curaret scilicet Coniurationem *Pontificis Breui* aliquo *præueniri.* Ridiculum; *Romam* scribere, vt inde hùc *Româ* rescriberetur, quo se hîc Catholici continerent; quorsum ambages hæ? cur compendium non fecit itineris huius, *hinc Romam, Româ huc* denuo? cur idem hoc vnâ operâ, cùm *Superior* ipse esset, *domi hîc cùm suis* conficere non potuit? Quando autem *Romam* sic scripsit? *Non priùs hoc, quàm id illi compertum, confectam iri rem, antequàm is, quem misit, nuncius Romam peruenire posset.* Verùm egit cum *Grenwello*, vt cum *Catisbeio* ageret, quò vellet *desistere.* Cur verò rem reiecit in *Grenwelum?* Cur ipse cum *Catisbeio* non egit? Acturus erat scilicet. Quando autem? Nimirum, *sexto demum Nouembris*, po- *Actio.p.99.* *Actio.p.127.* *Actio.p.128.*

stridiè eius diei qui *Sceleri designatus:* Cùm peracta iam res, *omnem operam daturus*, nè peragi posset. Qui per *sex menses* operam nullam dederat, qui nullam; *decimo* antè *die* cùm ab Vrbe discederet; postridiè Diei *fatalis omnem operam daturus* erat. Sed nòn antè. Sed *Grenwello* monente *Catisbeius* an desititit? Imò *Grenwellus* ipse an destitit? Imò, perstitit homo nequam, ac *reuelatâ* tandem *proditione*, huc illuc circumcursitauit, vt concitaret Papistas quoscunque poterat, ad arma contra Regem palàm capienda. Et hoccine erat hominis, alios ex Superioris sui iussu, *ab incepto reuocantis?* Quis credat *Grenwellum* Superiori suo tam immorigerum fuisse? *Grenwellum*, qui *Contritus* erat; qui *Confessus* de Scelere, qui & *Absolutus* à *Garnetto*, nec aliâ lege; quàm vt desisteret: *non tamen destitisse*? perstitisse in scelere, alios vt persisterent animâsse, *Incendiarium animorum* præstitisse se, *Incendiario Pulueris* tum comprehenso? Verùm *Garnettus*, si *desisti*, vt dicis; *voluit*; *atque vt posset*, *omnem operam dedit*; quorsum *Vota Precésque* assiduè fecit; assiduè *Missificauit*, pro fœlici fortunatóque *illius Actionis* successu? Ecquis pro eo Orat, prò eo Offert, quod factum nollet, à quo vellet *desisti*? Cùmq; illud Iesuitis in more positum; vt *Missæ* quædam subinde, atque *Oratiunculæ speciales* fiant, pro impetrandâ re aliquâ, quæ soli Patri Generali cognita: cur eo ipso tempore à *Patre* ipso *Generali*, *exijt Edictum* vt *Missæ* illæ omnes, & *Orationes* iam, ex *voto & sententiâ* Patris *Garnetti* fierent, *& pro successu eius rei*, quæ tum illi pre manibus, quæq; magno bono futura erat toti huic rei Catholicæ?

Actio. p. 16.

Actio. 127.

Actio. 111.

Apud Acta.

Quod si ita, vt ais, *detestatus est facinus*, quid *Conghtonæ* egit *inter facinorosos* eo ipso tempore, quo *ignem pulueri admotum* oportuit? Cur aliò, se non recepit? Cur eò? *Conghtonam*, inquam, qui *locus condictus* erat, quò Coniuratos omnes (si successu Scelus non cariusset) oportuit ad Eum conuolare? Cur *ibi* vix *quatriduum* antè designatum Sceleri diem, concionem habuit, in quâ hortatus auditores suos, sedulò orarent singuli, pro fausto eius actionis euentu, quæ tum erat in foribus? Quare, vbi detecta demum Coniuratio, literæ eò ad *Garnettũ* cùm omni festinatione transmissæ à Coniuratis, qui tum in Vrbe, perferente eas *Batesio*? Cur acceptis statim literis ijs erupit

Aurigr. Apr. 4.

erupit ei vox illa, *Scelus hoc detectum, Societati toti, exitio fore?* Cur communicato tum inter se consilio *Grenwellus* mox in *Walliam* festinauit, vt, quod *occultâ proditione* non poterant, *apertâ Seditione* effectum darent? ad eamque rem *Henlipa* in ædibus *Abingtoni, se à Patre Prouinciali Garnetto missum*, idque *ab eo in mandatis habere*, palam contestatus est? Hæccine erant hominis *vt desisteretur* ab incepto, *satagentis*? Actio. 129.

Nam *de Sacramentali Confessione*, quod ita *Tortus* vrget, vide quàm vacillet, nec *vera* fuit ibi Confessio: nec si *vera*, quicquam ad rem. Nihil autem hîc referam, quod *manu ipsius consignatum* non sit. An Confessio illa fuerit, *Garnettus* ipse mirificè *trepidauit*. Nam *primò*, non aliter innotuisse sibi quàm *in ipsâ Confessione*. Pòst, *extra Confessionem* quidem, sed *relatione aliquâ ad Confessionem* futuram habitâ. Tum, ne id quidem: sed *per viam Consultationis*, non *quasi culpam aliquam delatam* ad se, sed quasi rem aliunde cognitam. Tandem, seriò iussus respondere, id quod res erat, an reuerà *in Confessione* rem *primò* accepisset? *Respondeo* (inquit) *Inambulâsse nos, & Grenwellum enunciâsse mihi rem totam sub Sigillo maximo; quod ego, de Sigillo Confessionis accepi, quanquam Ille fortasse de minore aliquo intellexit.* Biduò pòst. *Quod ad ea quæ à Grenwello audiui, non possum pro certo affirmare, animum illi fuisse ea narrandi tanquam sub Confessione.* Potest verò & *audet affirmare* hæc *Tortus*, quæ *Garnettus* ipse non audet, *non potest pro certò affirmare*. Dicam autem vnde tanta hæc illius *trepidatio*. Initio confidentior erat; sciebat perijsse *Catisbeium*, superesse quidem *Grenwellum*, sed elapsum fugâ putabat; ita, nisi vnum illum, neminem iam esse in viuis *cognitionis suæ* conscium. Pòst verò, *Grenwellum* (per errorem) putabat comprehensum; metuebat autem, ne exiret per *Grenwellum* res, neue fateretur ille in Quæstione, de totâ re sermonem sibi fuisse cum *Garnetto*, idque *extra Confessionem*. Hinc ita fluctuabat miser. Res tota, in luce ponitur per *Garnetti* literas, ipsius manu scriptas *ad dilectissimos Patres suos & Fratres, datas, Dominicâ in ramis palmarum.* Literis verò illis purgabat ipse se *de duplici crimine*, quo (vt videtur) scandalo magno fuerat, *Patribus* illis *Fratribusque* suis: *vno*, quòd omnino fassus esset, *innotuisse sibi* Proditionis negotium: *altero*, quòd *Grenwellum* insuper de eo *accusâsset*.

Autogr.
Actio. Suppl. p. 2.
Autogr. Mar. 31
Autogr. Apr. 4.
Autogr. Apr. 6.

ſsſſet. Ad primum reſpondet: *Nam quid facerem? Primò accuſabant me reliqui omnes Coniurati; Secundò, Gatisbeius vſus ſemper apud eos fuerat Authoritate meâ, quâ adduxit penè omnes, vt benè ſentirent de Negotio: quò factum, vt ad vnum omnes me haberent pro Reo. Tertiò, Duo quidam Corycæi inaudierant me, cum Oldcorno colloquentem, atque totâ de re apud eum diſſerentem, quid ad obiecta ſingula reſponſurus eſſem. Quartò, Literæ etiam à me Aurantiarum ſucco ſcriptæ ad D.* Annam; *neſcio quomodò in illorum manus peruenerant, quibus ſcientiam meam non obſcurè confeſſus ſum.* Vides ergo *reſciuiſſe* rem; tum *in reprehenſiones* ſuorum *incurriſſe*, quòd hoc ipſum præ ſe tuliſſet; Literis verò hijs, *Patribus* ſuis, & *Fratribus* rationes idoneas *reddere*, cur de ſcientiâ ſuâ (quod *Patres illi* valdè optabant) *tergiuerſari* non poſſet.

Ad crimen alterum de accuſato *Grenwello*, ita ibi reſpondet: *Sibi quidem, ſi fugâ ſibi conſuluiſſet Grenwellus* (putabat enim tum captū & in Cuſtodiâ) *aliam aliquam rationem ineundam fuiſſe, atq;* (vt verbis ipſis ipſius vtar) fabulā *aliam* formalem *ſibi fuiſſe* fingendam. *Iam verò Ille cùm comprehenſus ſit, ita facto opus existimâſſe, vt offenſæ partem aliquam in Grenwellū reijceret, quòd, Fratrem ſuum pro charitate ſuâ fraternâ non agrè laturum ſperabat. Cùm enim rem ſcire me iam ſcirent omnes; alicunde petenda mihi fuit origo cognitionis meæ. A Conſpiratoribus Laicis non poterā, quod ſæpe illis dicto, ſcripto ſanctè proteſtatus eſſem, me illos non proditurum vnquam. Secundò, Multorum mihi Confeſſiones viſæ erant. Omnes autem illæ peræquè Grenwellum accuſabant atque me. Tertiò, Conſultum ergo putaui, vt faterer de Illo, quò & me ſimul atque illum excuſare poſſem; neutri* (ſcilicet) *noſtrum, conſilium illud placuiſſe.* Vides vt geſta fuerint hæc *ex compoſito*; vides, vnde *fabula* hæc noua de *Grenwello*, & ipſius Confeſsione. At hæc iam nulla fuiſſet, ſed *formalis* alia *fabula fingenda* ei fuerat, niſi, per errorem, *Grenwellum* putaſſet in vinculis eſſe, & valdè ſibi metuiſſet, ne *Grenwellus* confiteri *prior occuparet*, confeſsione aliquâ ſuâ *rem* (vt erat) *in aperto poneret*, atque ita duriùs *ſecum* ageretur. Hinc illæ eius fluctuationes; *Confeſſus eſt: Non eſt fortè confeſſus: Illi fortè animus non erat confitendi: Ego non auſim affirmare confeſsionem illam fuiſſe.*

Verùm, ſi vel *maximè* detur (quod tu *maximè* vis) *Confeſſionem*

nem fuisse *illam*, at non *aliâ lege* admisit eam *Garnettus* vel audire voluit, quàm vt ei integrum esset eam reuelare, si quæstio de eo vnquam haberetur; atque hoc præ se tulisse, teneri nolle se ad reticenda ea, quæ tum *Grenwellus* narrabat, apud Superiores suos, siquando eâ de re in quæstionem veniret. *Cautum* enim *hoc* à se, *scripto* eius habetur ad *Grenwellum* ipsum: atque ita, eâ *cautione*, *Sigilli* vim omnem eneruauit. Nam *liberum* illi enunciare rem omnem, qui ius sibi fecerat ac *libertatem* eius enunciandæ. *Autogr. ad D. Annam 3. Apr.* *Autogr. ad Patres Remiss.* *Autogr. ad Grenw. Apr. 4*

At *bona illa exhortatio* quam dicis *ab Vrbe tum transmissam, vt continerent se ab omni tumultu*, vetus ea *techna* est, *sæpè quidem detecta*, ac proin *semper suspecta*: vt non alio magis tempore scribant inde Pontifices in eum finem, quàm cùm maleficium maximè meditantur. Mulcere sic volunt *Argos* nostros, vt sibi ipsis dicant, *pax & tuta omnia*, quò sic *repentina clades irruat in eos*, nil tale suspicantes. Non erat certè, cur *Monitionem* illam nominares, quæ nobis *prænuncia* est *procellæ* certò tum semper imminentis. Quin & alia tum erat *Monitionis* huius ratio: Tam enim placuit, tàm certæ spei erat Negotium hoc de Puluere, vt nollent interturbari illud tumultu vllo, iuberent verò quiescere alios omnes, vt huic vni locus esset, in quo reposita illis spes omnis. *Act. p. 109.*

Videamus iam paucis de *Garnetto*, quidque ille in *Publico Iudicio* in rem vestram suamue dixerit. Fassus ibi primò, quod negare non potuit, *responsione suâ, de tollendis simul innoxijs cum noxijs, Catisbeio* consilium suum *confirmâsse*, *pro licito*, atque ita animos addidisse, authorémque fuisse sceleris adeundi: Ex eoque responso eius, fontem pòst extitisse malorum omnium: Quicquid inde extructum, hâc basi nixum: quisquis post pertractus in *Coniurationem*, hâc *Authoritate* pertractus est. *Fassus* etiam, se ex illâ *Catisbeij* quæstione suspicatum esse, *monstri quid alere Catisbeium*; ac in *Generalem* de facinore toto *notitiam*, *extra confessionem* venisse. Præterea cùm idem pòst *Catisbeius monstrum* illud suum *monstrare* ei, atque *rem totam speciatim enarrare* vellet, deprecatum esse se. Potuit autem, quod suspicatus erat, certò scire tum: nisi & ipse *monstrum* illud *ali* etiam, quàm *tolli* maluisset. *Fassus*, egisse cum *Catisbeio*, *ne Pontifice inconsulto procedere* vellet: *Ad quid* verò *Ibid.* *Act. p. 100.* *Ibid.*

pro-

procedere, nisi aliquid ei tum innotuisset? Actum etiam cum *Catisbeio de Pontificis* consensu *impetrando*. *Consensu* autem; *quam ad rem? Admodum se cautum fuisse semper, ne intentionem Coniuratorū, probari sibi quisquam eorum existimare posset.* Quam verò *intentionem? Missificâsse* pro *rei successu prospero* iam tum initio *Parlamenti* peragendæ. Atque hæc quidem omnia *extra Confessionem.* Scriptæ etiam ab eo tum *Garnetto* suo *Literæ*, in quibus spem bonam sibi dixit superesse, depulsurum se satis commodè accusationem de *Puluerariâ proditione*, atque euasurum, *eò quòd defecturi essent in probatione: In probatione*, dixit; non enim dicere potuit, *in rei veritate.* Agnosce autem has eius pro Tribunali voces, in Publico Iudicio. Confessionem: *Se plura admisisse, quàm quibus diluendis instam aliquam posset excusationem affingere.* Petitionem alio loco, quâ, læsæ Conscientiæ perfossus stimulo, *Deum & Regem supplex orat, ne cum Catholicorum reliquis suam vnius ob noxam asperiùs ageretur.* Votum etiam, ex abrupto, cùm commotus esset, (vt videtur) vehementiùs: *Vtinam verò Coniurationis huius fulminalis negotium; mihi haud vnquam innotuisset.* Credo *vel voces has*, votis quamuis auari hominis satis esse posse, vt doceant *Garnetti* ad facinus illud, notitiam atque consensum interuenisse.

Amogro. Margo.

Actio p. 86.

Actio p. 117

Actio p. 119.

Ibidem.

Instante autem pòst morte, narrat *Tortus* quid fecerit; *Longam orationem habuit*: Nec id verè: *non* enim sanè *longam. In eâ fidem Catholicam professus: & hæreses Anglicanas liberrimè detestatus est.* Neutrum verum. *Eâdem libertate negauit, se Authorem, Complicem, Consultorem, aut vllo modo Consentientem Sceleris fuisse:* Imò verò apertè fassus est, peccâsse se, bis peccâsse, *Rem enim in genere se à* Catisbeio *intellexisse, & in hoc peccâsse, quòd tum celauerit, tum præuertere neglexerit.* Cùm verò etiā tum subijcere vellet *Garnettus*, reliqua illa proditionis particularia, in confessione se à *Grenwello* habuisse, reuocabat illi in mentem *Henricus Montague*, Eques illustris, qui Ciuitati *Londinensi à Memoriâ* est, quiq; *autographum* eius tum penès se habebat *in promptu*, *Quatuor* ista. Primò, *Grenwellum illi rem significâsse, non vt peccatum, sed quam ipse priùs intellexerat, idq; consultandi gratiâ.* Secundò, *Catisbeium & Grenwellum, ipsum simul accessisse, vt in scelere suscepto confirmarentur.* Tertiò, *Grenwel-*

Actio Supplic. p. 2.

Ibidem.

Grenwellum atq. Ipsum, Colloquium de particularibus in Proditione illâ per Puluerem Fulminalem, satis longo pòst tempore in Essexiâ habuisse. Quartò, *Grenwellum percontatum esse à* Garnetto, *quis Regni Protector futurus esset*; Garnettumque *ei respondisse, id differendum esse, donec res esset acta & transacta. Ex* quatuor *hijs euinci, scelera illa aliunde quàm ex confessione, illi comperta fuisse: Hacque ipsa manu ipsius haberi consignata.* Ad ea Garnettus: *Quicquid sub manu suâ consignatum esset, verum esse.* Secundò autem, *Quòd, quæ sibi comperta, Regiæ Maiestati non aperuisset, mortis sententiam iustißimè in se* pronunciatam, *veniámque à Regiâ Maiestate precatus est.* Tertiò verò ad populum conuersus, iterum *se in Regem peccâsse* confitetur, *ídque sibi dolori esse, quòd malè conscius fuisset, scilicet reticendo; & eo nomine veniam à Regiâ Maiestate iterum supplex petijt.* Aduerte lector animum ad hæc; *Ter confessum videbis Peccâsse se, quod celâsset; Peccâsse etiam quòd præuertere neglexisset; Iustißimè se Capitis damnatum quod non aperuisset; Peccâsse quòd malè conscius fuisset, ídque reticendo; Ter peccati veniam petijsse.* Quin & apud Annam suam, (apud quam æquiuocè nunquam, candidè semper animum eloqui solebat, & in cuius sinu omnia deponere) per literas, quæ etiamnum extant, vicem suam doluit, *quòd non propter Religionem iam, sed Proditionem sibi tanquam Latroni moriendum esset.* Et tamen audet *Tortus contra conscientiam propriam, & contra testimonium multorum millium hominum, qui spectaculo interfuerunt, dicere, eum mortuum esse in abnegatione facinoris.* Quod ille Spectaculum cur *crudelissimum* dicat, ne ipse quidem, credo, dixerit. Nec enim in eo factum quod *ex legis sententiâ* fieri debuit: Nihil enim semiuiuus pertulit. Emortui cadauer dissectum modò: Hoc námque iure vtimur in eos qui proditionis damnati. Quæ verò hîc *crudelitas* fuit, cùm multò mitior fuerit pœna, quam Lex ipsa postulabat? Multò autem adhuc minùs *crudele spectaculum*, quàm quæ *Romæ* apud vos subinde conspiciuntur.

De *detestatione* quod dicis, verè quidem, Dixit enim, bis dixit: Semel, *Consilium sceleratum, & susceptum scelus fuisse immane, atque huiusmodi, vt si peractum fuisset, non potuisset ipse: non ex intimis sensibus totóque animo detestari.* Iterùm, *dolere se maximè & peracerbè ferre,* Catholicos *tam atrox & immane faci-*

nus vnquam suscepisse. Verè ego dixti, mortuus est in *detestatione* facinoris. At etiam cùm mutire vellet de *Confessione* nonnihil, admonitus de *autographo suo*, statim subticuit, nec *abnegauit* pòst quicquam. *Professio* autem *fidei*, quam dixti, *hæreseωs detestatio* haud vlla. Quicquid enim à *Detestatione Facinoris* reliquum erat temporis, id totum consumpsit, in *purgatione suâ, & fœmina cuiusdam, de quâ malè audiebat*. Atque hæc vera eorum Summa, quæ *instante morte* ab illius ore excepta sunt, eáque pòst *Edita*, dein *Versa in Latinum*, *Excusa Typis* extant. Alia si tu, si quisquam orbi venditet, scito non in *Authorem Apologiæ*, sed *in vos* quadrare *tuum* illud, *Tam stolida à vobis mendacia, sine vllo testimonio, vel probatione congeri, vt necesse sit, vos omnem omninò pudorem & conscientiam exuisse.*

Ex ijs, quæ iam dicta mihi, si nihil etiam quis addat, constat opinor, serò nimis te *Sigilli vestri* meminisse. Qui *Ternâ vice* confessus, *Peccâsse se quòd Facinus celâsset: Morte iustißimâ mulctatum, quòd non aperuisset: Peccâsse quòd malè conscius fuisset: Qui Ter huius admissi* veniam suppliciter rogauit; aliter rem certè resciuerat quàm *ex Confessione*. Nullum enim, quæ sic inaudiuit celare, *peccatum*, imò *peccatum* non celare, & *peccatum* apud vos graue. Non debuit *peccatum confiteri*, non *veniam petere* eius, in quo *non peccâsset*. Non *peccauit* Sigillum non violando, propter quod tu (*ob non violatum Sacramentum diuinum*) capiti eius Martyrij Coronam induis. Verùm erras, *Matthæe*, erras. Durum est contra stimulum calcare; læsa illi conscientia. Non de nihilo erat, quòd *Semel, Iterum, Tertiò peccâsse* se testatus, & *veniam orare*. Dictamen id erat conscientiæ: *Illâ accusante*, frustra defensionem paras, *Illâ veniam petente*, frustra Martyrem acclamas.

Conuictus ergo est in Publico Iudicio, *Confessus* in vltimo Supplicio, nec tu dehinc iam negabis: vt nec Bibliopola *Bernardus*, qui cùm perpotâsset alicubi ad vesperam, ausus in Præfatione suâ conscribellare, *Garnettum nescio qui, falso proditionis Anglicanæ rumore asperserant*; sumptâ, vt par erat, de liquidis similitudine. Scias verò tu, sciat & ille, vbi villum edormijt siccus iam & sobrius, non *falso* aliquo *rumore Garnettum*, sed veritatis voce & vi, Tabularum, Testium, Probationum luce, soliditate, pondere *conuictum*, ore proprio, manu propriâ

propriâ *confessum*. *Conuictum* autem & *confessum* coram *Consessu* Honorario, summâ hominum *Frequentiâ*, *Loco* non minùs Celebri, quàm *Camera* vestra *Imperialis*: vbi *rumori* locus non est.

Ibi *Actio* tum *in eo instituta*, in quâ, prolixè & diù, quamdiu quidem voluit ipse, causam dixit, si potuisset excutere aspergines illas. At ille, miser, non potuit. Non enim leuiter aspersus (natabant tum oculi *Bernardo*) sed penitus immersus Puteo ipsi Proditionis, Etiam Putei Profundo.

At de quibus sic dicit *Nescio qui*, homo stolidus sciat si volet, *Qui* & *Quanti* fuerint. Quinque enim Comites Illustrissimi, omnes Nobilitatis, Iustitiæ, Prudentiæ laude præstantes, Actioni præfuerunt: Qui & Assessores habebant, præter Vrbanum Prætorem, Primarios tres Regni Iudices, Iuris hîc nostri prudentissimos, coram quibus *Duodecimuirali inquisitione renunciatus* est *Reus*. Tam verò enucleata in eo fuit Eorum sententia, vt in *Comitijs* pôst *Regni*, & *Senatu*, quo Sol Illustriorem non aspicit, vim *Legis* acceperit.

Et iste tamen nescio quis, *Coloniensis* homo nihili, audet sic Iustitiam Regni Publicam traducere: Et *aspersum* modò dicere *rumore*, *à nescio quibus*: aspersus ipse, credo, tum, imò perfusus humore aliquo, vt verè tum quidem *nesciret qui*, etiam, audeo dicere, *nesciret quid* scriberet.

Quod si neque *conuictus* neque *confessus*, quare *capitis damnatus*? *Tantùm* inquis, quia *Sigillum illæsum seruare voluit confitentis*. Responde sodes. *Duo tantùm* erant conscij, *Titius* & *Titij Sodalis*: Is *qui*, Is *cui* confessus est. *Is qui* confessus, comprehensus non est, proripuit se in pedes, abijt, euasit. Ille ergo nullus reuelauit Quis iam reuelare alius potuit, quod sub Sigillo erat, nisi *Is cui* confessus erat: Is autem erat *Garnettus*, *Titius ipse*. Solue verò nodum hunc. Quî potuit mortem oppetere pro eo, quod *reuelatum non est*? Non est enim *reuelatum* nisi si ab *ipso* fuit. Nam *ab altero* non fuit: *tertius* autem præter *duos hos*, nemo resciuit rem. Sic ergo se veritas habet: Mortuus est, quia *Sigillum* fregit, quia *reuelauit*, & *vel te Iudice*, optimo iure mortuus, qui tantum in se scelus, & vix morte piandum admisit, vt *Sigillum violaret*. Dic verò *miram* illam *versutiam*. Mira e-

nim profectò erat, quá quis cognoscere potuit *de Confessione*, quam *solus Garnettus* audierat, *Garnetto* ipso *non reuelante*. Vides, quàm hæc à te posita, parum cautè. Verè enim omnino dictum ab Illustrissimo Comite, qui tum erat vnus in Consessu Iudicum; *Confessionis secretum, quod priùs detegere*
Act. p. 103. *noluit Garnettus in alienam perniciem, pòst detexisse in suam*: in eóque responsionem *friuolam & futilem* tum ab Illo, iam *à vobis* adhiberi. *Friuolum* enim & *futile*, siquis dicat, quod tu tamen vt dicas, necesse iam habes, *Garnettum, qui ipse reuelauit*, ideo capitis damnatum, *quia reuelare noluit*. *Reuelauit* enim ipse, nec alius præter eum quispiam, quod præter ipsum nemo si maximè vellet, potuit *reuelare*. Credo equidem subridere *Nostrates, qui apud vos sunt*, quod rem hanc ita sedulo agamus, vt constet conscium fuisse *Garnettum: quibus* ea res iamdudum notissima. Quin *Mulierculæ ipsæ* rem rescibant; &, *Quò tandem nos duos recipiemus interim, dum pertransierit procella hæc*, aiebat *Garnetto* suo, *Anna* sua? Ita *Garnettus* manu propriâ scripsit, ita videas licet in Ipsius *autographo*. An & *Domina Anna* confessionem Iesuitæ alicuius exceperat sub *Sigillo*, cui res ita perspecta? aut tu cuiquam vt persuadeas, quæ nec *Mulierculis ipsis* ignota erant; ea *Garnetto ipsi* nota non fuisse?

Sed & minuendus error est *de Sigillo: Catholica doctrina* (inquis) *non permittit ad vllum malum vitandum Secretum Confessionis detegi. Non permittit?* Quare *non?* Ne si *id permissum sit, odiosa fiat confessio. Odiosane?* Caue verò ne contrà *odiosa* magis fiat, si tegat, si foueat in sinu scelera talia, tam & *odiosa*, & perniciosa. *Odiosa* facta est olim & sublata sub *Nectario*, dum leuius multò scelus occultaret. Idem ipsum denuò ne contingat cauendum vobis: si non permittat *Catholica vestra doctrina, tam infandum Scelus*, (vt auerti possit maturè) in cognitionem venire. Non enim semel eâ de re *Garnetto* & *Grenwello*, quin nescio quàm sæpe, sermo illis fuerat. Nec hoc *Garnettus* negabat, sed quantumuis id sæpe factum, factum semper, sub *virtuali* nescio quâ ad *primam* illam *relatione*; eaque *relatio*, si vel *centies* de eâ egissent inter se, effe-
Autog. Apr. 11. cit, vt semper *scilicet* esset *Sacramenti Secretum*. Quodsi sic liceat inter se *Scelera* versare *Confessario* & *Confitenti*; vt, etsi

vera

vera tum *Confessio* nulla sit, tamen id satis sit, si *relatio* habeatur ad aliquam vel *antè factam* confessionem, vel *pòst faciendam*; quæ melior vsquam *Sceleri Latebra?* Cui enim id dicere non licebit; *Extra confessionem* rem audiui, & sæpe quidem: verùm *aliqua* tamen fuit inter nos *relatio* ad confessionem, vel aliquam quæ tum *antegressa*, vel saltem aliquam quæ *pòst aliquando, subsecutura* esset. *Apolog. Apr. 6.*

Sed *instas* tamen, *Nec permittit* (ais) hoc *Catholica doctrina*. Nusquámne gentium? In *Galliâ permittit* certè. Námque ibi cum è *Neustriâ* Vir Nobilis Fratri Minori confessus esset, aliquando in animo sibi fuisse, vt Regem *Franciscum* occideret, pœnituisse autem se illius consilij: cúmque datâ illi pœnitentiâ à *Fratre*, absolutus esset; *Frater* rem reticere noluit, Regi indicauit. Re ipsâ à Rege ad Senatum Parisiensem delatâ, quæstio de re totâ habita est. Reus comprehensus supplicio vltimo affectus est: *Fratri* autem intentata nec Censura, nec Lis vlla. Nec est quòd dicas, timuisse sibi *Senatum*, à *Rege*; proinde voluntati eius licet minùs iustæ, paruisse. Notum enim non cadere in *Senatum* illum suspicionem eam, vt cui non infrequens sit, missa ad se, vel *Edicta* ipsa *Regia*, nisi sibi probentur, sæpe non exequi. *Bodin. de repub. lib. 2. cap. 5.*

Nec id solùm, sed & è *Curiæ* etiam *Parisiensis* Archiuis constat, capite mulctatum etiam [a] *Dominum* de *Haulteuille*, cùm denuò conualuisset, postquam moribundus, in *Sacramento*, reuelâsset *Confessario* suo intentionem sibi aliquando fuisse *Regis* de medio tollendi. Eam tamen rem constat pòst à *Confessario* patefactam, fuisse *Domino* illi capitalem. *a Hist. de Paiu. pag. 307.*

Tum quod recenti adhuc memoriâ est, [b] *Petri* Barierij supplicium vltimum, qui *Meluni* fractus in Rotâ, sententiam in Eum ferente Hospitij Regij Præposito. Is *Lugduni*, *Fratri* cuidam *Iacobino* (cui nomen *Seraphino Banchi*) propositum suum de nece *Regiâ* procurandâ, *Sacramentaliter confessus est*; nec vt mentem mutaret, à *Fratre* illo adduci potuit. *Regis* ergo *Secretario*, *Seraphinus* rem refert: *Barierius* in Iudicio Publico damnatus, ad Supplicium tractus est. *Permittit* ergo, quæ in *Galliâ* est, *Catholica doctrina*, vt ad *Regis* internecionem deuitandam, *Sigillum resignare* liceat. Quidni idem hoc liceat in *Britanniâ* nostra? Saltem *Catholica* hæc *doctrina*, vbique non *b Hist. de Paiu. pag. 144.*

 valet,

valet, ac proinde neq; *Catholica* est. Verùm res tota in opinione est. Quidam *tetrici* magis sunt: nonnulli sunt *æquiores*, quibus totum hoc *reuelare, in casu* non displicet: aut vt fidem quis *Principi* & *Patriæ* maiorem debeat, quàm *Confitenti*. Vera quidem omninò fuit illa *Garnetti* vox, *Vltrò fateor, Leges quæ celare hæc prohibent apprimè esse iustas & salutares. Neque enim æquum est vt Principis salus ab alterius conscientiâ pendere debeat.*

Actio. p. 99.

Rectè verò tu; *Non permittit* dicis *Catholica doctrina, crimen vllum in Confessione reuelatum detegi.* Non iam fortè *permittit*, at *permisit* olim. Olim, quis nescit carmen —*Hæresis est crimen, quod nec confessio celat.*— Nec maior ratio certè est, cur non debeat celari *Hæresis*, quàm cur non *Proditio tam Immanis*. Sed olim *permisit Catholica doctrina*, in crimine quidem nondum *Commisso*, sed *Committendo*: præsertim (vt cum Scholâ loquar) *Si Inconueniens inde Graue sequeretur.* Sequebatur autem in vestro *Grauissimum*, & fuit illud inter *Committenda*. Sic olim [a] *Halensis noster*, ex quo scias quid hîc *Catholica doctrina* permiserit *apud Nos. Potest quis confiteri peccatum, non tamen vt præsens, sed potiùs vt est in proposito, de futuro*, vt cùm dicit se velle fornicari, & nolle desistere. *Dico ergo quòd non tenetur celare simpliciter, nec si Sacerdos talem Confessionem reuelaret, posset condemnari tanquam violator Sigilli confessionis: tamen quia hoc species esset mali, & infamia sequeretur, propter hoc credo, etsi non tenetur* de iure *talem confessionem occultare, debet tamen celare ratione publicæ honestatis,* nisi Inconueniens aliquod Graue sequeretur. *Tunc enim credo, quod non esset confessio talis penitus tacenda, nec tamen publicè reuelanda propter periculũ infamiæ, sed* cautè & secretò *alicui qui posset & vellet prodesse innotescenda.* Nec ea vnius *Halensis* mens, eadem & apud Italos vestros. Sic [b] *Angelus. Quando quis confitetur, se velle facere aliquod malum, istud* non est dictum in Pœnitentiali Foro, *& ideo propter rationem istius Sacramenti, non tenetur celare; sed quando peccatum committendum* vergeret in periculum Communitatis, *credo sine præiudicio, quòd* non solum potest, imò tenetur reuelare, *ei qui potest prodesse, & vult non obesse, vt malo obuietur.* Eadem [c] *Siluestri*, qui Magister fuit Palatij Papalis. *Licet* reuelare Secretum Confessionis, *si quis confitetur se velle facere aliquod malum, puta homicidium, quia istud* non est dictum in Pœnitẽtiali Foro.

a Part 4. Q. 28. memb. 2. art. 2. in respon.

b In Confess. vlt. num. 7.

c In Confess. 3. num. 2.

Quando

Quando autem peccatum committendum vergeret in damnum vel periculum Communitatis, *vel etiam priuatæ personæ* tertiæ, *non solùm* non tenetur celare, sed tenetur manifestare, *si id potest commodè sine damno suo, & cum proximi vtilitate & peccantis.* Ex *Panormitano* autem acerrimi iudicij viro, vnà scias, & quę apud illum Catholica doctrina tum fuerit hâc de re, & verò etiam quæ apud *Innocentium quartum* Pontificem maximum, cuius *Authoritati* quis *Tortus* opponet suam? Ita enim [a] *Panormitanus. Sed circa vltimam partem quæro. Quidam fuit confessus Sacerdoti, quòd intendebat interficere Sempronium, vel aliud maleficium committere, & non poterat abstinere; numquid Sacerdos peccet reuelando? Innocentius instat, & tandem concludit, Quod hoc peccatum* non dicitur detectum in Pœnitentiâ, *tum quia* non habet Contritionem, *tum quia* est peccatum Cōmittendum. *Vnde Sacerdos* debet, *quantum cautiùs potest*, reuelare, *vt peccatum impediatur.* Plures referre non libet, vnum modò adijciam [b] *Dominicum Sotum*, qui rigidior est in *Custodiâ Sigilli*, at ille tamen sic. *Veruntamen sunt qui fingunt se accedere ad Confessionem, & tamen non veniunt, quò* se accusent & remedium postulent *animæ suæ, sed vt Confessorem fortè peruertant, aut* fauorem aut auxilium *petant in perpetrandis flagitijs, vt temporibus nostris vsu venisse fertur quibusdam* qui in Pontificem conspirauerunt, *& huiusmodi peccata* celanda non sunt, *sed statim potiùs denuncianda, quod plurimùm timendum est in crimine hæresis.* Quod ante illum docuit *Innocentius, Non credimus istos confiteri vt Ministris Dei, qui non vt pœniteant, sed vt consilium vel auxilium ab aliquo recipiant, dicunt eis peccatum suum: licèt dicant, Hoc dico tibi in Confessione vel Pœnitentiâ. Quia non est verum quod dicit, in Pœnitentiâ nec vt Dei Ministro, cùm consilium animæ non requirat: Et tales benè sunt cogendi super præmissis ferre testimonium*

a Cap. Omnis de pœnit. & remiss. num. 24.

Hostiens. super 5° cap. omnis. Archid. de pœnit. d. 6. Anchor. super 5° cap. omnis. Ripa de remed. 38. Col. 2.

b De rat. deteg. Secret. memb 3. Q. 4 Conclus. 2.

In cap. omnis verbo Tradit.

Collige iam ista. Peccatum quod quis confitetur vt *Perpetrandum*, non spectat *ad Pœnitētiale Forum; non cadit sub Sigillo:* Hoc verò *Perpetrandum* tum fuit. Peccatum quod *vergit in periculum Communitatis*, celandum non est, sed reuelandum: vergebat hoc *in Periculum Maximum Communitatis Maximæ.* Peccatum de quo *non accusat se* Confitens, nec *animæ remedium quærit*, detegi potest. In hoc, *accusatio nulla.* Non ergò *Autogr. Mar. 31.*

in

in Pœnitentiâ dictum, vel *vt Dei Ministro.* Potuit ergo *cogi ad ferendum de re totâ testimonium.* Postremò, vna eadémque videtur ratio eorum, *qui in Pontificem conspirauerant*, atque *Horum*, nisi quòd interest multùm, & Grauior multo *Horum*, qui non in Regem solum, sed vnà cum Rege Sobolem Regiam, Sacrum Senatum, Cætum *tam immensum*, insontes *tam multos*, perniciem *tam tetram* machinati sunt. Præcipuè, si (vt *Sotus*) non eò venit, *quò se accuset* Confessor, sed vt *consilium petat vel auxilium.* Id quod in hoc factum. Non enim *eò venit* Grenwellus *quò se accusaret* (ait hoc *Garnettus) aut remedium postularet animæ suæ*; sed *consultandi* (id est) *consilij petendi* gratiâ: *Non vt crimen, quod reprehenderet,*
Actio. p. 110. *sed vt de exequendi ratione* Garnettus *ei*, *consilium adhiberet.* Quid enim illæ sibi quæstiones volebant, cùm sæpe pòst, *alter alteri* obuius esset? *Quomodo succedit? quos progressus habet Res Pulueraria?* Quid illa autem? *Sublato Rege, atque Ordinibus, quis Regni demum Protector futurus esset?* Vel vnica verò hæc *Grenwelli* quæstio, satis supérque est, ad *Laruam* huic *Confessioni* detrahendam; satis supérque vt ex eâ constet, quo animo *Grenwellus* ad *Confessionem* accesserit. Aduertit enim, scio, Lector, quæsiuisse hoc *Grenwellum* à *Garnetto*; *Grenwellum, qui ipse Garnetto rem omnem reuelauit*; *à Garnetto, qui tamen nisi reuelante Grenwello, rem planè nesciebat.* Cui verò hinc non liquet, *Garnettum*, ad quem non aliter peruênit res, quàm ex confessione *Grenwelli*, plus hîc sciſſe *Grenwello* ipso de *Protectore*, atq; multò, quàm is qui ei rem retulit, in Negotio toto peritiorem fuisse? Sed vos, an bonâ fide soletis quęstiones huiusmodi, *Succedítne? Progressus ne facit proditio? Quis futurus Regni Protector?* pœnitentes atque inter confitendum percontari ídque *sub Sigillo?* Malum verò *Sigillum*, & meritò comminuendum, quo hæc tam turpia *obsignantur.*

Sed &, qui in materiâ *Sigilli* Stoici sunt vel maximè, requirunt tamen, vt *Confessio ipsa Sacramentalis sit.* At fuerítne ista *Confessio:* aut *per viã:* aut *nec per viam Confessionis: Garnettus* ipse ad mortem vsque incertus. Tum & illud requirunt, vt verè sit *Accusatio:* Ita Sotus: Hæc vero *Accusatio* planè non fuit, quasi *peccatum* esset: sed *Consultatio* (teste vel *ipso*) putà, de *Nouo Protectore*, & alijs eiusdem generis. Postremò, vt maximè

fuerit

fuerit *Confeßio*, tamen eo vno excepto, vt ne prodat Confitentem, [a] *debet confeſſarius, cum maximâ diligentiâ præcauere pro Poſſe* ne peccatum perpetrandum *ſibi in confeßione detectum* opere perpetretur. [b] *Poteſt Superiori dicere*, Vigila, *quia Lupus eſt in Grege.* [c] *Debet monere eum, cui ea res curæ fuit, vt inuigilet*, & debet facere omnia quibus obuietur *delicto committendo.* [d] *Debet admonere Rempublicam, aut illum cui periculum imminet, vt caueant* tali horâ, *aut* tali loco. [e] *Debet occurrere* quantū poteſt; *Ciues ad cuſtodiam ciuitatis incitare, atque* omnia alia, *quæ ad obuiandum Proditioni facere conuenit.* Non enim alia Canonis cautio quàm hæc, [f] *Caueat ne reuelet Peccatorem. Cap. Omnis vtriuſq;*: non autem *Peccata*, ſi poteſt illa ſine *Peccatore.*

Iam verò veſter hic *Confeſſarius*, eſto, vt detur ei, reticere de perſonâ *Confitentis*; præcauítne rem, *pro poſſe ſuo cum maximâ diligentiâ?* Fecítne omnia, *ne perpetrari poſſet hoc Flagitium tam Atrox? Dixítne Superiori, Vigila? Admonuítne, vt caueret*, tali Horâ, tali Loco? *Excitauítne Ciues*, ac alia omnia fecit, *quæ ad obuiandum Proditioni tali, facere conueniebat*? Nihil horum. Imò ad horam mortis *in hoc peccaſſe* ſe faſſus eſt, *quòd præuertere neglexiſſet.* Quid ergo hijs vlteriùs immoramur? Quocunq; ſe vertat *Matthæus, Martyrem* ſuum Scelere plus magis inuoluit. Mortem pati debuit, potiùs quàm vt *Sigillum violaret: violauit*, eóque facto, factus eſt author mortis ſuæ. Poterat ſeuerè interdicere Confitenti, vt *deſiſteret ipſe, alios* à Scelere *reuocaret, ſub pœnâ reuelandi*, ni intra certum tempus id efficeret. Poterat credere Papæ *Innocentio*, & illæſo *Sigillo* Sacramenti ſui, Scelus adhuc *perpetrandum, vergens in Periculum Summum totius Reipublicæ, detegere.* Poterat vel *Soto* credere, & cùm non eſſet *Accuſatio* ibi vlla, tutò reuelare, atq; ita perniciem à Patriâ, *pœnam à ſeipſo Capitalem* auertere. Poterat ſubricere Confitentem, & de *Horâ* & *Loco* commonefacere *illorum aliquem, quibus periculum imminebat.* Nihil horum fecit; iuſta ergo illius percuſsio. *Piè* autem profectò *credere* non poteſtis coronandum illum à Deo propter Sacramentum diuinum *non violatum: Violauit* enim illud turpiter. Nec propter *fidei Catholicæ confeßionem*: Flagitiosè enim eius oblitus eſt. Sed neque *deteſtationem hæreſeon Proteſtantium*: Ita enim erat intentus *Charitati*, & purgandæ *Sorori mu-*

[a] *Medianil in 4m. Diſt. 21. A. 4. Q. 2. Biel in 4m. Diſt. 21.*
[b] *Bonauent in 4m. Diſt. 21. par. 2. Art 2. Q. 2.*
[c] *Nauarr. de Pœn. Diſtinct. 6. num. 124.*
[d] *Soto memb 3 Q. 4. Conclu. 2.*
[e] *Adrian de ſacra. Confeſſ. p. 77: col. 2.*
[f] *Suarez. Tom. 4. Diſ. 33.*

lieri, quam vbique secum circumduxit, vt *Fidei*, vt *Hæresis* mentio omnis ei penitus tum exciderit; Vt iam alia vobis merita quærenda sint ex thesauro Ecclesiæ & Societatis, quæ *Martyri* vestro applicetis, alioqui *Coronâ* suâ (vt *piè credi* potest) cariturо.

Postquam autem *Martyrium Garnetti* consummâsset: proximum erat, vt, qui se tum in pedes coniecerunt Iesuitæ, etiam *ex Congruo, pro Confessoribus* haberentur. *Persecutione* enim, illis *propter iustitiam* ingruente, *ex consilio Christi* fugerunt *de vnâ ciuitate in aliam*. Quis hæc sine stomacho legat? Ergo, cui non par fuit vnquam Nefaria Proditio, *Iustitia* iam est? Animaduersio in Proditores, *Persecutio?* Proditores iam *Noui Confessores? Christus* ipse fugæ Illis *consilium* dat? Christi *Vicarius* fugientes *excipit?* Imò *Conscientia* illis *Facinoris* illius nulla, non *Testium indicia* vlla: Mansissent ergo si *nulla*; cur fugerunt? Redirent verò iam cum *Muro suo Abaneo*; subirent examen legitimum; sentirent nec *Indicia*, nec *Testes* deesse probandæ de illis proditionis. *Testes* erunt, & *Indicia*, *Grenwellum* rem totam *Garnetto* partésque eius singulas *reuelâsse*: *Gerardum*, Proditoribus *iuramentum detulisse* de non desistendo; Missâ etiam & Sacramento obstrinxisse ad scelus: *Hamondum* Proditores omnes *absoluisse à scelere*, *& Reatu eius omni* etiam tum, cùm patefactâ proditione, in Seditionem apertam ruerent. *Conscientia* illis *cauterizata* fortè est, atque ita, vt tu dicis, *sine Conscientiâ* sunt; sed *Testium* satis erit, *Indiciorum* plusquam satis, si legitimâ Actione experiri volunt. Neq; verò fugerunt, nisi priùs omnia experti, an possent tubæ, & faces esse, Seditionis nouæ. An & id *consilium Christi?* Cùm frustra id tentâssent, bis iam Rei, receperunt se ad bonum illum *Hospitem suum* & (quales illi sunt) *Confessorum* omnium.

Quodsi Papæ *consuetudo non sit, vocandi in ius* vbi accusator abest, vel testes; ne faciat sanè: Tantùm expellat *à se*, faciat reuerti *ad suos*, vbi *extant Indicia* clara, vbi *Testes* omni exceptione maiores. Ne *afficiat* sanè *Supplicio*, sed *ne excipiat Hospitio*. Nam de Serenissimo *Archi-duce* quod subiungis, suauis homo es; scis *Baldwino* exceptionem esse *fori*. E *Venetâ* iam causâ, sat illi constat, Sacerdotes, præsertim verò *Iesuitas*, non conueniendos, nisi coram vel Pontifice, vel eius Delegato: Subditos Illos Ducum, Archi-ducum, Re-

gum

gum non esse, quin Papæ solius; absque eius voluntate, nihil de illis statui posse: voluntatem verò illius esse, vt de *Confessoribus suis* nemo pereat. Fallor autem, si non eadem hæc Regi responderit Legatus hic Serenissimi Archi-ducis, cùm ad iustitiam postularetur *Baldwinus: Iesuitam* esse *Baldwinum*, apud *Superiores suos conueniendum*: apud Archi-ducem enim *conueniri* non posse. Sed tu tamen multum hallucinaris; non inspexisti sanè, quæ nobis apud Acta sunt. Nominârunt verò, qui supplicio sic affecti, *Baldwinum* (atque fœdâ notâ notarunt) aliosque nonnullos, conscios, complices, consultores suos. Probari hæc contra absentes, scio, non probares; fac veniant modò; Abundè probatum erit, nec tu negabis: hic *Testes*, hic *Tabulæ* obsignatæ. Interim autem, dum probent innocentiam suam: exulent à vobis, à bonis omnibus: *Tortus* ne sit Patronus: Pontifex ne Fautor, Roma ne latebra sit tam perditorum ciuium. Hoc si faciat *sapientissimus ille tuus Princeps*, rem faciet se dignam; eluet maculam hanc omnem. Ni faciat, adhærebit illi, *suspicionis* nota non leuis: quod *factum* iam *nolle* dicit, *fieri voluisse*. Nec leuitas in *suspicando* vlla; ratio enim subest *suspicandi*, *fauere* illis, quos *fouet*; quos nec *iubet*, nec *sinit* causam dicere; nec *vocat* ipse, nec *remittit* in ius; quos secum retinet, in *conspectum* suum *venire* sinit, nec vel *abigit* saltem à se, qui famâ laborant, quòd in societate fuerint tam Nefandi Criminis. Tu, quantum voles *excusa* factum; quantum potes deprecare: Interest Pontificis, si Famæ suæ consultum vult, si Existimationi; Scandalum istud à se quàm primùm amoliri.

AD illud *Cardinalis*, *Cur solus Rex Angliæ timet*; *Quis vnquam alius*, *ex omni Christianorum Principum numero*, *aut timuit*, *aut timet præter eum*: respondit & *alios aliquando*, & *sæpe multos*, sibi à Pontifice *timendi causam* habuisse, etiam *timuisse*; nec ita esse affirmauit modò (quod *tu ferè facis*,) sed probauit affatim. Falsum ergò quod *non alius vnquam*: Falsum etiam quòd *Ille solus* timeat. *Non temerè* quidem *Noster*, *sic vt Illi*; non enim facere quæ *Illi* fecerunt, quæq; facere solent, qui *timent*: *Confugere* aliquò, *supplices esse*, aliorum operam *implorare*, *mittere* qui *intercedant*. Potuítne magis apposité? Quis vnquam alius timuit? *Alij multi*, *& sæpe*; Cur solus Rex timet? *Noster ne*

timet quidem. Vbi ergo hic *paradoxum?* Timuerunt illi, *Rex non timet*. Illi enim vexati bellis, ad extrema redacti, ab hoste fusi, à vicinis deserti, denique, ne suis quidem satis fidere, sed & ab illis sibi *timere: timuerunt* ergo, & iure quidem. Regis ea causa non est. Nihil horum. A bellis, pax; non hostis vllus ad portas; vicini omnes fœderati; Sui verò illum in oculis ferunt, in corde: simul, vt viuant, simul vt moriantur. Illi *timent*, Illum sibi plus *timere* vellent. Quàm dispar hîc causa? Quàm verò disparata hæc inter se? vt *Illi tum* quidem debuerint: *Rex iam noster* non debeat *timere?* Temerarij illi quidem fuissent, nisi *timuissent*, vt illorum res erant: Rex parum constans, si *timeat*. Sed neque, debet iam *timere* Rex vllus, (vt quod res est dicam.) Prælonga tum erant, præut nunc sunt Pontificis *cornua: execta* sunt, ex eo; quanquam etiam nunc *mutilâ fronte* minitetur. Verùm vix vlla iam Illi vis, à se. Quæ est à *Principibus* est; si potest classicum canere, atque committere illos inter se: aut etiam à *Plebe*, si commouere potest vt discessionem faciat, vel per Emissarios suos, ad atrox aliquod facinus præcipitem dare. Et annon magna *Pontifici* laus, quòd ita *Regibus*, & *Regnis terrori* sit, quasi *Demogorgon* aliquis, vt cui, potestas iam omnis ad *Destructionem* sit?

Quod si autem *locum illum* meliore oculo inspexeris, contendes ipse, falsum esse, quod ibi posuisti; nimirum *omnem* ibi à Rege *timorem* prorsus remoueri. *Panicum* ibi timorem negat emnci posse, non *omnem*: Est enim *Panicus*, qui sine causâ est vllâ, *attonitos* tamen homines reddit, atque, vt ibi est, *stupidos*: est *alter*, qui cautos modò & solertes, vbi causa tamen subsit. *Prior ille* est, qui (apud te) *degeneres animos* arguit: *Hic* verò etiam in *Generosos atque constantes* cadit. Ac vt *Leporinum* illum à Rege abesse scimus, quàm longissimè: ita hunc, plus magis augeri, summis in votis nobis est. Minor enim multo est, quàm aut vellemus, aut fortasse etiam expedit. Ex eo autem *timore* erat, quòd Regni Ordines, magis Illi *timentes*, quàm Ipse sibi, voluerint *Hircos* vestros & *Capras* noxias ab *Ouibus* separare; separare autem quasi Vocali Signo Iuramenti illius, quo Illis, cauerent omnes pòst occursare. Nec *trepidatum* tamen in eo est, sed & ad tempus interrupta atque dilata Comitia sunt: & cùm conuenissent

ſent denuo, *lentè* res acta, *diu*, *multúmque* deliberata, *serò* tandem *post Semestre*, concluſa. Maturâſſent magis, ſi magno illo, quem tu fingis, *timore* correptus Rex. Non fuit Illorum, qui *exterriti* eſſent, tam Elephantinis paſsibus incedere; Ceruinis pedibus proſilijſſent, ſi *timidi*. Nihil autem ibi *feſtinatum*: cura maior, vt *cautè*, quàm vt *properè* res ageretur. Quo in Iuramento, niſi oculus tibi malus fuiſſet, vidiſſes non *timorem* noſtrum, qui non alius erat, quàm debuit; ſed *dedecus* veſtrum vidiſſes, & æternum opprobrium Pontificis veſtri, contra quem, cauſa tam magna fuit, & tam iuſta *muniendi Reges*, *Subditos* iuramentis *conſtringendi*, ne violentiam inferrent in Perſonam Regis, neue *Coniurationes* inirent, in Salutem Reipublicæ. Vidiſſes hoc, & meritò correptus *pudore*, de *timore* tacuiſſes.

Quanquam videris & tu, qui ſic *paradoxa* venaris, vt hic te expedias, ne incurras Seruus in Dominum; cùm ille *nolit*, tu *iubeas* timere Regem; ille *ſi* timeat, *temerarium* dicat; tu *temerarium*, *niſi* timeat; ille *cauſam nullam* eſſe dicat, cur timeat; tu *cauſas magnas*, & graues; ille, *nullum* vnquam *è numero* Principum; tu, *tot magnos Imperatores*, *& Reges* extimuiſſe; ille, *Ne time*; temerè enim facias, *Conſtans* non eris, ſi quem *nemo* Princeps timuit, tu timeas: Tu, *Time verò*; *Multi* enim timuerunt, & *Magni*; vide, ne dum *Conſtantem* te videre vult Dominus meus, *Temerarium* faciat. Ita, ait *hic*, negat *ille*; iubet *alter*, *alter* vetat. Quis hos homines ſpiritus agitat, niſi *Contradictionis*? Quis hæc illorum conciliet? Et tu tamen *paradoxa* crepas? Paradoxum hoc quidem tuum eſt, à te poſitum, niſi ſit plus etiam quàm *paradoxum*, id eſt, *paralogum*: Contra enim rationem omnem, & vel ſenſum communem, ſimul quem *reprehendis*, quòd omninò *timeat*; eundem quòd *plus magis non timeat*, *reprehendere*.

TRanſit pòſt, ad *odioſam* illam, & *odioſè* poſitam à Cardinale, *Iuliani ſimilitudinem*. Primò verò, in *Rebus* dicit ſimilitudinis ſummam poſitam, non in *Perſonis*. Cur ergò ita crudè rem reliquit Cardinalis? Cur non præfatus deferre ſe *Perſonæ Regis*, nec ad eam trahi velle, quæ de *Iuliano* ſic diceret? Cur neque pòſt reſtrinxit ad *rem*? & duritiem exempli honeſtâ aliquâ deprecatione molliuit, ſed ſic, quaſi *dimiſſo* a-

culeo, statim *euolauit?* Denique cur non submisit *Alium*, cui plus cordis, minus oris, quàm *Torto*, qui nec *Personæ* parcit iam; qui quasi non satis iam esset per se, magis etiam adhuc *odiosam* reddidit? Ab vno hoc discat quiuis, quo animo sit in Reges Pontifex, cum suis Cardinalibus, qui sic immittunt *Scurras* suos, in Reges ipsos, & *ore spurco* liberè *grassari* sinunt, in eorum nomina; quibus, tempus erat, cùm Pontifices quoque ipsi *assurgebant*. Quid autem affert *bonus* iste *Christianus?* Primò *Iuliani* rem agit; patronum illi se præstat, & attollit *Apostatam*, vt *Regem tantum* deprimat. *Non est* (inquit) *verum, Iulianum Atheum* fuisse. Atque idem, credo, diceret Apostolo
a Ephes. 2. 12. *Paulo*, qui *Ephesios* idola multa colentes, dixit ἀθέους fuisse. Non est verum, *Paule*, *Atheos* esse *Ephesios*, *Polytheos* dicere debuisti. Atque hæc illius Auspicia sunt, vt mendacium impingat Apostolo, & Spiritum Sanctum loqui doceat.

At neque *Polytheus* erat *Iulianus*, sed planè *Atheus*, quamuis esset tum *Pontifex Maximus*, Nempe *Irrisor Religionis suæ*, & Deorum, ad quos desciuerat. Quis hoc neget, qui vel legerit *Cæsares* eius, vt, ibi de *Ioue*, de reliquis *Dijs suis* ludos faciat? Perinde bonus Ethnicus *Pontifex* iste *Iulianus*, atque bonus Christianus Pontifex *vester*, *Leo decimus*, qui fabulam illam de Christo, sibi vobísque lucrosam valde fuisse, *Bembo* ridens asserebat; nec *Christianus* hic, nec *Polytheus* ille, sed vterque *Atheus*. Verissimum ergo verbum hoc, *Atheum* dici debere Clientem tuum (bone *Patrone Iuliani*) nec tamen minùs verùm, *Atheum quoque* pari iure dici debere *Leonem*; atque illum etiam *Atheum*, qui apud [b] *Mirandulam* affirmabat qui-
b Theorem. 4. busdam domesticis suis, *nullum se Deum*, etiam dum Pontificis sedem teneret credidisse. Illum quoq; *Atheum* apud eundem, qui viuens familiari cuidam aperuit, apud se animarum immortalitatē minimè creditam. Omnes *Catholicos*, omnes *Pontifices*, nec tamen *Christianos*. Nihil ergo dicis cùm id asseris, *Cùm Catholicus non sit, neq; Christianus est*. Plus hîc multò dicitur. Cùm *Catholicus* sit, tamē, non est *Christianus*; imò cùm *Catholicæ Ecclesiæ Caput* sit, *Christianus* tamen non est. En tibi, quò *Iulianus* tuus te perduxit. Potest quis, Missas audire, potest facere, potest Caput Catholicæ Ecclesiæ Papam *credere*, potest Ecclesiæ Catholicæ Caput & Papa *esse*; nec tamen *Christianus*.

Quàm

Quàm verò ineptè philosophatur de *secundo? Cùm Catholicus non sit, neque Christianus est.* Vbi primò, Catholicum intelligit *Romano more* (vt ipse paulò pòst explicat) *qui Romani Pontificis religionem sequitur.* At hic talis, *nisi falsi nominis, Catholicus* non est. Vbi vide quam rem agam. Etsi *Catholicus* sit dixi modò, *Christianum* tamen non esse: *Ne Catholicum* quidem iam esse dico Tu de *Iacobo* Rege quæris, ego de *Paulo Papâ quinto,* vter *Catholicus* verior, vter *Catholicam,* id est, *diffusam Ecclesiam magis* credat (ea enim vocis, *Catholici,* vis est) vter *Nulli loco alligatam?* Ac Rex quidem *Catholicam* planè agnoscit, pérque omnes terras vbique disseminatam, nec vlli loco astrictam vult, nec vllo circumscriptam. *Paulus* Papa vester non sic audet, non vel *Catholicam* nominare, nisi *Romanam* addat. *Romanam* autem sic addendo, euertit *Catholicam,* quasi si credat, *nulli loco* ascriptam, *vni* tamen *loco certo* ascriptam; *Catholicam Romanam,* quasi dicat *vniuersalem particularem,* vel *totum partem,* quasi si *Orbem* compingat in *Vrbem.* Atque hoc qui credat, *Catholicus* non est, proin nec *Christianus.* En Vicarius iam Christi, cùm *Catholicus* non sit, *Christianus* non est. Sed nolo delirantem sequi. Hoc qui credit, *Catholicus* non est, *Donatista* est; sic enim illi olim credebant Ecclesiam *Catholicam Africanam:* sic vos nunc, illis per omnia similes, *Catholicam Romanam.* Atq; vt illorum, quia *Africana* erat, *Catholica* non erat, sed pars *Donati:* ita & vestra, quia *Romana* est, *Catholica* non est, sed pars *Papæ Romani*; Atq; hoc qui neget, ad exemplum *Torti* [*Catholicam Romanam*] [*Animal Asinum*] appellandum censeo. Postremò, quid ita malè vobis conscij *Catholicam* non audetis vsurpare *solam?* Quorsum additis *Romanam?* Quid illâ opus est, si præter *Romanam, Catholicâ* nulla est? Neq; enim eâ voce opus vllum, nisi vt distinguat vestram ab aliâ *Catholicâ* quæ *Romana* non est. Ea quia merè *Catholica,* verè *Catholica:* vestra non *verè,* quia *additione* illâ *detrahitis;* & *priori* illi [*Catholicam*] per *posteriorem* hanc [*Romanam*] derogatis.

Sed vt *Sycophantam* hunc paulisper insanire patiamur, atq; vt Horatianus ille, *Nauem omnem quam conspexit in portu, suam putare,* blandiri sibi de nomine *Catholici,* vbi & quando occurrit, quasi *proprium* sit *suis* & *peculiare; ex ore proprio* iudicemus ipsum. Pòst enim ex *Paciano* citat, *Christianus, mihi nomen; Catholicus, cognomen.* At non omnes, quibus nomen P.19.vb.

idem

idem, idem & cognomen? Quàm ridiculè? Omnes ne *Matthai, Torti*, nulli *recti*? *Euangelista* ipse cùm *Tortus* non sit, nec erit *Matthaeus*? aut Typographus noster, cùm *Bellarminus* non sit, nec *Robertus* erit? Annon ea Lex, vti *Nomen cognomine:* ita *Christianus Catholico*, latiùs vt patêre debeat? Et quid ergo *Paciano* opus, *Christiano Catholicum* addere? Sed dic etiam, qui *Romani pontificis religionem non sequitur*, id est, qui eo sensu *Catholicus* non est, non est *Christianus*? Non *Christianus*? Quid ergo est, si *Christianus non est?* vel cuius Sectae dicendus? *Turcáne?* At nemo contra illos *nostris hominibus*, acriùs fortiúsue dimicat. An *Iudaeus*? At illos *Romae* Papa impunè finit habitare. Ergo Paganus? At illi *Polythei*, *Papistis* in eo, quàm *nostris*, similiores. Quarta verò iam Secta nulla est. Et illud quoque responde, an iam nulli sub Turcâ gemant *Christiani*, nullaene ibi sint Ecclesiae *Christianorum?* Vnde tamen, *eo nomine* commendati etiam *à vobis*, & *vestris hominibus* commendati, crebrò huc ad nos Captiui multi commeant. Nullíne in *Graeciâ, Russiâ, Armeniâ, Ethiopiâ*, Christiani? *Tortus* deleuit omnes. Atque vt modò *Ecclesiam Catholicam Romanam* fabricatus est: ita iam *Religionem Christianam Romanam* meditatur; vt de Ecclesiâ non sit, Religionis expers sit, nec *Catholicus* iam, nec *Christianus*, qui Romanus non sit. At *Christiana Romana Religio* hactenus inaudita. Olim autem qui Haeretici, non inter *Turcas*, vel *Iudaeos*, vel *Ethnicos* censebantur; neque nisi qui de Christianis essent, Haeretici audiebant: nuper exortus *Tortus*, qui Christianos negat.

Quin vos ergo diruitis *Consistorium*, feriari iubetis *Inquisitores* vestros: *Foris* enim *sunt Haeretici*, Christiani iam non sunt. De ijs *qui foris sunt quid ad illos iudicare?* Quid ad *Christi* Vicarium eos, qui *Christiani* non sunt? Cur *Ecclesiae vocem* audiant, qui nihil habent commune cum *Ecclesiâ?* Quàm verò hîc sese *Tortus* memorem non praestat, quod tamen (cùm *mendax* sit) maximè praestare oportuit? Antè, Pontifici vindicat Haereticos *excommunicandi* potestatem: hîc materiam tollit potestatis. Quî enim poterit iam *excommunicare* qui intra *communionem* non sunt? Ita excutit iam fulmen de manu Iouis sui; abnegat *Catholicam fidem de potestate Pontificis*, atque ita *Tortus* ipse iam, cùm *Catholicus* non sit, neque *Christianus* est. Sed haec illius vecordia est. Vecordia certè, qui

qui tot Regna & Gentes, quæ *Romani* Pontificis religionem non sequuntur, semel & simul proscribit omnes; *Paganas* asserit, *Christianas* negat. Ita *Europa* pars longè maxima, in *Paganismo* est. Quod nisi hunc *tam procacem Scurram* compescat Pontifex, videat ne *assertio hæc erumpat in neruum denique*. Quare autem non *Christianos*? Quid tanti vel in fidem, vel Legem CHRISTI peccârunt, vt mulctandi sint hoc *Christiani* nomine? Quia ne *mente* Deo seruire volunt, non minùs quàm *Spiritu*, nec *ignoratâ Linguâ* Sacra sua murmurare? An quia bibunt *ex calice omnes*, nec sumunt ex *Semisse* Sacramentum? Seu quia *similitudinem* sibi nullam faciunt, quam *adorent vel colant?* vel id etiam, quia Sanctam Ecclesiam *Catholicam*, de *Veteri* Symbolo credunt, *Romanam* de *Nouo* non credunt? An denique, quia CHRISTO *nimio plus* tribuunt, nec ei *Sanctorum Suffragia* in munere intercedendi adiungunt, *operum merita* in iustificandi, *indulgentias Papales* in satisfaciendi? Videtur ergo, quòd per excessum peccent, & nimis Christiani sint.

At etiam *Patres* per vim torquet, vt cum eo vnà insaniant. *Augustinum*, qui *Pelagium debere* dicit, *gratiam confiteri*, *si velit non solùm vocari, sed esse Christianus*. Quid tum? Et pari operâ dicat *Torto* quis, debere & illum de *Scurrili hac suâ* in Regem *petulantiâ* pœnitere, *si velit non solùm vocari, verùm etiam esse Christianus. Esse Christianus*, id est, *verè & re ipsâ* esse, quod titulo tenus erat: *Esse Christianus*, id est, *intus & apud Deum* esse, quod extra videri voluit & haberi apud homines. Multi enim & apud vos, tum Christiani, tum Catholici, credo, vocantur: quibus non magna cura, vt sint quod vocantur, non magis quàm *Pelagio*. Nec qui hæreses ergò sectantur solùm: quis enim nescit *Augustinū* locis multis negare *Christianos*, qui verbo confiteātur *Christum*, factis negent? Scit hoc ita esse, qui legerit *Homiliam* eius secundā in illa Apostoli verba, *Omnis Spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est*. Quid agimus iam? Negamus Christianos, qui Christum *vitâ negant, ore confitentur?* Vide, ne ita ad miram paucitatem res Christiana redeat: Vide ne sic, Ecclesia vera, quæcunque tandem aut vbicunque sit, non vel ipsa multos habitura sit Christianos. Semper autem pessimè

succedunt *Torto* exempla quæ adducit, vt *Iuliani* antè cum *polytheismo* suo: Vtri enim *Polytheo* similiores, ac proin *Iuliano?* Quosne *Catholicos* dicit, qui nescio quot, minorum Gentium Deos habent Medioxumos intercessores suos, non pauciores *Iuliano* ipso, atque in eâ similitudinis parte strenuè *Iulianizant*: An quos negat Christianos, Paganos esse vult, quos tamen *Deo vno*, *vnóque Mediatore* tum *Redemptionis* tum *Intercessionis* contentos esse, nec ipse negare potest? Ac *Iuliani* quidem ibi similitudo: hic verò etiam *Pelagij*, redit illi in verticem Vtri enim meliùs, vtri magis honorificè sentiunt de *gratiá* illâ; qui Pontificis religionem sequuntur, an qui Reformatam? Quis nescit, si ij Christiani non sunt, qui *in gratiam* ingrati sunt, qui *Pelagium* sapiunt: quàm cuiuis in procliui sit dicere, vestros Catholicos hîc potiùs *Christianos* non esse, vtpote *Pelagij* pelago (qui sic *vocari voluit, non esse Christianus*) gradibus aliquammultis propinquiores? Quo in pelago cauendum vobis ne naufragium faciatis. Nos enim longè longiùs ab eo absumus.

Athanasio autem & *Cypriano*, eadem ipsa responsio satisfaciet. *Christiani* vocem ibi ab illis premi strictiùs multò, quàm communi loquendi more vsurpari solet; nec *de rigore* dicendum *Christianum*, qui vt *Arius* in *Deitatem Christi*, vt *Nouatus* in *pœnitentiam* iniuriosus sit. Etiam, cùm de moribus indignis nomine *Christiano*, sermo illis est in *Homilijs*, siquis vt *Tortus* hîc, mendax, vel maledicus; & eum Christianum verè vel esse, vel dici, Patres ijdem negabunt. Alioqui, cùm discedunt à stricto hoc dicendi genere, nec rem ad viuum resecant; quis nescit, passim apud omnes, qui locuti sunt, omnes qui scripserunt, etiam Ethnicos ipsos; *Christiani* nomine censeri, qui *Christi* nomen seruabant, cuicúnque demum Sectæ addicti fuerant? Quis nescit etiam Hæreticos multa passos, vt *Christianos*, cùm sufficeret hoc nomen, vt reos tum constitueret? Nec vlla ratio patitur, vt *Christiani* nomenclaturâ excludantur magis, qui *errant*, quàm qui *operantur malum*. Neutri enim *Spiritu Christi* aguntur: Qui autem *Spiritu Christi non aguntur, hij non sunt eius*, nec nisi illius nomine *dealbati*. Non enim *doctrina* tantùm, *vita* etiam *bona* requiritur, vt *nomini* respondeant; vtrumque qui non adhibet, frustra *Christianus*

Rom 8.14.

ſtianus appellatur. Patiatur ergo *Tortus*, qui idiomate ſuo *Catholici* non ſunt, *Chriſtianos* eſſe, ne exurgat fortè aliquis, qui pariter contendat, eum quoque, vtpote Obtrectatorem, *Chriſtianum* non eſſe.

Dixit autem Pontificios Apologiæ Author, alicubi *Catholicos*; quare ij iam ſoli *Catholici*, ipſe non Catholicus. Nec id tamen ſic feret. Dixit Orator *Sextum Næuium* virum optimum; Senex in Comœdiâ *Dauo: Heus bone vir!* Vterque tamen, & *Næuius*, & *Dauus*, haud multò quam *Tortus* meliores. Dixit quidem, ſed ſeriò non dixit: auribus dedit. Dicet quis *Turcam* (ſi eum alloqui contingat) *Muſſulmanum*; amant enim *Turcæ* ſic appellari, libenter audiunt, faciliùs capiuntur: nec, ex eo tamen concludes, qui ſic appellet, ſentire de *Turcis* quaſi ij ſoli homines *Conſummati* ſint & *Perfecti*; quæ tamen illius vocis vis eſt. Vos quoque gaudetis *Catholici* non minùs appellari; nempe vt titulis Maiorum gaudent, qui Maiorum tamen rem omnem decoxerunt: Demulſit eò vos, vt æquioribus vteretur. Poſtquàm argumentum inde ducitis, *Turcæ*, vt ſe ſolos *Conſummatos*; vos, vt ſolos vos rectè in religione *ſapere* putetis: quid reſtat iam, quàm vt dehinc, vos *Papiſtæ* ſitis, illi *Turcæ*; nec vel *Catholici*, vel *Muſulmani* ampliùs audiatis? Ita minimè expedit, delinire malas indoles. Salomonis vera vox fuit; [b] *Quod curuum, tortúmue eſt*, tractes vt voles, *rectum* fieri non poteſt. Eccles.1.15.

Æquè inſulſum quod mox ſubijcit: *Qui Catholicus non eſt, hoc ipſo Hæreticus eſt*. At ſi *Hæreticus*, hoc ipſo *Chriſtianus*. Nam id certum: Qui *Chriſtianus* non eſt, eo ipſo *Hæreticus* non eſt. Niſi enim qui *Chriſtianus* ſit, *Hæreticus* nemo eſt. *Qui Catholicus non eſt, hoc ipſo Hæreticus eſt*? *Turcæ* ergo omnes *Iudæi*, *Pagani*, *Athei*, *hæreticæ prauitatis* accuſantur; Et *de nouo* iam feruet opus *Inquiſitoribus*, ampla illis materia iam, plena Curia, *qui intus* ſunt, *qui foris*, totum iam Orbem conuenturi ſunt. Inquirunt enim in *Hæreticos*: at quiſquis *Catholicus* non eſt, eo ipſo *Hæreticus* ſcilicet. Nec illud ſanè minùs. *Catholicum, atque Hæreticum contraria eſſe, vt diem & noctem, vt lumen & tenebras*. Dies autem & nox, lumen & tenebræ, *contraria* non ſunt, *priuantia* ſunt, quorum ea na-

tura est, vt nisi vni inesse, nisi de vno dici nequeant. *Habitus* præcesserit necesse, vbi *priuatio* iam inest; vt iam *Hæreticus* nemo esse possit, nisi qui *Catholicus* priùs fuerit, vt euertat iam Periodo hâc, quod præcedente posuit. *Turcæ* enim, *Iudæi, Pagani,* Catholici nunquam fuerunt. *Dies* illis aut *lumen* haùd vnquam luxit, vt iam *nocte*, vel *tenebris* comprehendi queant. Tum, vt singula verba singula absurda scias; nec illa quidem *Priuantium* Lex est. Nam nec ibi id sequitur, vt qui *non videat, cæcus* statim sit: Non enim *Lapis*; qui *nec vidit* vnquam; nec tamen *cæcus* est, cùm nunquam *viderit*, vt visu pòst *priuari* possit, & *cæcus* fieri; Vt si *priuantia* maximè sint *Catholicus* & *Hæreticus*; non tamen negato *Catholico*, vt *hæreticus* sit, ex eo statim cōsequatur. Quanquam, quid ego hæc consector, tàm leuicula? nisi vt videat Lector, duo hæc, *Tortum*, & *Dialecticum*, *disparata* esse, eumque è *paruis* suis *Logicalibus*, præproperè nimis se ad *Theologiæ Scholas* contulisse.

Nec multò tamen melior *Theologia*. Non enim contraria ibi *Catholicus* & *Hæreticus*: *Orthodoxus* potiùs, & *Hæreticus*, qui scilicet vel *rectè* vel *secus* de Religionis rebus sentiat. Nam vox *Catholica* quid valeat, vel è *Symbolo* petendum: vbi posita, vt *Ecclesiam, quæ post Christum*, ab *eâ* quæ fuerat *ante*, distinguat; *Christianam* à *Iudaicâ*. Illa tum, *intra vnam* Gentem *conclusa*: Hæc iam, quàm latè patet *Orbis*, tam latè *diffusa* est. Neq; verò legitima vlla *Catholici* oppositio, ad *hæresin* vllam, præterquam *Donatistarum* olim, qui ad suam *solam Africanam*: *Papistarum* hodiè, qui ad suam *solam Romanam* arctant quasi Ecclesiam, & de *Catholicâ* faciunt *non Catholicam*: ad Papistarum (inquam) aut siqua alia est, quæ ad locum vnum præ alijs *Ecclesiæ vniuersitatem* reuocat. Benè inter se hæc contrariantur; *Vniuersalis*, & *pars Africæ*: *Vniuersalis*, & quæ *à Româ* pendet: *Locum* enim spectant hæc, qui vel *vbique* vel *alicubi tantùm* est. *Vniuersalis* autem, respectu *Loci* (quod sonat *Catholicus*) & *Hæreticus*, ratione *Peruersi Dogmatis*, quid habent cōtrariū? Dic ergo siquid habes de *Orthodoxo*: id enim propriè *Hæretico* aduersatur. Quanquā etiam si *Catholicum* vrgeas, ne sic quidē res tibi rectè ceciderit, Nulli enim quàm vos minùs *Catholici*, minùs *vniuersitati fauentes*, proinde (si tu quidem rectè ratiocinaris) nec *magis Hæretici*, nec minùs *Christiani*.

Toti

Toti simul Fidei Christianæ renunciauit Iulianus; *Nunquam deserüit Religionem Rex*, quam semel professus est; à *Vestrâ*, cui nunquam fauit, nunquam desciuit. Ecquid magis ex Diametro? Imò, *non omninò verum est, nunquam deserüisse*. Imò *omninò verum* est, te hic Sycophantam *omninò* agere. Quâ parte *verum* non est? *Parentes Catholici erant*. Non erant; vel *Pater*, vel *Auus*. Quid tum si erant? *Parentes* omnium, qui olim *Christiani* de *Ethnicis*, Ethnici fuerunt. Parentes omnium, qui iam apud *Indos* baptizãtur, *Ethnici* & ipsi. Religio hæreditaria non est. At *Ritu* vestro suscepit *Baptismū*; Quid *Ritus* ad Baptismum? Vtrobique *Baptismus* vnus est; nec qui *Ritu* nostro *Baptizati*, vos de nouo *tingitis*, nec *nos* qui *vestro*; vtrobique *Catholicæ fidei* professio: quâ ipsâ in professione, *non mutamus, in quibus nobiscum estis*; *in multis enim nobiscum estis*. Vbi mutatum quid, id eò factum, quòd in *Ritu* vestro discessum est, à casto integróque Dei cultu: & quòd, *Ab initio non fuit sic*. Vt in *Cultu similitudinum* contra *Mandatum secundum*, cuius vos vobis conscij, etiam olim *Mandatum ipsum* de Libris vestris expunxistis: Vt in *Sacramento Eucharistiæ dimidiato, contra mentem Christi* expressam: vt in *Liturgiâ non intellectâ*, contra *mentem Apostoli*. Denique (quod & [a] *Tridentina* Synodus vestra fatetur) *quæ, sine temporum vitio, siue hominum incuriâ, & improbitate irrepserunt in Missam ipsam*, in melius mutata, *Reformata* hæc *apud nos: apud vos* etiam cùm fuerint, *protestati* nostri sunt, nobiscum vos in gratiam facilè redituros, nec nisi sub istâ *protestatione* secessum à vobis, quàm tantisper dum ista in melius mutarẽtur. Quicquid autem apud vos, *pristinæ Fidei* aut *Religionis*: intactum *apud nos* manet. Nam *Caluinista* conuitium, protritum iam est. Nemo hîc, addictus iurare in verba *illius*. Tanti est, quanti rationes quas affert pro se, nec pluris. Et vos si non magis addicti *Papæ* & *Pontifici*, non essetis qui iam estis, quodque (merito vestro plurimùm) auditis, *Pontificij*, & *Papistæ*.

[a] *Sess. 22. Decret. de Miss. celeb.*

At verò, Quæ hæc tempora sunt? Quod seculum, vt sic audeat Sophista impudens, ore sacrilego bacchari in *Reges*, idque non alio fundamento, quàm, *si vera sunt quæ narrantur?* *Fabulæ* sunt, quę *tibi narrantur*, & à te. *Idem* iam, *Rex* qui *semper fuit*, & ex quo per ætatẽ sapere potuit, *vna* illi semper, *eademq;*

 mens,

mens, nec *mutata* vnquam ſententia, vel de *Eccleſiæ Regimine*. Intimè ſemper ſenſit, extimè præ ſe tulit illam *exterioris Regiminis* formam, ferendam fortè ad tempus: hanc verò magis placere ſibi, vti *meliorem*, vt magis *ex mente Sacræ Scripturæ*, vt cui *Antiquitas* magis faueat, vt quæ *Monarchiæ* magis conueniat. Enimuerò, quod tu hîc de *Populari Formâ* vellicas; qui de vobis cordati ſunt, idem hoc facturos autumant Ieſuitas, vbi ſat illis virium, & tale quid, *altâ mente* illis *repôſtum* eſſe. Deinde, ſi poſtquam vidiſſet iam, *noſtram Regiminis Formam*, illâ magis probâſſet, quàm *alteram* cui aſſueuerat; an vel ſic *Religionem* deſereret? Quàm hoc verò abſonum? Quando & apud vos *dictio iuris exterior*, *Clauis* propriè non ſit; eamque vos multis ſæpe mandatis, qui *Laicorum* in ſorte ſunt, exortes planè *Sacri Ordinis* vniuerſi Nec Religio eſt vobis ſentire, & facere; quod ſiquis hîc, vel faciat, vel ſentiat, mutet in Religione. Sed tu *pudori* omni ſemel *renunciâſti*, qui hoc eſſe dicis *fidei renunciare*.

Sequitur verò, vexata iam illi calumnia de Mulctis: ſed ea iam ſæpiùs mihi obtrita: quam hîc tamen, quia noui nihil habet quod afferat, *obtrudit* iterum; ego viciſſim *extrudo:* quòd, & longè *impar pœna*, (id quod ſcit ipſe, ſi quicquam ſcit in Hiſtoriâ) & *cauſa longiſſimè*. *Cauſa* enim ſub *Iuliano*, *Chriſti nomen confiteri*; dic tu hanc veſtram eſſe apud nos —*Clamabo periſſe* — *Frontem de rebus:* Néque verò de vllâ veſtrâ quam dicis *Religione deſerendâ* agitur, niſi illa *Religio* veſtra eſt, in Regem machinari atque adeo inſurgere, vbi Pontifex digito concrepuerit. Hæc illa eſt *fides Catholica* de Pontificis poteſtate, quæ vna vobis *abneganda* eſt: quam, ni *abnegetis*, *fides Catholica* vos, etiam Pontificem veſtrum, *pro ſuis abnegabit*.

Fines pòſt, conferuntur inter ſe. Finis *Iuliani* vnus, *Chriſtianitatis euerſio*. Mutus ad hunc *Tortus*; vellicat tantùm Regis finem, is eſt *Regni, & Religionis in Regno tranquillitas*. Quàm verò ridiculè; fieri id à Rege, vt *Catholici primùm*, *pòſt etiam Puritani opprimantur?* Vt hîc homo ſolicitus eſt, non tantùm de *Catholicis* ſuis, ſed de *Puritanis* etiam; quaſi Cordi ſint illi atque Curæ; quaſi eis ex animo bene vellet, nollet *opprimi*: Putaſne, de *Illis* laborat *Tortus?* Non ſanè; id tantùm ſatagit, vt & *Illos* quoque ad tempus fœderatos habeat, vt & *illos*

quoque

quoque tumultuari faciat in pacem publicam; ni faciant, mox *opprimendo* à Rege: vt inuidiâ verbi hâc, illis quoque calcar admoueat, contra Principem & patriam attentandi. Et notum tamen satis, animum *illi* esse, si essent *vires*, & *illos* simul, & *nos* opprimendi. Finis alter *Iuliani*, vt *Idololatriam reduceret*. De hoc tacet etiam. Regis *finem* carpit, qui est, *vt naturalis fidei suæ, ac ciuilis obedientiæ professionem obsignent ita subditi*. Quid hic carpit autem? scilicet, *quòd in toto Iuramento, naturalis fides, aut ciuilis obedientia ne semel quidem nominentur*. Et ô rem *carpendam!* Atqui *fidelitas* & *obedientia* nominantur ibi, quod nisi *vappa* sit, *fidem*, (seu malis dicere *fidelitatem*) quæ ibi nominatur, non nisi *naturalem*; & *obedientiam* non nisi *ciuilem* potest intelligere. Nec enim Catholica illa *fides* (quanquam cum *illâ* amicè conspiret & *hac*) nec *obedientia*, quam *Creaturæ Deo*, sed quam *ciues Principi* præstant, (etsi nec hæc quidem *ab illâ Dei*, aliena est.) Quâ *fide*, quâque *obedientiâ Iuliano* etiam parêrent Christiani; *irent contra Gentem, contra quam illos ire iuberet*, memores, *fidem, obedientiam* in Deum: fidei, *obedientiæ* in Cæsarem non officere.

Negatur verò *perpetuò potestas Pontificis*. *Negatur* verò *potestas* ad malum; *potestas* ad *Rebelliones, Proditiones, Seditiones* excitandas; *negatur*, & *ad campos Elysios negabitur* à nobis. *Dixi Phormio*. Sed vbi interim *similitudo* vlla cum Iuliano; *Tres capellæ* nobis vbi sunt? Quid? an Iuliano in hoc Rex noster similis? Fauetne (κατὰ ὅλον) *Idololatriæ?* Audet penè quiduis *Tortus*, hoc tamen *non audet* dicere. At *de hoc* nobis sermo, *in hoc* collatio omnis est. Ille verò se, relictâ re, confert ad *modum*, quo *Iulianus perduxit* ad Idololatriam. Quid hoc ad rem? Perducit ne eôdem Rex? non *perducit*, imò *abducit*, quàm potest longissimè. Dissimile ergo totum. De *re* verò iam, non de *modo* quæritur. Non potest de *re* mutire quicquam, audiamus de *modo*. *Sub colore Ciuilis obedientiæ* id agit Rex, *vt sibi obedientia Sacra* tanquam *Primati in Spiritualibus*, præstetur. *Vbi* id agit? *Quâ parte* Iuramenti? *Quoto articulo de quatuordecim* illis? Designa locum, adhibe verba; tortorem age; exprime si potes inde sensum hunc, vt vsquam ibi agatur vel de *Spiritualibus*, vel de *Primatu in Spiritualibus*, vel de *Rege in Spiritualibus Primate*, vel de *Sacrâ vllâ obedientiâ* ei deferendâ: Sub

colore,

colore, imò *substantiâ ipsâ* mendacij affirmat hoc *Tortus*: affirmat etiam *suprà sibi demonstratum esse*, quod neque *suprà* neque *subter*; neque factum est, neq; *fiet* vnquam. Nec est enim ibi, vt *monstrari* posſit, nec verbum ibi pertrahi poteſt ad *Sacram obedientiam*, aut *Primatum Spiritualium*: nec cui candor inſit vllus, ſi legat, relegatque Iuſiurandum vel millies, tale quid ex eo vnquam eruat: *Tortum* autem, quaſi *monſtrum* habeat, qui id ibi *monſtrari* poſſe autumat.

Dicendum illi iam erat, de ſuâ illâ *maximâ ſimilitudine Regis* & *Iuliani*, quoad *Idololatriam*. Non potuit miſer; vidit Regem, vt initio à Iuliani *Polytheiſmo*, ita hîc ab *Idololatriâ* abeſſe quàm longiſsimè. Vtriuſque quidem maculam fœdam, ſed Idololatriæ hanc imprimis, *ſibi* & *Catholicis ſuis* adhærere; *Defenſionem* ſibi potiùs *pro ſe*, quàm *Accuſationem* vllam *in nos* inſtituendam hîc eſſe *Vbi, quâ parte* ſit Idololatria, facilè videt, non *noſtrâ* ſcilicet, ſed *ſuâ*. Vnus enim hic articulus inter multos, quorum cauſâ, Papiſtæ, Hæretici à nobis (hâc quidem in re) verè Catholicis, cenſeantur. Hinc autem vt ſe explicet, inducit ſe in nouâ *Hæreſin*, neſcio dicam an *veſaniam*, an *vtrámque*; *vtráque* enim eſt. *Se quidem Idololatras non eſſe, idola non colere, quòd ſcilicet colant imagines rerum exiſtentium: Eas autem Idola non eſſe, quòd Idolum, non niſi imago ſit, rei nuſquam exiſtentis.* O iecur Theologiæ! Nec aduertit homo acutus, dum hoc dicit, apertè ſe & *Moſi*, & verò etiam *Deo* ipſi contradicere, qui Lege ſuâ, quâ vetat *Idola*, vetat fieri *omnem ſimilitudinem eorum, quæ in cœlis ſunt, vel in terrâ vel in aquis ſubter terram*, quæ ſunt *Omnes* puto *Res alicubi exiſtẽtes*. Tam *Torto* cum Deo præclarè conuenit; vt abſterreat Deus, *à cultu ſimilitudinis omnis Rerum quæ vſquam exiſtant*: Tortus autem contrà iubeat, *Faciant* verò, *colant* etiam *ſimilitudines Rerum vllas*, ſi modò exiſtant vſquam. *Idola* enim (quicquid dixerit Deus) non eſſe niſi *imagines* ſolas Rerum nuſquam exiſtentium. Quare ex nouâ Theologiâ *Torti* dum Res modò *exiſtat*, in cœlo, terrâ, aquis, ſubter aquas, ſit vel *malus Dæmon*, *coram eo* incuruare ſe, & *in eo Deum adorare* poſſe. Ad hanc enim inſaniam nuper iam deuentum eſt, eámque libris editis docent, & defendunt boni Theologi, in eóque rem agunt Apoſtatæ *Iuliani*, qui ſi viueret iam, hoc idem ipſe pro ſe di-

se diceret: non se *Iouem lapidem*, sed *in lapide Iouem* adorare; atque id multò minùs absurdè quàm [a] Vasquius *in Diabolo Deum*: vt si quærat iam quisquam vbi illa similitudo *maxima*; reperiet inter duos *Pontifices Maximos*, *Iulianum* & *Papam*, in hâc quidem *maximam*: atque similitudine hâc sensim discessionem fieri à *Christianismo* ad *Paganismum*, à *nouo* iam isto *Iuliano*. [a] Lib. 3. num. 31. 7.

Proxima huic, *de modo* collatio. Iulianus *subrepsit incautis*: Rex nec ab *incautis* suscipi vult, nec *incautè*, sed sumpto ad cogitandum spacio. Nec *surrepsit*: nihil enim proponit ibi nisi explicatum & planum. Hîc verò *Tortus*, crassum se fingit, & simplicem, vt qui vias *planas*, ab *asperis* nequeat discernere; sed in *planitie ipsa* impingat in montes; nec vbi sint indicat tamen, nec *de modo* dissimili vel verbum facit, aut totâ de re. Tantùm scias vbi ægrè illi sit; vbi dolor; iterum iam, & iam & semper ad *negatam Pontificis potestatem* manum habet; ibi dolor est, is mons est, quem *in planitie*, non sentit, sed somniat. Sed annon modus dissimilis? Nam quicquid hîc *negatur*, *apertè negatur*, nemini subrepitur incauto. *Non posse Pontificem ab obedientiâ Regis subditos absoluere*, dicitur ibi dilucidè, disertè, non tectè, non tortuosè. Nec enim, quâ *Ille Rex* est, quâ *illi subditi*, *potestas* vlla in illos Pontifici; tantùm quâ *Christiani*. Reliqua ne dicuntur quidem, quæ tu ibi fingis. Non dicitur, *Iuro non esse parendum excommunicationi Pontificis*: quin *parebit*, quousque locum habet Censura Ecclesiastica, in *Sacris*, in *rebus Ecclesiæ*: in *Politicis* enim Censura locum non habet. Sed neque illud dicitur, *Iuro Pontificem ab hoc Iuramento me liberare non posse*, *quia legitimâ plenâq; authoritate mihi ministratum est*. Disiuncta sunt ibi hæc, nec *posterior prioris* causa, nec quia *legitimâ authoritate ministratum*, sed quia *legitimum*, ideo liberare non potest. Potest enim & *legitima authoritas* esse, quæ *ministrat*, & *Iuramentum* interdum *minùs legitimum*, quod ministratur. Hîc verò, & quod defertur *Iusiurandum*, & à quâ defertur *authoritas*, legitima vtraque, vt neutro nomine detrectari debeat.

Benè autem habet, quòd *omnes naturaliter horrent*, quæ ibi *de Proditionibus*, *Conspirationibus*, *Regiæ personæ violentiâ & cæde*. Benè quòd hoc Tortus *fatetur* tandem; si tamen *fatetur*; nec

 reser-

reseruatam habet in mente euasionem {*nisi Pontifex illa praeceperit*} Quid ergo? non vel illa iurent, se nullius *Proditionis, Conspirationis in Regem, vis* vel *cadis Personae* eius inferendae conscios fore, vel participes, *ne si id ita iubeat Pontifex?* Nec tamen nesciius est, quò tendant illa, *absoluere ab obedientiâ, interdicere ne pareant?* Vbi eò ventum; *Proditiones, Conspirationes, Caedes, quas ita naturaliter horret*, non longè abesse? Ecquando enim visum, qui *parêre* semel Regi noluit, vt ei religio fuerit *conspirandi*; aut cui *conspirandi* religio non fuit, fuerit vlla, *vim afferendi?* Consequuntur ista se mutuò, & ferè ita semper factum est, si semel interdixit ne pareant, edixit non ita multò pòst, vt arma teneant. Quaero enim, cùm *absoluti*, vt Regi ne *pareant*, cui parêre eos velit Pontifex? Non enim *nulli*; non fauet *Anarchiae*. Ergo *alij*; cui Regnum in praedam addixit. Quid ille vero? annòn *aemulum suum* primo quoque tempore *caesum* vult? Reliquum est, vt qui *naturaliter horrent* haec *facientem*, *naturaliter* etiam *horrere debeant*, ad haec subditos *soluentem*, & ab eo *Iuramento*, quo cauentur haec, Breuibus suis *arcentem*, atque *absterrentem*.

Vltimum autem est; *Iuliani* omnia eò facta, vt *Idololatriam* perpetrarent subditi. *Rex* & ipse, & subditi *ab Idololatriâ* remotissimi; atque adeò *non boni Catholici* (stilo nouo) quòd adeo *remoti*. Haec, vel primò intuenti *dissimilitudo* summa: *Tortus* verò sic *torquebit*, vt *similitudo* summa sit. Neque tamen, nuper natâ hac suâ *Idoli* definitione, excutiet à se *Iulianum suum*. Dicet enim, *extitisse* initio *Iouem* suum paulò ante tempora Heroica, *Saturni* atque *Opis* filium: reliquos autem, quos colit *Deos, Iouis Sobolem* fuisse. Ita, ne se quidem *Idola colere*, magis quàm *Tortum*: non enim *Chimaeram*, vel *Tragelaphum*, non corpus humanum cum capite equino, nec *imaginem* vllam, nisi rei quae aliquando *extitit*. Tum, quòd *Tortus Idolum* esse dicit *imaginem* falsi Dei; agnosceret iam & hoc *Iulianus*; & de *Torti* Sanctis illis *haud vllum, verum Deum* fuisse, *Tortum* collegam suum statim admonebit. Quid restat igitur, quàm vt ruant alter in alterius complexus, atque de summâ hâc inter se *similitudine* mutuò gratulentur?

Nam quod Apostolum pertrahere cupit ad se, quòd is *Idolum nihil esse* dicat; nihil dicit. Non enim alio sensu *Idolum*

nihil esse dixit Apostolus, nisi quantum *ad id, quod esse putatur, rem* scilicet, *quam refert non habere*, nec *vim vllam*, vt vel *iuuet* quicquam vel *noceat*, & (quod erat tibi instituti Apostolici) vt cibum vel *sanctificet*, vel *polluat*. Hæc vna Patrum, vna omnium interpretum mens, déque eo expressè cauent, ne cum *Torto* tam plumbei simus, vt venisse vnquam putemus Apostolo in mentem, vt *planè nihil* putârit esse: cùm & *materia* Idoli aliquid sit, vt lapis, lignum, metallum; & *forma* ab artifice in materiam inducta, *aliquid* etiam; nimirum *qualitas*: sed quoad id *quod refert*; id, *pro quo fit* vel *colitur*; id, quod illi *de Idolo sentiunt*; eâ quidem ratione *nihil* esse: proinde, *nihil in mundo*, dixit ille. *In mundo* quidem; non in vltramundanâ, non in Metaphysicâ *Vasquij* vel *Torti* phantasiâ, in quâ *aliquid* est, quod *nihil* est; & *alicubi*, quod *nusquam*. Phantasmata hæc mera sunt, & cerebri vestri Idola. Illa verò etiam dementia tua, vt quenquam existimes tam dementem, qui eo sensu *Imagines*, vel Christi, vel Sanctorum Idola putet, quòd Christus, vel Sancti *nusquam* sint, vel *nihil*. Scis ipse (nisi non vis scire) eas alio longè sensu *Idola* à nobis haberi; quo scilicet sensu, Idolum erat Serpens æneus, qui *imago Serpentis* fuit, *Serpentis* dico, proin *rei existentis*; & tamen *Idolum*, quòd cultus iam abusum pateretur. Quâ ratione, etsi Dei iussu conflatus fuerat *Serpens* ille, etsi miraculis insignis, etsi Christi ipsius Symbolum; tamen cùm abusus illos pateretur (neque tamen tantos, quantos quotidie patiuntur Imagines apud vos) ab *Ezekiâ* sine scrupulo comminutus est: vt &, si *Ezekiam* vos haberetis vllum, vestræ quoque illæ essent comminuendæ.

Neque verò *Anathema* illud *Septimæ Synodi* quicquam ad nos. Non enim Imagines, seu Christi, seu Sanctorum, *Idola* nominamus. Non sunt, quâ à se certè; sed tamen *Idola fieri* posse dicimus, quâ à vobis; non minùs quàm *Serpens aeneus* à Iudæis, tum demum scilicet, si *adorentur*. Sunt enim *similitudines eorum, qui in cœlis*, coram quibus prociditis, quásque *colitis*; quod disertis verbis vetitum, lege Diuinâ. *Imagines* ergò in se, *Idola* autem *Torto*, vbi colere occepit: quo facto, & ille, & qui idem cum illo faciunt omnes, *Idololatræ* sunt.

ACcedit iam *Tortus* ad exemplum *Eleazari*: impeditus in viâ nonnihil *conuitijs*, & *nugis*, quæ tamen *omittit* semper,

 dimittit

dimittit nunquam. Ibi verò, *audet dicere* (*audet* certè *dicere* multa, vtinam etiam vacaret probare) *Eleazaro, non tam iustam causam fuisse carnis porcinæ non gustandæ, quam Papistis Iuramenti recusandi*. Vbi, sumit primò eandem vtrobíque esse, imperantis authoritatem. Nos non damus. Multum enim interesse; *Breui Pauli quinti*, Iuramentum; *Verbo Dei*, esum carnis porcinæ interdictum: multum autem interesse inter *Verbum Dei*, & *Breue Pontificis*. Tum, seriò nobis narrat, & extra iocum, mysterium magnum; *potestatem* Pontificis sui, *rem esse longè superiorem carne porcinâ*. Ridet, credo, Lector, ad *sublimitatem carnis porcinæ*, & collationem eius cum *potestate Papali*, vtra *sublimior*. At si *è macello* petere voluit, si *de carne* instituere comparationem; de *sapore* vel *precio* debuit, non de *sublimitate* disputare, præsertim autem non de *carne porcinâ*, quæ certè sublimis non est, fere semper in cœno volutatur, vt non multum accedat *ad potestatem Papalem*, si longè sit quàm illa *sublimior*. Ridet hæc Lector: Pontifex non ridet, quòd cum *porco* se, *potestatem* suam cum *suillis carnibus* in comparationem adduxerit. Certè res erant non eiusdem generis, nec instituí debebat inter eas, vlla comparatio: *Iacta* autem *est alea*: Etiam *sublimè*, in *fumo pendente carne porcinâ*, *sublimior* tamen est *potestas Pontificia*. Hæret verò adhuc nobis scrupulus. Nam si (quod opinor Aduersarius non negabit) impar sit, longéque sublimior *authoritas verbi Diuini*, quàm *Breuis Pontificij*; magis peccabit *Eleazarus*, qui *porcinam* gustabit, quod *verbo Diuino*; quàm qui Iuramentum suscipiet, quod *Breui vtróque* prohibetur. Nec abnegabit tamen quis, *potestatem* Pontificis, aut *sublimitatem* eius præ *carne porcinâ*; sed *authoritatem Dei* dicentis, *Ne gusta*; *sublimiorem* putabit *Pontificis authoritate*, dicentis, *Ne iura*: & quidem tanto sublimiorem *Diuinam* hanc illâ Pontificiâ, adeóque plus tantò, quàm est *potestas Papæ* sublimior *carne porcinâ*. Quare *Eleazari* in hac quidem re causa potior. Sed in hoc decipitur *Tortus*, vel decipere alios nititur, quòd cùm de eo agitur, vtri parendum, Deo legem ferenti, an *Papæ* Breue scribenti; ille aliam rem agi affirmat, cum *porco Papam*, & *potestatem Papæ* cum *porcinâ carne* comparari.

Pôst autem *quæri* dicit *ab Apologiæ Authore*, *exemplum è Scripturâ*

pturâ Diuinâ, quo destractio obedientiæ stabiliatur. Et *quærit* quidem, sed nullum *Torto* ad manum erat, *nullum profert*; & dum *nullum profert*, nullum fatetur esse: Sed si velis *pro stabiliendâ Pontificis potestate*, tum verò habere se in promptu. At hoc nemo *quærit*. Quorsum enim? Quia *labefactatur Iuramento potestas illa*. Ne id quidem; intra limites suos tantùm concluditur, vt decurrat alueo suo, ne exundet in negotia quæ *Ecclesiæ* non sunt, sed *Sæculi*; quæ inter *Principem* sunt & *Subditos officia*, ijs ne se immisceat; reliquis in rebus stabilis Pontifici potestas & immota maneat. Verùm omninò audiendæ nobis sunt, quæ annotatæ illi sunt sententiæ pro Pontifice suo stabiliendo. Credo equidem vix venales, ita obtrudit. Agedum, inspiciamus. In *Deuteronomio* præceptum est; *Satis apertè ibi legitur, Qui superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio; &c. Satis* ibi aliquid *apertè* legitur, sed non *satis integrè* citatur. Quid enim? an *imperio Sacerdotis* vtcunq;, qualicunque? An *Aaronis imperio*, vitulum adorare iubentis? An *Abiathari imperio*, contra *Salomonem* cum *Adoniâ* conspirantis? An *Caiphæ imperio* Christum morte dignum pronunciantis? Non opinor. Est ibi, præter ea, quæ *Torto* citare visum, vel *suprà* paulò vel *infrà*, quod doceat nos quali Sacerdotis *imperio*; id *Tortus* non bonâ fide celauit. Ita præcedentia verba habent, *Imperio Sacerdotis iuxta Legem Dei docentis*, tum, sequêris sententiam eius; tum *si superbieris nolens obedire*, currit Lex ista contra te. Iam verò noua lis; An *docuerit* nos *Paulus quintus* Breui suo *iuxta Legem Dei*; imo lis nulla: Non enim docet ibi *iuxta Legem Dei*, ne docet quidem, loquitur *sine lege*, iubet, terret, ex mero imperio agit in Breuibus suis, non est *Sacerdos iuxta Legem Dei docens*. Non ergo præcepto hoc vlla eius potestas stabilitur.

Placêtne etiam exemplum eius inspicere? dices non magis appositum. *Horrendum Dei iudicium in* Core, Dathan, & Abiron, *propter schisma & defectionem à* Mose *&* Aaron, *qui tum summi Sacerdotes*. Hîc, ne exemplum eius periret, necesse habuit *Duos* simul eodem tempore *Summos Sacerdotes* creare. *Duos* autem *Summos*? Phocâ nobis opus est, vt vter hîc summus, *Romanus* an *Constantinopolitanus*: Concilio *Pisano* opus, vt, *Gregorius* an *Benedictus* vter *Summus*, expediat. Quodsi *duo*

 Summi,

Summi, quid *Phocâ* opus, quidue *Pisano* Concilio? Sint *Cyriacus* & *Bonifacius*, sint *Gregorius* & *Benedictus*, vt *Moses* & *Aaron*, *Summi ambo*; Credo autem non æquis oculis aspecturum *Paulum quintum* doctrinam hanc de *duobus Summis*; & *Censori Vosmero* malam gratiam habiturum, quòd ita oscitanter hunc locum prætererit. Mallet enim omissum *inter nugas Torti & conuitia*, horrendum hoc exemplum, quàm ita adhibitum, vnde suboleat cuiquam *plures vno Pontifices Summos* vnquam extitisse; ad illud exemplum, *plures vno* iam posse existere. Puto etiam ad illorum hæresin accessurū Pontificem non inuitum, qui postquam à Deo vocatus *Aaron*, *Mosen* exauthoratum sentiunt; nihil *Mosi* pòst, cum *Pontificatu* fuisse. Magis ad rem Pontificis, magis ad gustum opinio illa; qui mallet *fratrem nullum* habere (ne *Mosen* quidem) quàm non solus *pontificari* sine *fratre*.

Ne labascat authoritas Papalis, vides quæ fulcra supposuerit è *Veteri*, vult etiam & *de Nouo*; exorari non potest: sed non noua, vel de *nouo* edolata, imò *vetera* illa, quæ iam tempus erat vt respirarent paululùm, ita vexata diu, ita sæpe angarias passa; *Quodcunque ligaueris*; & *Pasce oues*. Prius illud, dictum à Christo, *non Imperatori vel Regi*; debebat autem addere, cùm *multi* tum Imperatores essent & *Reges* Christiani; atque ita aliquid diceret. Nam cùm nullus tum esset cui diceret, quî potuit *vlli dicere?* Quanquam etiam, si tum *Reges* fuissent, non dedisset illis ligandi, soluendique potestatem: nec Imperator illam, nec Rex vllus vendicat: quare frustra adiectum, *Non Imperatori vel Regi*. *Petro autem dictum illud*, *Petro, quem vicarium constituit super familiam suam*. *Sitonomum*, credo, dicere voluit, quem dixit *Vicarium*, cui *de tritici mensurâ distribuendâ* munus incumbit. Verùm esto. Quis ille ergo ibi, *quem constituit super omnia quæ possidet?* Ei enim, qui *super familiam* constitutus σιτομέτριον cuique dando, & munere suo probè perfunctus fuerat, merces hæc est, *super omnia quæ possidet Dominus constitui*. Mallet posterius hoc Papa; vna enim illi *tritici cura* nimis angusta est. Locus malè adductus, non satis in eo rem egisti, vel *Petri*, vel *Pauli quinti*.

Sed *ligat*, & *soluit Petrus*. *Liget* verò, & *soluat*, sed *iniusta vincula*; *Vinculum*, quo Principi subditus ligatur, *iniustum* (etsi

Principi dyscolo) *& secundùm voluntatem Dei*,[a] ait *Petrus* ipse; [a 1. Pet. 2. 19.] quare *Petrus* haud solueret? *Debitum*, idque *ex debito conscientiæ* maximo, ait [b] *Paulus*; quare nec *Paulus*. Siquis ergo [b Rom. 13. 5.] Pontificum soluere *præsumpserit*; *iram Omnipotentis Dei*, *& Apostolorum eius* Petri & Pauli *se nouerit incursurum*. Verùm & *mandauit vt oues suas pasceret*; sanè, mandauit; & in eo, *Ouibus etiam*, *vt se pasci regique permitterent*. Stabiliuit ergo potestatem eius, *potestatem pascendi*, quis negat? Sed duo hæc Deus ipse nos docuit opposita esse; *Pascere*, & *cum austeritate imperare*, *ac potentiâ*. *Austerum* autem *imperium* hoc, *amarum pabulum*; *Regi ne iurate*; *Quod iurâstis iuramentum eierate*; *Regem deserite*; *Regi alij adhærete*, *cui ego Regnum concessero*. *Suffocat*, non *pascit* doctrina hæc. *Eleazarus*, aut cuicunque bona mens, non magis eam gustaret, quàm *carnes porcinas*.

Ad rem verò vel maximè *Iuramentum Saulis*, sed non vestram. Ad arma clamatum est; ingruebat hostis, defuit tempus; deferri non potuit singulis; simul omnes adiurauit. Etsi autem Rex solus *suscepit*, nec vir quisquam de populo: tamen quasi singuli suscepissent, ita religio fuit omni populo illud violare; etsi fatiscerent iam, etsi deliquium paterentur; mori illis satius fuit, quàm *Regis iusiurandum* transgredi. Fuerit verò temerè emissum; fuerit per illud, non satis consultum victoriæ suæ; qualecunque fuerit; at Populus tamen interim, quàm sollicitus de eo seruando? Vides, vt exhorruit ille, qui *Ionathanem* vidit de melle gustantem. Quanta tum *cura Prophetis* edocendi populum, vt *os Regis obseruarent*, *& præcepta* [c Eccl. 8. 2.] *iuramenti Dei*? Quanta autem *Legum seueritas*; vt morte luendum esset illi, qui *Regem adiurantem* audîsset, nec quasi ipse iuratus esset, ita se, & non minùs, *iuramento Regio* constrictum putaret? Quid quærimus? Datæ sunt *fortes*; Deus ipse *de fonis suis ostensionem* dedit, & quasi protraxit ad pœnam *Ionathanem*, de spreto *iureiurando Paterno*. Hæc eò adducta vt doceant, *quanti* olim fuerit *iusiurandum* quo Rex suos constrinxit, quanta eius religio, quam nemo detrectârit. Tu aliorsum trahis; & temeritatem eius inculcas; sed frustrà. Esto enim temeritas in *Saule* fuit, quam luit penè periculo Primogeniti, At argumenti maior ex eo vis est, magis vos stringit. Si enim

populus

populus Dei *iuramento* tum tantum *detulit*, tam *parum consulto: diu multùmq; consulto*, Comitijs Curiatis legitimè rogato, quale hoc nostrum est, plus adhuc multò magisque *detulisset*; vester quoque populus si Dei esset, non minùs deferret.

AD *Basilij* exemplum, agnoscas *Tortum* statim ex responso suo. Par sanè fuit, nec iniquum ibi postulabat Apologia, quæ inibi erant *verba* planè *proxima*, à Cardinale apponi, nec ita sententiam decurtari: Esse enim verba illa nonnihil ad rem. Hîc *Tortus* more suo, *proteruè* primùm. *Noluit Bellarminus librum Theodoreti describere.* Lineæ sunt vix duæ, quas adiectas cupiebat; lineas vix duas addere, hoc est *Torto* Theodoreti *Librum totum* exscribere. Quàm importunè! Verùm antiquum hîc obtinet. Vbi priùs, rationem aliquam allatam voluit Apologia in Breui; hôc ipso dicebat, pertrahere nos Pontificem *ad disputandum in Scholis Theologicis*, vel *ad librum integrum in Theologiâ conscribendum.* Quod sex aut octo Lineis absolui poterat, id erat tum illi *Librum conscribere*: quod *Lineâ vnâ*, atque alterâ potest, id est illi iam *Theodoreti Librum describere.* Auferte autem istam proteruiam. Pòst verò effert (homo garrulus) consilium Domini sui, & fatetur id quod res est, *quod ad rem suam facit, hoc Bellarminum adducere voluisse.* Cur autem *adducat, quod ad rem suam non facit?* At hoc iam ingenui non est; *Locum integrum* adducat, *faciat* ad rem suam, *non faciat*; id bonæ fidei est, de quâ non valde se torquet *Tortus*, agat eâ, an non agat Dominus, nisi *faciat ad rem suam.* Nescias, *proteruè* magis hîc ab eo responsum sit, an *ineptè*.

Tandem etiam, *magni pendere Regis amicitiam* dicit *Cardinalem.* Quod si faceret, næ ille rationes longè alias iniret, eius *conciliandæ*; nec si eam quæreret, factum Eius satis à se legitimum, quodque nemo est, qui meliorem in partem non possit interpretari, ita totus operam poneret, scriptiunculis suis odiosum reddere. *Exempla* sibi seligeret longè *alia*, & *personarum*, quibuscum Regem; & *rerum*, quibuscum Regis in eo consilium exæquaret: terminos etiam qui magis deceant (quique ei non desunt, si ita animatus foret) adhiberet. *Cum pietate verò* dicis; Quidni? Et est hîc pietatis satis, eiusque *summæ* in patriam, prolem, Principem, addo, & Deum ipsum,

ſum, in ſummâ contra hos omnes impietate reprimendâ. Sed *pietatem cauet* Cardinalis, ex Pontificis arbitrio *pius*, *pietas* illi tota ex eo pendet: quod illi placet *pium* eſt; quod ſecus, *piandum*. Fruatur ſanè hâc *pietate ſuâ*.

At etiam *Tortum* malè habet, *longa narratio de Valente, adhibita ſolùm, vt liber grandior redderetur*. Non adeo verò grandeſcit liber *paginâ* vix *vnâ*; *factum* narrare opus erat, non vt *Liber grandior*, ſed vt *fraus* ibi veſtra *apertior* redderetur. Nec *illud* priùs à vobis poſitum: at *Breue vtrumq;* & *non breuis Epiſtola*, priùs in Apologiâ poſita, integra iterum à vobis repoſita ſunt. Et ea quidem conſtant non *vnicâ*, *ſedecim* ad minus *paginis*; non hoc credo, vt liber tuus multò *gracilior* redderetur. Poterat quidem, has verè *nugas omittere omiſſor* iſte *nugarum*. Illa verò non rectè à te inſtituta *comparatio*; quî potuit rectè à *Torto?* Non debuit cum Ariano *componi* oſor *Arij*, atque Arianorm omnium; etiam *Liberij* Pontificis, quâ in Arianam hæreſin ſubſcripſit. Tum cauſa longè diſpar. *Valentis* perſecutio Catholicorum fuit, *quòd Catholici* eſſent, quòd CHRISTVM *Deum* dicerent: veſtra ſi qua eſt vexatio, ex cauſâ multum diſsimili, quòd *proditores eſtis*; *quidam* certè fuiſtis, *reliqui* eiurare non vultis *proditionem*, *non obſtante Pontifice* quem CHRISTI *Vicarium* dicitis; atque in eo CHRISTVM infamatis, quaſi ille obſtare vellet *Vicarium vllum ſuum*, ne Reges tui, *Subditi* fideles ſint. Quæ, ſi *Catholicorum olim* cauſa fuiſſet apud *Valentem*, non ille tum Eccleſias preſbyteris *nudâſſet*, ſed Eccleſias ipſas cum presbyteris ſimul, adeoque nomen ipſum Catholicum *eradicâſſet*. Quodſi *Baſilij* hæc tum cauſa fuiſſet, qui *diuinis innutritus erat ſermonibus, ſaluâ pietate, non renuiſſet Imperatoris gratiam:* ſed quam *Iuliano Apoſtatæ*, vix ante annum; eandem iam *Valenti Ariano* fidem; atque obedientiam ciuilem lætus lubens detuliſſet: nec à *Liberio* ſententiã expectâſſet, an Imperatori fidelis eſſe poſſet, quanquam obſtaret ipſe Pontifex; quin, ſi Ille Breui aliquo ſuo obſtitiſſet, *Illum cum Breuibus ſuis* valere longùm iuſſiſſet.

Atqui illa *Dogmatis ſubtilitas* quam dicis, ad veſtras *æquiuocationes* non malè quadrare poſſet: tenues enim certè ſunt, nec aranearum telæ, magis eis ſubtiles: Ad *Iuramentum* nullo modo poſſunt; cauetur ibi *contra illas* apertè, lumen ibi appo-

nitur, contra colores vestros. De *negato* autem ibi *Primatu*, vide an persuadere possis *nuper-Archipresbytero*. Ille verò & Iusiurandum iurauit, & zelator tamen est Primatus, quàm *iniuratus*, tàm *iuratus*; nec occultè in eo vspiam latêre deprehendit, quam vos fingitis abnegationem; & vos si colorem vllum ibi cernitis nisi candidum, *strabos* & *tortis oculorum radijs esse iurabit*. Quære verò ex *Illo* (si credis Illi) qui optimè tibi potest, & libentissimè vult confirmare, nec *interrogatum se* de causâ *fidei* vel *religionis*. Comprehensus est, etiam detinetur ex aliâ causâ. Plures enim sunt causæ ei, qui Archipresbyter hîc tam diu fuerit, quàm vna, *fidei*: sat illi quod viuit *ex fide suâ*, fide (inquam) suâ *Iuramento suo* datâ. De cætero, quòd in custodiâ est, custodia illa fortasse facit, non tam ne liber sit, quàm vt in viuis sit: vt quæ, illum ab insidijs custodiat, quæ, si vt antea aberraret, non difficilè illi intentari possent. Sed illud à te factum malè, quod omittis loco hoc, quo minimè omnium oportet, *sententias illas labefactatrices potestatis Pontificiæ*. Si noluisti id in gratiam nostram facere, at dedisses hoc *Archipresbytero*, qui labasceret fortè, si *labefactatam* ibi cerneret Papę authoritatem, *authoritatem* dico quam à Deo habet, non quam sibi nuper in Reges per fas, nefásq; arrogauit. Quare, & *sententiam illam* quam tu, quasi Delphica esset, ad omnes vsus accommodas, retorqueret in te; *obedire* enim *se Deo*, qui *dat salutem Regibus*, dum *Regem saluum* vult, *magis quàm hominibus* malè conciliatis, (quorum te, in numero fortè habet) qui *Pontifici obtruditis*: *magis* quàm *Pontifici* ipsi, qui cupidè *arripit* potestatem in salutem Regum, quam *Petrus*, nec *exercuit* vnquam, nec *habuit*, vt *exerceret*.

Tum etiam amicè te admoneret, etsi familiaris eius olim, Cardinalis non dixit in Epistolâ totidem verbis, *de reijciendâ Regis gratiâ*: tamen *cùm suadeat* de Iuramento facilè abiurando, quod ille, diu antè deliberatâ re, suscepit (saluâ autem, tum conscientiâ, tum pietate, quas nullâ in re, ex eo sibi læsas sentit) *cùm* hoc (inquam) *suadeat*; id ex eo consequi, vt *gratiam*, quam ei fecit Rex benignam atque vberem, ingratus reijciat. Contineri verò in Epistolâ, non ea solùm, de quibus verba ibi fiunt, sed & ea, quæ inde consequuntur. Quod nisi te præceptor hoc olim tuus, *Papiæ* docuerit, eum te magno precio nihil

nihil sapere, docuisse. Interim verò *aliam Basilij causam* fuisse, quàm sua est; Valentis hoc exemplum non valere quicquam; sibi in animo non esse, reducere calculum; facti enim non pœnitere.

QVò pergit autem vlteriùs, vergit semper in deterius Cardinalis. Quale verò peccatum peccauit Archipresbyter? Peccatum *Iuliani, Valentis, Marcellini, Petri: Apostatæ, hæretici, idolis sacrificantis, Christum cum anathemate abiurantis.* Quò verò hæc? nisi vt præcipitem agat veterem olim amicum Cardinalis, in *barathrum* ipsum *desperationis.* Accedit ergò iam *Cõsolator Tortus*, & meliùs sperare iubet: non enim *ex toto* illos imitatum esse, nec planè in *Apostasiam, hæresin, Idololatriam, blasphemiam* demersum esse. *Aliquâ* ergo *ex parte* mitigat, aliquâ verò ex parte relinquit; vt, *non omni ex parte* sit; sit tamen hæc omnia: non tam quàm *illi* reus, sed reus tamen eorundem criminum: vt minor quantitas sit, eadem substantia. At ille, pueris vos ista narrare iubet; se *omni ex parte* illis dissimilem: inspexit in omnes *Iuramenti* partes, excussit singulas, nusquam ibi *Iouis Linteum*, non *Multi Dij*, nihil *quò minùs Christus sit Deus*, non *Ara*, vel *Victima*. Quare nec illud quidem vestrum agnoscit [*aliquâ ex parte*] nec Lapsum suum minorem, sed omnino nullum fuisse.

Neque ipse tibi tamen constas. Postquam enim similitudinem sic, *aliquâ ex parte* posuisses, statim eodem spiritu, negas planè *similitudinem in lapsu positam, sed in causâ.* Nec id tamen verum est. Non enim aliud ibi agit Cardinalis, quàm quia in *Lapsu similis* fuit, in eo quoque *similis* sit, vt de *prolapsione* resurgat. Quorsum autem de *causâ* curaret? Neque enim si cecidit quis, id valdè ad rem, quomodo aut quâ tandem ex *causâ* ita cecidit; sed vt de casu suo, se quàm primùm erigat. Tu verò omnium hominum ineptissimus, qui *causam* tam accuratè enarras *casus* sui, ei homini, cui *stare* se etiam, virtute Dei, nec omnino cecidisse persuasum est. Rectè ergo vobis regerat, quod olim *Iob* amicis suis, [a] *Onerosi consolatores estis ambo.* At illud certè non malè, quod ad lapsum suum corrigendum, qui *certæ fidei* non erat: hortati estis eum, ex Historiâ *fidei non certæ*, Marcellini Historiâ, vt similia inter se essent, *à quo* hortatio sumpta, & *ad quid, incerta* vtráq;. Multũ [a] Iob 16.2.

colore, imò *ſubſtantiâ ipsâ* mendacij affirmat hoc *Tortus*: affirmat etiam *suprà ſibi demonſtratum eſse*, quod neque *suprà* neque *ſubter*; neque factum eſt, neq; *fiet* vnquam. Nec eſt enim ibi, vt *monſtrari* poſsit, nec verbum ibi pertrahi poteſt ad *Sacram obedientiam*, aut *Primatum Spiritualium*: nec cui candor inſit vllus, ſi legat, relegatque Iuſiurandum vel millies, tale quid ex eo vnquam eruat: *Tortum* autem, quaſi *monſtrum* habeat, qui id ibi *monſtrari* poſſe autumat.

Dicendum illi iam erat, de ſuâ illâ *maximâ ſimilitudine Regis & Iuliani*, quoad *Idololatriam*. Non potuit miſer; vidit Regem, vt initio à Iuliani *Polytheiſmo*, ita hîc ab *Idololatriâ* abeſſe quàm longiſsimè. Vtriuſque quidem maculam fœdam, ſed Idololatriæ hanc imprimis, *ſibi & Catholicis ſuis* adhærere; *Defenſionem* ſibi potiùs *pro ſe*, quàm *Accuſationem* vllam *in nos* inſtituendam hîc eſſe. *Vbi, quâ parte* ſit Idololatria, facilè videt, non *noſtrâ* ſcilicet, ſed *ſuâ*. Vnus enim hic articulus inter multos, quorum cauſâ, Papiſtæ, Hæretici à nobis (hâc quidem in re) verè Catholicis, cenſeantur. Hinc autem vt ſe explicet, inducit ſe in nouâ *Hæreſin*, neſcio dicam an *veſaniam*, an *vtrâmque*; *vtrâque* enim eſt. *Se quidem Idololatras non eſſe, idola non colere, quòd ſcilicet colant imagines rerum exiſtentium: Eas autem Idola non eſſe, quòd Idolum, non niſi imago ſit rei nuſquam exiſtentis.* O iecur Theologiæ! Nec aduertit homo acutus, dum hoc dicit, apertè ſe & *Moſi*, & verò etiam *Deo* ipſi contradicere, qui Lege ſuâ, quâ vetat *Idola*, vetat fieri *omnem ſimilitudinem eorum, quæ in cœlis ſunt, vel in terrâ vel in aquis ſubter terram*, quæ ſunt *Omnes* puto *Res alicubi exiſtētes.* Tam *Torto* cum Deo præclarè conuenit; vt abſterreat Deus, *à cultu ſimilitudinis omnis Rerum quæ vſquam exiſtant*: Tortus autem contrà iubeat, *Faciant* verò, *colant* etiam *ſimilitudines Rerum vllas*, ſi modò exiſtant vſquam. *Idola* enim (quicquid dixerit Deus) non eſſe niſi *imagines* ſolas Rerum nuſquam exiſtentium. Quare ex nouâ Theologiâ *Torti* dum Res modò *exiſtat*, in cœlo, terrâ, aquis, ſubter aquas, ſit vel *malus Dæmon*, *coram eo* incuruare ſe, & *in eo Deum adorare* poſſe. Ad hanc enim inſaniam nuper iam deuentum eſt, eámque libris editis docent, & defendunt boni Theologi, in eóque rem agunt Apoſtatæ *Iuliani*, qui ſi viueret iam, hoc idem ipſe pro

ſe di-

se diceret: non se *Iouem lapidem*, sed *in lapide Iouem* adorare; atque id multò minùs absurdè quàm [a] Vasquius *in Diabolo Deum:* vt si quærat iam quisquam vbi illa similitudo *maxima*; reperiet inter duos *Pontifices Maximos*, *Iulianum* & *Papam*, in hâc quidem *maximam:* atque similitudine hâc sensim discessionem fieri à *Christianismo* ad *Paganismum*, à *nouo* iam isto *Iuliano*. [a] Lib.3.num. 31.7.

Proxima huic, *de modo* collatio. Iulianus *subrepsit incautis:* Rex nec ab *incautis* suscipi vult, nec *incautè*, sed sumpto ad cogitandum spacio. Nec *surrepsit:* nihil enim proponit ibi nisi explicatum & planum. Hîc verò *Tortus*, crassum se fingit, & simplicem, vt qui vias *planas*, ab *asperis* nequeat discernere; sed in *planitie ipsâ* impingat in montes, nec vbi sint indicat tamen, nec *de modo* dissimili vel verbum facit, aut totâ de re. Tantùm scias vbi ægrè illi sit; vbi dolor; iterum iam, & iam & semper ad *negatam Pontificis potestatem* manum habet, ibi dolor est, is mons est, quem *in planitie*, non sentit, sed somniat. Sed annon modus dissimilis? Nam quicquid hîc *negatur*, *apertè negatur*, nemini subrepitur incauto. *Non posse Pontificem ab obedientiâ Regis subditos absoluere*, dicitur ibi dilucidè, disertè, non tectè, non tortuosè. Nec enim, quâ *Ille Rex* est, quâ *illi subditi*; *potestas* vlla in illos Pontifici; tantùm quâ *Christiani*. Reliqua ne dicuntur quidem, quæ tu ibi fingis. Non dicitur, *Iuro non esse parendum excommunicationi Pontificis:* quin *parebit*, quousque locum habet Censura Ecclesiastica, in *Sacris*, in *rebus Ecclesiæ:* in *Politicis* enim Censura locum non habet. Sed neque illud dicitur, *Iuro Pontificem ab hoc Iuramento me liberare non posse, quia legitimâ plenâq; authoritate mihi ministratum est.* Disiuncta sunt ibi hæc, nec *posterior prioris* causa, nec quia *legitimâ authoritate ministratum*, sed quia *legitimum*, ideo liberare non potest. Potest enim & *legitima authoritas* esse, quæ *ministrat*, & *Iuramentum* interdum *minùs legitimum*, quod ministratur. Hîc verò, & quod defertur *Iusiurandum*, & à quâ defertur *authoritas*, legitima vtraque, vt neutro nomine detrectari debeat.

Benè autem habet, quòd *omnes naturaliter horrent*, quæ ibi *de Proditionibus*, *Conspirationibus*, *Regiæ personæ violentiâ & cæde*. Benè quòd hoc Tortus *fatetur* tandem; si tamen *fatetur;* nec

 reser-

reseruatam habet in mente euasionem (*nisi Pontifex illa præceperis*) Quid ergo? non vel illa iurent, se nullius *Proditionis, Conspirationis in Regem, vis vel cædis Personæ* eius inferendæ conscios fore, vel participes, *ne si id ita iubeat Pontifex*? Nec tamen nescius est, quò tendant illa, *absoluere ab obedientiâ, interdicere ne pareant*? Vbi eò ventum; *Proditiones, Conspirationes, Cædes, quas ita naturaliter horret*, non longè abesse? Ecquando enim visum, qui *parêre* semel Regi noluit, vt ei religio fuerit *conspirandi*; aut cui *conspirandi* religio non fuit, fuerit vlla, *vim afferendi*? Consequuntur ista se mutuò, & ferè ita semper factum est, si semel interdixit ne pareant, edixit non ita multò pòst, vt arma teneant. Quæro enim, cùm *absoluti*, vt Regi ne *pareant*, cui parêre eos velit Pontifex? Non enim *nulli*; non fauet *Anarchiæ*. Ergo *alij*, cui Regnum in prædam addixit. Quid ille vero? annon *æmulum suum* primo quoque tempore *cæsum* vult? Reliquum est, vt qui *naturaliter horrent* hæc *facientem*, *naturaliter* etiam *horrere debeant*, ad hæc subditos *soluentem*, & ab eo *Iuramento*, quo cauentur hæc, Breuibus suis *arcentem*, atque *absterrentem*.

Vltimum autem est; *Iuliani* omnia eò facta, vt *Idololatriam* perpetrarent subditi: *Rex* & ipse, & subditi *ab Idololatriâ* remotissimi; atque adeò *non boni Catholici* (stilo nouo) quòd adeo *remoti*. Hæc, vel primò intuenti *dissimilitudo* summa: *Tortus* verò sic *torquebit*, vt *similitudo* summa sit. Neque tamen, nuper natâ hac suâ *Idoli* definitione, excutiet à se *Iulianum suum*. Dicet enim, *extitisse* initio *Iouem* suum paulò ante tempora Heroica, *Saturni* atque *Opis* filium: reliquos autem, quos colit *Deos, Iouis Sobolem* fuisse. Ita, ne se quidem *Idola colere*, magis quàm *Tortum*: non enim *Chimæram*, vel *Tragelaphum*, non corpus humanum cum capite equino, nec *imaginem* vllam, nisi rei quæ aliquando *extitit*. Tum, quòd *Tortus Idolum* esse dicit *imaginem* falsi Dei; agnoscet etiam & hoc *Iulianus*; & de *Torti* Sanctis illis *haud vllum, verum Deum* fuisse, *Tortum* collegam suum statim admonebit. Quid restat igitur, quàm vt ruant alter in alterius complexus, atque de summâ hâc inter se *similitudine* mutuò gratulentur?

Nam quod Apostolum pertrahere cupit ad se, quòd is *Idolum nihil esse* dicat; nihil dicit. Non enim alio sensu *Idolum*

nihil esse dixit Apostolus, nisi quantum *ad id, quod esse putatur,* *rem* scilicet, *quam refert non habere*, nec *vim vllam*, vt vel *iuuet* quicquam vel *noceat*, & (quod erat tibi instituti Apostolici) vt cibum vel *sanctificet*, vel *polluat*. Hæc vna Patrum, vna omnium interpretum mens, deque eo expressè cauent, ne cum *Torto* tam plumbei simus, vt venisse vnquam putemus Apostolo in mentem, vt *planè nihil* putârit esse: cùm & *materia* Idoli aliquid sit, vt lapis, lignum, metallum; & *forma* ab artifice in materiam inducta, *aliquid* etiam; nimirum *qualitas*: sed quoad id *quod refert*; id, *pro quo fit* vel *colitur*; id, quod illi *de Idolo sentiunt*; eâ quidem ratione *nihil* esse: proinde, *nihil in mundo*, dixisse. *In mundo* quidem, non in vltramundanâ, non in Metaphysicâ *Vasquij* vel *Torti* phantasiâ, in quâ *aliquid* est, quod *nihil* est; & *alicubi*, quod *nusquam*. Phantasmata hæc mera sunt, & cerebri vestri Idola. Illa verò etiam dementia tua, vt quenquam existimes tam dementem, qui eo sensu *Imagines*, vel Christi, vel Sanctorum Idola putet, quòd Christus, vel Sancti *nusquam* sint, vel *nihil*. Scis ipse (nisi non vis scire) eas alio longè sensu *Idola* à nobis haberi; quo scilicet sensu, Idolum erat Serpens æneus, qui *imago Serpentis* fuit, *Serpentis* dico, proin *rei existentis*; & tamen *Idolum*, quòd cultus iam abusum pateretur. Quâ ratione, etsi Dei iussu conflatus fuerat *Serpens* ille, etsi miraculis insignis, etsi Christi ipsius Symbolum: tamen cùm abusus illos pateretur (neque tamen tantos, quantos quotidie patiuntur Imagines apud vos) ab *Ezekiâ* sine scrupulo comminutus est: vt &, si *Ezekiam* vos haberetis vllum, vestræ quoque illæ essent comminuendæ.

b Neque verò *Anathema* illud *Septimæ Synodi* quicquam ad nos. Non enim Imagines, seu Christi, seu Sanctorum, *Idola* nominamus. Non sunt, quâ à se certè; sed tamen *Idola fieri* posse dicimus, quâ à vobis; non minùs quàm *Serpens æneus* à Iudæis, tum demum scilicet, si *adorentur*. Sunt enim *similitudines eorum, qui in cœlis*, coram quibus prociditis, quásque *colitis*; quod disertis verbis vetitum, lege Diuinâ. *Imagines* ergo in se, *Idola* autem *Torto*, vbi colere occepit: quo facto, & ille, & qui idem cum illo faciunt omnes, *Idololatræ* sunt.

ACcedit iam *Tortus* ad exemplum *Eleazari*: impeditus in viâ nonnihil *comitijs*, & *nugis*, quæ tamen *omittit* semper,

 dimittit

plurâ Diuinâ, quo detractio obedientiæ stabiliatur. Et *quærit* quidem, sed nullum *Torto* ad manum erat, *nullum profert*; & dum *nullum profert*, nullum fatetur esse: Sed si velis *pro stabilienda Pontificis potestate*, tum verò habere se in promptu. At hoc nemo *quærit*. Quorsum enim? Quia *labefactatur Iuramento potestas illa.* Ne id quidem; intra limites suos tantùm concluditur, vt decurrat alueo suo, ne exundet in negotia quæ *Ecclesiæ* non sunt, sed *Sæculi*; quæ inter *Principem* sunt & *Subditos officia*, ijs ne se immisceat; reliquis in rebus stabilis Pontifici potestas & immota maneat. Verùm omninò audiendæ nobis sunt, quæ annotatæ illi sunt sententiæ pro Pontifice suo stabiliendo. Credo equidem vix venales, ita obtrudit. Agedum, inspiciamus. In *Deuteronomio* præceptum est; *Satis apertè ibi legitur, Qui superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, &c. Satis* ibi aliquid *apertè* legitur, sed non *satis integrè* citatur. Quid enim? an *imperio Sacerdotis* vtcunq; , qualicunque? An *Aaronis imperio*, vitulum adorare iubentis? An *Abiathari imperio*, contra *Salomonem* cum *Adoniâ* conspirantis? An *Caiphæ imperio* Christum morte dignum pronunciantis? Non opinor. Est ibi, præter ea, quæ *Torto* citare visum, vel *suprà* paulò vel *infrà*, quod doceat nos quali Sacerdotis *imperio*; id *Tortus* non bonâ fide celauit. Ita præcedentia verba habent, *Imperio Sacerdotis iuxta Legem Dei docentis*, tum, sequêris sententiam eius; tum *si superbieris nolens obedire*, currit Lex ista contra te, Iam verò noua lis; An *docuerit* nos *Paulus quintus* Breui suo *iuxta Legem Dei*; imo lis nulla: Non enim docet ibi *iuxta Legem Dei*, ne docet quidem, loquitur *sine lege*, iubet, terret, ex mero imperio agit in Breuibus suis, non est *Sacerdos iuxta Legem Dei docens.* Non ergo præcepto hoc vlla eius potestas stabilitur.

Placètne etiam exemplum eius inspicere? dices non magis appositum. *Horrendum Dei iudicium in* Core, Dathan, & Abiron, *propter schisma & defectionem à* Mose *&* Aaron, *qui tum summi Sacerdotes.* Hîc, ne exemplum eius periret, necesse habuit *Duos* simul eodem tempore *Summos Sacerdotes* creare. *Duos* autem *Summos?* Phocâ nobis opus est, vt vter hîc summus, *Romanus* an *Constantinopolitanus:* Concilio *Pisano* opus, vt, *Gregorius* an *Benedictus* vter *Summus*, expediat. Quod si *duo*

Summi, quid *Phocâ* opus, quidue *Pisano* Concilio? Sint *Cyriacus* & *Bonifacius*, sint *Gregorius* & *Benedictus*, vt *Moses* & *Aaron*, *Summi ambo*; Credo autem non æquis oculis aspecturum *Paulum quintum* doctrinam hanc de *duobus Summis*; & *Censori Vosmero* malam gratiam habiturum, quòd ita oscitanter hunc locum prætericrit. Mallet enim omissum *inter nugas Torti & conuitia*, horrendum hoc exemplum, quàm ita adhibitum, vnde suboleat cuiquam *plures vno Pontifices Summos* vnquam extitisse; ad illud exemplum, *plures vno* iam posse existere. Puto etiam ad illorum hæresin accessurũ Pontificem non inuitum, qui postquam à Deo vocatus *Aaron*, *Mosen* exauthoratum sentiunt; nihil *Mosi* pòst, cum *Pontificatu* fuisse. Magis ad rem Pontificis, magis ad gustum opinio illa; qui mallet *fratrem nullum* habere (ne *Mosen* quidem) quàm non solus *pontificari* sine *fratre*.

Ne labascat authoritas Papalis, vides quæ fulcra suppo-suerit *è Veteri*, vult etiam & *de Nouo*; exorari non potest: sed non noua, vel de *nouo* edolata, imò *vetera* illa, quæ iam tempus erat vt respirarent paululùm, ita vexata diu, ita sæpe angarias passa; *Quodcunque ligaueris*; & *Pasce oues*. Prius illud, dictum à Christo, *non Imperatori vel Regi*; debebat autem addere, cùm *multi* tum Imperatores essent & *Reges* Christiani; atque ita aliquid diceret. Nam cùm nullus tum esset cui diceret, quî potuit *vlli dicere?* Quanquam etiam, si tum *Reges* fuissent, non dedisset illis ligandi, soluendique potestatem: nec Imperator illam, nec Rex vllus vendicat: quare frustra adiectum, *Non Imperatori vel Regi. Petro autem dictum illud*, *Petro*, *quem vicarium constituit super familiam suam. Sitonomum*, credo, dicere voluit, quem dixit *Vicarium*, cui *de tritici mensurâ distribuendâ* munus incumbit. Verùm esto. Quis ille ergo ibi, *quem constituit super omnia quæ possidet?* Ei enim, qui *super familiam* constitutus σιτομέτριον cuique dando, & munere suo probè perfunctus fuerat, merces hæc est, *super omnia quæ possidet Dominus constitui*. Mallet posterius hoc Papa; vna enim illi *tritici cura* nimis angusta est. Locus malè adductus, non satis in eo rem egisti, vel *Petri*, vel *Pauli quinti*.

Sed *ligat*, & *soluit Petrus*. *Liget* verò, & *soluat*, sed *iniusta vincula*; *Vinculum*, quo Principi subditus ligatur, *iustum* (etsi

Principi dyscolo) *& secundùm voluntatem Dei*,[a] ait *Petrus* ipse; quare *Petrus* haud solueret? *Debitum*, idque *ex debito conscientiæ* maximo, ait [b] *Paulus*; quare nec *Paulus*. Siquis ergo Pontificum soluere *præsumpserit*; *iram Omnipotentis Dei*, *& Apostolorum eius* Petri & Pauli *se nouerit incursurum*. Verùm & *mandauit vt oues suas pasceret*; sanè, mandauit; & in eo, *Ouibus etiam*; *vt se pasci regique permitterent*. Stabiliuit ergo potestatem eius, *potestatem pascendi*, quis negat? Sed duo hæc Deus ipse nos docuit opposita esse: *Pascere*, & *cum austeritate imperare*; *ac potentiâ*. *Austerum* autem *imperium* hoc, *amarum pabulum*; *Regi ne iurate*; *Quod iurâstis iuramentum eierate*; *Regem deserite*; *Regi alij adhærete*, *cui ego Regnum concessero*. *Suffocat*, non *pascit* doctrina hæc. *Eleazarus*, aut cuicunque bona mens, non magis eam gustaret, quàm *carnes porcinas*.

a 1. Pet. 2. 19.
b Rom. 13. 5.

Ad rem verò vel maximè *Iuramentum Saulis*, sed non vestram. Ad arma clamatum est; ingruebat hostis, defuit tempus; deferri non potuit singulis; simul omnes adiurauit. Etsi autem Rex solus *suscepit*, nec vir quisquam de populo: tamen quasi singuli suscepissent, ita religio fuit omni populo illud violare; etsi fatiscerent iam, etsi deliquium paterentur; mori illis satius fuit, quàm *Regis iusiurandum* transgredi. Fuerit verò temerè emissum; fuerit per illud, non satis consultum victoriæ suæ; qualecunque fuerit; at Populus tamen interim, quàm sollicitus de eo seruando? Vides, vt exhorruit ille, qui *Ionathanem* vidit de melle gustantem. Quanta tum *cura Prophetis* edocendi populum, vt [c] *os Regis obseruarent*, *& præcepta iuramenti Dei*? Quanta autem *Legum seueritas*, vt moriendum esset illi, qui *Regem adiurantem* audîsset, nec quasi ipse iuratus esset, ita se, & non minùs, *iuramento Regio* constrictum putaret? Quid quærimus? Datæ sunt *sortes*. Deus ipse *de sinu suo ostensionem* dedit, & quasi protraxit ad pœnam *Ionathanem*, de spreto *iureiurando Paterno*. Hæc eò adducta vt doceant, *quanti* olim fuerit *iusiurandum* quo Rex suos constrinxit, quanta eius religio, quam nemo detrectârit. Tu aliorsum trahis, & temeritatem eius inculcas; sed frustrà. Esto enim temeritas in *Saule* fuit, quam luit penè periculo Primogeniti. At argumenti maior ex eo vis est, magis vos stringit. Si enim

c Eccl. 8. 2.

populus

populus Dei *iuramento* tum tantum *detulit*, tam *parum consulto: diu multùmq; consulto*, Comitijs Curiatis legitimè rogato, quale hoc nostrum est, plus adhuc multò magisque *detulisset*; vester quoque populus si Dei esset, non minùs deferret.

AD *Basilij* exemplum, agnoscas *Tortum* statim ex responso suo. Par sanè fuit, nec iniquum ibi postulabat Apologia, quæ inibi erant *verba* planè *proxima*, à Cardinale apponi, nec ita sententiam decurtari: Esse enim verba illa nonnihil ad rem. Hîc *Tortus* more suo, *proteruè* primùm. *Noluit Bellarminus librum Theodoreti describere.* Lineæ sunt vix duæ, quas adiectas cupiebat; lineas vix duas addere, hoc est *Torto* Theodoreti *Librum totum* exscribere. Quàm importunè! Verùm antiquum hîc obtinet. Vbi priùs, rationem aliquam allatam voluit Apologia in Breui; hôc ipso dicebat, pertrahere nos Pontificem *ad disputandum in Scholis Theologicis*, vel *ad librum integrum in Theologiâ conscribendum.* Quod sex aut octo Lineis absolui poterat, id erat tum illi *Librum conscribere*: quod *Lineâ vnâ*, atque alterâ potest, id est illi iam *Theodoreti Librum describere.* Auferte autem istam proteruiam. Pòst verò effert (homo garrulus) consilium Domini sui, & fatetur id quod res est, *quod ad rem suam facit, hoc Bellarminum adducere voluisse.* Cur autem *adducat, quod ad rem suam non facit?* At hoc iam ingenui non est; *Locum integrum* adducat, *faciat* ad rem suam, *non faciat*; id bonæ fidei est, de quâ non valde se torquet *Tortus*, agat eâ, an non agat Dominus, nisi *faciat ad rem suam.* Nescias, *proteruè* magis hîc ab eo responsum sit, an *ineptè.*

Tandem etiam, *magni pendere Regis amicitiam* dicit *Cardinalem.* Quod si faceret, næ ille rationes longè alias iniret, eius *conciliandæ*; nec si eam quæreret, factum Eius satis à se legitimum, quodque nemo est, qui meliorem in partem non possit interpretari, ita totus operam poneret, scriptiunculis suis odiosum reddere. *Exempla* sibi seligeret longè *alia*, & *personarum*, quibuscum Regem; & *rerum*, quibuscum Regis in eo consilium exæquaret: terminos etiam qui magis deceant (quíque ei non desunt, si ita animatus foret) adhiberet. *Cum pietate verò* dicis; Quidni? Et est hîc pietatis satis, eiusque *summa* in patriam, prolem, Principem, addo, & Deum ipsum,

sum, in summâ contra hos omnes impietate reprimendâ. Sed *pietatem cauet* Cardinalis, ex Pontificis arbitrio *pius, pietas* illi tota ex eo pendet: quod illi placet *pium* est; quod secus, *piandum*. Fruatur sanè hâc *pietate suâ*.

At etiam *Tortum* malè habet, *longa narratio de Valente, adhibita solùm, vt liber grandior redderetur.* Non adeo verò grandescit liber *paginâ* vix *vnâ*; *factum* narrare opus erat, non vt *Liber grandior*, sed vt *fraus* ibi vestra *apertior* redderetur. Nec *illud* priùs à vobis positum: at *Breue vtrumq;* & *non breuis Epistola*, priùs in Apologiâ posita, integra iterum à vobis reposita sunt. Et ea quidem constant non *vnicâ*, *sedecim* ad minus *paginis*; non hoc credo, vt liber tuus multò *gracilior* redderetur. Poterat quidem, has verè *nugas omittere omissor* iste *nugarum*. Illa verò non rectè à te instituta *comparatio*; quî potuit rectè à *Torto?* Non debuit cum Ariano *componi* osor *Arij*, atque Arianorm omnium; etiam *Liberij* Pontificis, quâ in Arianam hæresin subscripsit. Tum causa longè dispar. *Valentis* persecutio Catholicorum fuit, *quòd Catholici* essent, quòd CHRISTVM *Deum* dicerent: vestra si qua est vexatio, ex causâ multum dissimili, quòd *proditores estis*; *quidam* certè fuistis, *reliqui* eiurare non vultis *proditionem*, *non obstante Pontifice* quem CHRISTI *Vicarium* dicitis; atque in eo CHRISTVM infamatis, quasi ille obstare vellet *Vicarium vllum suum*, ne Reges tuti, *Subditi* fideles sint. Quæ, si *Catholicorum olim* causa fuisset apud *Valentem*, non ille tum Ecclesias presbyteris *nudâsset*, sed Ecclesias ipsas cum presbyteris simul, adeoque nomen ipsum Catholicum *eradicâsset*. Quodsi *Basilij* hæc tum causa fuisset, qui *diuinis innutritus erat sermonibus, saluâ pietate, non renuisset Imperatoris gratiam*: sed quam *Iuliano Apostatæ*, vix ante annum; eandem iam *Valenti Ariano* fidem, atque obedientiam ciuilem lætus lubens detulisset: nec à *Liberio* sententiâ expectâsset, an Imperatori fidelis esse posset, quanquam obstaret ipse Pontifex; quin, si Ille Breui aliquo suo obstitisset, *Illum cum Breuibus suis* valere longùm iussisset.

Atqui illa *Dogmatis subtilitas* quam dicis, ad vestras *æquiuocationes* non malè quadrare posset: tenues enim certè sunt, nec araneatum telæ, magis eis subtiles: Ad *Iuramentum* nullo modo possunt; cauetur ibi *contra illas* apertè, lumen ibi appo-

Ss nitur

nitur, contra colores vestros. De *negato* autem ibi *Primatu*, vide an persuadere possis *nuper-Archipresbytero*. Ille verò & Iusiurandum iurauit, & zelator tamen est Primatus, quàm *iniuratus*, tàm *iuratus*; nec occultè in eo vspiam latêre deprehendit, quam vos fingitis abnegationem; & vos si colorem vllum ibi cernitis nisi candidum, *strabos* & *tortis oculorum radijs esse iurabit*. Quære verò ex *Illo* (si credis Illi) qui optimè tibi potest, & libentissimè vult confirmare, nec *interrogatum se* de causâ *fidei* vel *religionis*. Comprehensus est, etiam detinetur ex aliâ causâ. Plures enim sunt causæ ei, qui Archipresbyter hîc tam diu fuerit, quàm vna, *fidei*: sat illi quod vixit *ex fide suâ*, fide (inquam) suâ *Iuramento suo* datâ. De cætero, quòd in custodiâ est, custodia illa fortasse facit, non tam ne liber sit, quàm vt in viuis sit: vt quæ, illum ab insidijs custodiat, quæ, si vt antea aberraret, non difficilè illi intentari possent. Sed illud à te factum malè, quod omittis loco hoc, quo minimè omnium oportet, *sententias illas labefactatrices potestatis Pontificiæ*. Si noluisti id in gratiam nostram facere, at dedisses hoc *Archipresbytero*, qui labasceret fortè, si *labefactatam* ibi cerneret Papę authoritatem, *authoritatem* dico quam à Deo habet, non quam sibi nuper in Reges per fas, nefâsq; arrogauit. Quare, & *sententiam illam* quam tu, quasi Delphica esset, ad omnes vsus accommodas, retorqueret in te; *obedire* enim *se Deo*, qui *dat salutem Regibus*, dum *Regem saluum* vult, *magis quàm hominibus* malè conciliatis, (quorum te, in numero fortè habet) qui *Pontifici obtrudutis*: *magis* quàm *Pontifici* ipsi, qui cupidè *arripit* potestatem in salutem Regum, quam *Petrus*, nec *exercuit* vnquam, nec *habuit*, vt *exerceret*.

Tum etiam amicè te admoneret, etsi familiaris eius olim, Cardinalis non dixit in Epistolâ totidem verbis, *de reijciendâ Regis gratiâ*: tamen *cùm suadeat* de Iuramento facilè abiurando, quod ille, diu antè deliberatâ re, suscepit (saluâ autem, tum conscientiâ, tum pietate, quas nullâ in re, ex eo sibi læsas sentit) *cùm* hoc (inquam) *suadeat*; id ex eo consequi, vt *gratiam*, quam ei fecit Rex benignam atque vberem, ingratus reijciat. Contineri verò in Epistolâ, non ea solùm, de quibus verba ibi fiunt, sed & ea, quæ inde consequuntur. Quod nisi te præceptor hoc olim tuus, *Papiæ* docuerit, eum te magno precio

nihil

nihil ſapere, docuiſſe. Interim verò *alium Baſilij cauſam* fuiſſe, quàm ſua eſt; Valentis hoc exemplum non valere quicquam; ſibi in animo non eſſe, reducere calculum; facti enim non pœnitere.

QVò pergit autem vlteriùs, vergit ſemper in deterius Cardinalis. Quale verò peccatum peccauit Archipresbyter? Peccatum *Iuliani, Valentis, Marcellini, Petri: Apoſtatæ, hæretici, idolis ſacrificantis, Chriſtum cum anathemate abiurantis.* Quò verò hæc? niſi vt præcipitem agat veterem olim amicum Cardinalis, in *barathrum* ipſum *deſperationis.* Accedit ergò iam *Cõſolator Tortus*, & meliùs ſperare iubet: non enim *ex toto* illos imitatum eſſe, nec planè in *Apoſtaſiam, hæreſin, Idololatriam, blaſphemiam* demerſum eſſe. *Aliquâ* ergo *ex parte* mitigat, aliquâ verò ex parte relinquit; vt, *non omni ex parte* ſit; ſit tamen hæc omnia: non tam quàm *illi* reus, ſed reus tamen eorundem criminum: vt minor quantitas ſit, eadem ſubſtantia. At ille, pueris vos iſta narrare iubet; ſe *omni ex parte* illis diſsimilem: inſpexit in omnes *Iuramenti* partes, excuſsit ſingulas, nuſquam ibi *Iouis Linteum*, non *Multi Dij*, nihil *quò minùs Chriſtus ſit Deus*, non *Ara*, vel *Victima.* Quare nec illud quidem veſtrum agnoſcit [*aliquâ ex parte*] nec Lapſum ſuum minorem, ſed omnino nullum fuiſſe.

Neque ipſe tibi tamen conſtas. Poſtquam enim ſimilitudinem ſic, *aliquâ ex parte* poſuiſſes, ſtatim eodem ſpiritu, negas planè *ſimilitudinem in lapſu poſitam, ſed in cauſâ.* Nec id tamen verum eſt. Non enim aliud ibi agit Cardinalis, quàm quia in *Lapſu ſimilis* fuit, in eo quoque *ſimilis* ſit, vt de *prolapſione* reſurgat. Quorſum autem de *cauſâ* curaret? Neque enim ſi cecidit quis, id valdè ad rem, quomodo aut quâ tandem ex *cauſâ* ita cecidit; ſed vt de caſu ſuo, ſe quàm primùm erigat. Tu verò omnium hominum ineptiſsimus, qui *cauſam* tam accuratè enarras *caſus* ſui, ei homini, cui *ſtare* ſe etiam, virtute Dei, nec omnino cecidiſſe perſuaſum eſt. Rectè ergo vobis regerat, quod olim *Iob* amicis ſuis; [a] *Oneroſi conſolatores eſtis ambo.* At illud certè non malè, quod ad lapſum ſuum corrigendum, qui *certæ fidei* non erat: hortati eſtis eum, ex Hiſtoriâ *fidei non certæ*, Marcellini Hiſtoriâ; vt ſimilia inter ſe eſſent, *à quo* hortatio ſumpta, & *ad quid, incerta* vtráq;. Multũ

[a] Iob 16.2.

 autem

autem rem vestram iuuat, quod subiungis: *Satis* id esse instituto vestro, *etsi dubia historia illa, quòd communi tamen consensu recepta sit.* Sic est certè. Multa quæ *dubia fidei, recepta* apud vos *communi consensu*; atque dum *ita recepta* sint, vobis id *satis: certa* an *dubia*, *historia* an *fabula*, parum refert; æquè procedit res vestra. Hæc *Tortus* ipse nobis, *ex ore proprio.*

Sed vana *Torti consolatio*, & mendax; recrudescit vulnus. Quò enim non *causâ*, sed *lapsu* similem, & non *multo minorem*, (vt *Tortus* fabulatur) sed *grauem inprimis* Archipresbytero lapsum suum fuisse constet, *adduci* dicit Cardinalis *in discrimen* Iuramento Regio, *vnum ex præcipuis fidei nostræ capitibus, ex præcipuis religionis Catholicæ fundamentis.* Quasi scilicet Archipresbyter Iuramentum iurando, *præcipuum* illud *fundamentum* & *caput* eiuràsset. Quid grauius vel *Petrus* commisit, vel *Marcellinus*? in *caput* tantùm *fidei præcipuum*, in *fundamentum* modò *religionis* vtérque commisit. Idem, & *non minor* lapsus Archipresbyteri, Cardinale censore. Et *Tortus* ipse magni momenti fatetur esse, dum *Gregorium* adduci fatetur à Domino suo, vt doceat *quanti momenti* sit, Primatum Apostolicum denegare; quod scilicet Iuramento fit; quod, eo suscepto, fecit Archipresbyter. Verùm *Primatus* ibi *Apostolicus* non negatur; absit verò: *Papalis* modò, qui longè distat ab *Apostolico*, superátque illum multis gradibus. Neque verò *Papalis Primatus* pars vlla natiua; struma tantùm adnata, quæ neque *caput* est, neque *cauda fidei Catholicæ.* Ad *Papalem* autem *Primatum* confirmandum adduci *Gregorium*, (quo, vix quenquam magis ab eo constat abhorruisse) id verò *fidem* omnem *superat.* Verùm quò magis *superat*, eò magis Cardinale dignum; cuius non est probare, nisi quæ *paradoxa* mera sunt.

DE *Gregorio* ipso, pauca *primùm*; *pòst* autem de *sententiâ* ipsius. *Torto*, hæc iam mora debetur, qui ex ingenio suo quod in Apologiâ rectè positum, peruertit per calumniam. Dixit ibi *Author*, nescire se, cur *Apostolus noster* vocetur *Gregorius*, nisi quod *legârit huc Augustinum* cum socijs, qui *Saxones* ad fidem traduceret. Id *Tortus* sic detorquet, quasi dixisset *nescire se omnino, cur Gregorius Apostolus noster dicendus sit*, neque addidisset *causam, veram causam*, nec aliam, quam adderet Cardinalis ipse si, cur vocet Apostolum nostrum, cau-

ſam redderet. Hæc, *docta* eſt & ſolida *Torti* reſponſio. Reſponam illi vicem. Cur *Tortum* ſycophantam vocet quis neſcio, niſi quòd vbi cauſa nulla eſt, ibi per ſummam nequitiam, aliquid ſemper calumniatur. Non hîc dico *neſcire* me: ſed & *ſcire* quòd ſit, & *cauſam ſcire cur* calumniator dicendus ſit. Sed illud ſcilicet erat; Salſum illud dicteriũ ſuum de *Bucero* & *Martyre*, quo grauidum illi ingenium, lucem aſpicere non poterat, niſi, quòd *ſeſcire* dixit Apologia, *cuiuſque cauſam ſcire*, id *Tortus* neſcire eum, finxiſſet ſaltem. Periiſſet alioqui nobis tam lepida hæc facetia. Verùm, diu antequam huc intuliſſent pedem vel *Bucerus* vel *Martyr*, *præcipuum* hoc *caput fidei* de Primatu Papæ, expunctum è Symbolo *nobis*. Nihil ergò illi contulerunt ad ſectam *de Primatus capite excecto*; quæ vos peſſimè habet, præ quâ, reliquæ omnes veniales ſunt. Quanquam ſi ad *duos iſtos*, quos dicis, *duos illos* conferas, *Hildebrandum* atque *Turbanum* ſectæ veſtræ authores: minùs in illis reperies *literarum*, *virtutis*, *humilitatis*, denique *ſpiritus Apoſtolici*.

Eſto igitur; vocetur Apoſtolus *Gregorius*, quando ita *Bedæ* placuit (quanquam ſiquis ſeuerior exiſtat, litem ei mouere poſsit de hoc nomine) Non enim, ſi verè Apoſtolus dicendus ſit, *alios mittere*; *ire ipſe* debebat: Nam non dicit Chriſtus, *Sedete*, & *mittite*; ſed, *Ite*, *prædicate*, Apoſtolis ſuis. Sed neque *omnium Primus* in Inſulam hanc miſit: tute hoc fateris, *Quadringentis* plùs annis ante illum, *Eleutherium* huc miſiſſe. Neque etiam (quod Apoſtoli faciebant) *fundamenta hîc iecit fidei*, quin *ſuper alieno fundamento extruxit*. Nam præterquam quòd *Britones* hîc ſub *Septem Epiſcopis* fidem Chriſtianam, (quam initio ſtatim ſuſceperant) ſaluam ſemper retinuerunt: etiam eo ipſo loco, quò miſsi à *Gregorio* appulerunt, ante eorum appulſum, Eccleſia erat, quæ hodiè *Cantuariæ* ſupereſt; in quâ, Regina, cum *Lethardo presbytero* ſuo, ritu Chriſtiano Rem Diuinam, palàm, quotidie procurabat. Multum ergo abeſt, vt propriè loquendo Apoſtolus ille fuerit, ſi cui animus ſit vobiſcum funem ducere. Verùm ceſsit de eo vobis *Apologia*; ego etiam cedo; placet dilatare vocem Apoſtoli, vt vocetur eo nomine, quia miſit, qui operam hîc ſuam collocarent. Optauit ergo Apologia, vt ſiquos hodiè huc Pontifex immitteret,

ret, Maiores suos imitari vellet, *Gregorium*, qui non nisi *permissu* Regis: *Eleutherium*, qui non nisi *rogatu* Regis, suos huc legârunt. Rectè autem optauit. Nam neque tu hoc ipsum pôst *optandum* negas, si impetrari posset. Sed redis ad ingenium; abberras à proposito; votum aliud nuncupas, vt *tam vellet retinere Gregorij & Eleutherij doctrinam Rex cum suis, quàm suorum Prædecessorum vestigijs per omnia diligenter insistit Pontifex. Eleutherij* verò doctrinam, ausim dicere, per omnia retinet: nec à *Gregorio* discedit, nisi quantum ipse ab *Eleutherio*. Habes ergo votum prius. De posteriore videris; an se *Catholicæ* totius *Ecclesiæ Episcopum* scripsisset *Gregorius*, quod vester hodiè facit: an *Regem Dei Vicarium* in regno suo diceret, quod dixit *Eleutherius*, vester hodie negat.

Pertexit pôst Catalogum eorum, qui sub Principibus Paganis, atque Arianis Christianam fidem, etiam absque Principum veniâ propagârunt. Quid opus hoc? Hoc idem *prædicent* vestri, nec aliud præterea quid, quàm illi, & bonâ cum veniâ *prædicent*. Verùm, hæc illis conditio non placet: non satis est prædicare CHRISTVM: est illis, non *vnum ex præcipuis*; sed *præcipuum fidei caput* Papalis potestas; atque eius proinde *præcipua* illis cura est; idque ita, vt neminem recipiant, nisi stipulantibus sibi ante omnia spondeat, se ad omnia Papæ iussa paratum fore, nec Regi diutiùs pariturum, quàm id ita Papæ visum fuerit. Hoc *Cardinalis* dixit *Caput præcipuum esse*; hoc illi, quasi *præcipuum* sit, inculcant sedulò. Atqui, quos memoras sub *Diocletiano* & *Constantio*, tum *Eusebius* ille, qui mutato habitu peragrabat prouincias; alius generis, alia longè ab hijs diuersa prædicabant: si clam Regnum vspiam ingressi sunt, ita sunt ingressi, vt *fidem in Christum plantarent*, non vt *fidem* in Principem *supplantarent*; Subditos ita animatos redderent, ita suspensos à nutu Pontificis, vt si ille propitius, tum *ciues*: sin infensus, tum *hostes* haberent. Vestri hoc faciunt, ex *præcipuo illo fidei capite* hoc faciunt. Interest Pontificis, vt sit illud non *vnum* modò, sed *primum de Capitibus fidei*, atque illud ergo Cardinalis ita, non temere nuncupauit. Vides hîc quantum intersit. Neque verò vestri sic inuitos haberent Principes, neque mutato habitu opus esset, nisi iamdudum hîc satis compertum esset, vos cum doctrinâ vestrâ Sedi-

tionis

tionis semina permiscere, ac in religione Latebram proditioni quærere. *Euangelium vestrum, Euangelium pacis non est*; & Gentium, non *conuersio* sed *peruersio*; nec tam *Ecclesiæ ædificatio*, quàm *ruina Reipublicæ*. Tot vestris insidijs, tot machinis toties petiti, *nupero hoc* tam tetro scelere admoniti (etsi Cardinalis nullus monuisset) sciunt satis, quòd sit vnum illud de *præcipuis Capitibus fidei vestræ*, ac proinde *fidem* illam suspectam habent, cuius est illud *Caput præcipuum*. Neque quicquam tibi honestæ frontis reliquum est, qui hæc *ad calumnias pertinere* calumniaris. Tam sunt enim multa, tam multis vicibus repetita, tam non leuiter impressa, sed notis igneis inusta, tam denique manifestò deprehensa, vt *calumniæ* locum non relinquant.

Quàm verò miserum est, negare non posse, quod turpe est confiteri? *Fuisse* dicis: adde *fuisse multos*, *fuisse sæpè*, *fuisse non de vulgo*, sed *primarios* viros, qui in actu ipso proditionis perierint; *fuisse Sacerdotes*, etiam *Patres Iesuitas*, qui consilijs istis præierint; nec *semel inierint*, sed sæpe redierint ad *consilia ista proditoria*. *Ex desperatione* hoc dicis; imò desperatæ, sunt res vestræ, cùm ad *desperationem* confugitis. Tu quidem suprà *dixisti*: ego plus etiam quàm *dixi*, *probaui*; nullum eis tum *desperandi* causam fuisse, quin *sperandi* potiùs; si poterat illos *spes* vlla mitiores reddere. *Non tamen ex Catholicâ doctrinâ*, (inquis) *neq; ex rectâ ratione*. Non sanè *ex Catholicâ verâ*, sed *Catholicâ vestrâ* tamen, quam rectè hîc disiungis à *ratione rectâ*, quæ homines non perducit ad ea, quæ tu ipse paulò antè dixeras, *horrere omnes naturaliter*. *Vestra* enim *doctrina* est, nisi Princeps vobis ex animo sit, quantumuis legitimus hæres sit, Regno excludi, alium eligi posse; *posse* dixi? imò *oportere*. Hæc Clementina vestra fuit, quâ ex *doctrinâ*, tota illa nupera proditio proseminata est. *Vestra* hæc *ratio* est: quem excludi oportuit, certè illum oportebit, quàm primùm exturbari. *Vestra* hæc *doctrina* ex *Garnetti* tripode, *Fiat iustus, sicut impius*, pereant simul; Parum autem hoc visum in oculis vestris; non Regem perire vnum, sed Patrem vnà cum stirpe & familiâ suâ, Regem vnà cum Senatu suo Populoque perire voluistis. *Vestra* hæc *ratio*; Potest etiam & locus Consilijs habendis ex antiquo sacer, subiecto puluere fulminis instar, disflari. *Ve-*

stra

stra hæc *doctrina*. Posse homines ad Consilia hæc, *Catholicæ Confessionis sigillo*, *Catholici Iuramenti vinculo*, *Catholici Sacramenti voto*, *atque nexu*, *Catholicarum precum solenni indictione*, *Catholici Sacrificij oblatione* firmiter obligari. *Vestra* hæc *doctrina* rebellionem spirans, *Ex radice colubri egrediatur regulus: Detectâ proditione subsequatur aperta rebellio*; palam edocta à Patre Societatis, in quâ, *quinque* è primarijs extincti sunt. *Vestra* hæc *ratio*: De proposito tam Catholico, tam ex doctrinâ Catholicâ pœnitendum non est. Quare, fuerunt, qui cùm laqueo collum insererent, ad extremum vsque spiritum, spirârunt *doctrinam* hanc, nec huius *doctrinæ* praxin vt damnarent adduci potuerunt; imò, qui *animos alijs addiderunt*, *vt facerent*, imò qui *mirati sunt*, *à nullo vestrûm Apologiã scribi* sui huius tam præclari facinoris. Quod & vos iam strenuè præstitistis, postquam *Garnettum* & *Oldcornum* in Martyrologium vestrum retulistis. Quorum ille, *Garnettus*, (pòst *Clementem* 8um, qui quem *admissum* noluit, nec *permissum* voluit) vnus fuit è *præcipuis Capitibus* Catholicæ huius Conspirationis, cùm contra *Iesum* bonus Iesuita iussit audacter eos, *vnà eradicare triticum cum Zizanijs*: Hic, *Oldcornus*, alterum *Caput præcipuum*, qui laudauit pro concione *factum* iam *infectum*: & cum expeditione *Israelis* contra *Gibeam*, *Ludouici* in terram sanctam, non sine *rectâ ratione* exæquauit. Atque ita Illi, ex Catholicâ quidem *doctrinâ vestrâ* rem aggressi sunt, & *ratione* ex *doctrinæ vestræ capitibus* rectè petitâ; nec tamen *rectâ*: vosque ipsi partim ex sympathiâ vestrâ Catholicâ, partim ex mirabili quodam, sed *stramineo* signo, quantum quidem in vobis, rem totam comprobâstis.

Alteram verò illam, ne tu quidem diffiteris, *doctrinam vestram* esse; de *defectione* subditorum à Principe ad sibilum *Musca*; quæ est in *Babylone*, id est, *Romæ*. Te enim dicis *hoc suprà docuisse*: *dixisse* memini; non *docuisse*, nisi *dicere* tuum *docere* sit. Verùm si quando Doctorem strenuum te præstiteris *defectionis* illius, intrabit statim proditio, per fenestram illam. Fiat de *Principe*, *non Princeps*, de *Subdito non Subditus*: non Subditus, contra non Principem, quid non tentabit? Non parcet hostilam Ecclesiæ; non abstinebit ab ijs, quæ *naturaliter omnes horrent*, *Cæde*, & *Violentiâ*. Non tamen hoc fiet (inquies)

quies) nisi in *schisma* prius incidat, vel *heresin*. Quasi hoc *schisma* non sit & *heresis*, Pontifici per omnia obsequentem non esse: Quasi *heresis* vlla fuerit *Iohannis Regis Nauarræ*, prætcrquàm quòd in bello à Pontificis parte non steterit: *Hæresis* vlla *Philippi Pulchri*, prætcrquam quòd se totum non permiserit arbitrio Papæ. In omni enim re, si *non primas* deferant Primatui eius, statim Rei sunt *Hæresis*; & meritò: negant enim *vnum ex præcipuis capitibus fidei Christianæ*. *Non est* tamen *doctrina hæc noua*. Imò noua, si ad veterem conferatur. Agnoscis ipse hoc, dum *non ante Lateranense Concilium*, id est, non ante *seculum decimumtertium* dicis approbatam. Per annos *mille ducentos* vbi latuit? Tum, neque *vsu Christiani populi per multa secula receptam*, sed *abusu Pontificum* in *Christianum populum* per aliquot secula vsurpatam; *receptam* autem nisi per vim, *haud vllo seculo*, reclamante semper Principe, cui facta vis est, etiam, quâ potuit, resistente: *Populo* autem *Christiano*, cui vix vllo inde seculo tranquillitate frui licuit, Papalem in eo fastum, atque violentiam detestante.

AT quò Pontificis Primatus vnum iam fiat de *præcipuis capitibus fidei nostræ*; Pontifex ipse *Caput fidei* faciendus est, atque ad hanc rem *Gregorius* testis quæritur. Largitur *Gregorius Iohanni Panormitano* Pallium, monet Palliatum, *ne reuerentiā Sedis Apostolicæ turbari ab vllo sinat*; rationem reddit: *mansurum enim integrum membrorum statum, si* Caput fidei *iniuriâ non pulsetur, & Canonum authoritas maneat incolumis*. Hîc ergo *Gregorius*, ac proin Papa, *fidei Caput*. Quid agimus iam? Credimúsne in Papam? Quidni? Papa *in fide*, vt *Caput* in corpore, Summitas ipsa totius *fidei*. *Fidei* autem cuius, quo sensu acceptæ? an inhærentis virtutis Theologicæ, quæ cuique in corde est? Nemo sanus dixerit. *Obiecti* igitur *fidei*, id est, *rerum credendarum*. *Rerum* ergo *credendarum Caput* Papa; *Credenda, membra* sunt; inter *Credenda, Caput* principalem locum habet, Papa scilicet. In quid verò *fidei* credimus, si *in Caput* non credimus? Non habet *fides* ipsa, altius, illustrius, eminentius quicquam quàm *Caput* suum, in quod tendat, in quod recumbat, in quo spem omnem ponat ac fiduciam.

Occurrit tamen *Papa primus* (vt volunt) qui non aliam ob causam *Christum glorificatum* dicit, a *quàm vt fides nostra sit in* a 1.Pet.1.21.

 Deum.

Deum. Ergóne Papa *Deus*, vt *fides* nostra *in eum*, *in Deum* sit? *Petrus* verò [a] *& ipse homo erat.* Occurrit & alius qui tam de *Petro*, quàm de *se* affirmat, [b] *Non dominamur fidei vestræ.* At certè æquum, vt *dominetur Caput* corpori suo; si Papa *fidei* Caput, *fides* Papæ corpus, vt & *dominetur Papa fidei.* Hæc *Paulus* de se negat, de reliquis Apostolis: non debet verò licere Sedi Apostolicæ, quod Apostolis non licuit. Occurrunt & alia multa. *Duo* enim sæpe, *tres*, *quatuor* interdum Papæ; ita *tria* fidei Capita, non vnum: fides triceps, *tricephala.* Interdum *biennio*, *septennio*, Papa nullus; toto ergo tempore hoc fides carebat Capite: fides *acephala.* Papa sæpe, contra Papam, vt *Sabinianus* contra *Gregorium*, *Stephanus* contra *Formosum*, *Sergius* contra *Stephanum*; ita *fidei Caput*, contra *Caput fidei*, quasi Amphisbæna: fides *anticephala.* Papa interdum Arianus, Eutychianus, Monothelita, (quod adhuc peius) Atheus est: ita *Caput fidei* fidem destruet. Papa interdum *vnum pecus* (vt scribit de *Cælestino* Baldus) *qui quod de manè faciebat, de sero reuocabat:* ita *Caput fidei* iam cerebrum non habet. Denique quod hic metuit *Gregorius*, venit super illum; Non solùm enim *turbatum*, atque *pulsatum* iniuriâ *Caput* hoc *fidei*, sed aliquando etiam (quæ summa *iniuria* est, summa *pulsatio*) *deturbatum* est, atque amputatum. Quid dixi *Caput*? Tria simul *Capita* præcisa sunt in Concilio *Constantiensi*, & iacuit Ecclesia tum (vt Poëta) *ingens litore truncus.* Atque hoc ipsum iam metuere videtur Cardinalis. *Agi* enim dicit *de ipso fidei Capite amputando.* Pulsant hæc quidem nec leuiter Gregorianum hoc *Caput* vestrum. Consultum itaque sibi hoc fore putant Ecclesiæ *membra*; si relinquant Cardinali atque tibi *Caput* hoc *fidei* vestræ; adhæreant autem *Authori fidei* suæ & *Capiti* vero Christo, qui consedit iam, non in *Apostolicâ Sede*, sed in *Throno Patris Cælestis*, vbi *turbari*, vbi *iniuriâ pulsari* non potest, de quo vel tollendo, vel amputando secura sint.

a *Act.10.26.*
b *2.Cor.1.24.*

Huic *Capitis* languori, dum *Tortus* mederi vult, *Caput fidei* dicit esse Papam suum, *tropicè*, non *secundùm literam*; atque ad [*Hoc est Caput*] adhibet Metonymiam, quam si quis adhiberet, ad [*Hoc est corpus*] cœlum terræ, scio, permisceret. *Caput fidei*, id est, *Caput fidelium* siue *Ecclesia.* Sed nihil agit. Ex

eo enim probat Cardinalis, Primatum vestrum vnum esse de *præcipuis capitibus fidei* vestræ & *Catholicæ religionis fundamentis*, quòd *Gregorius* seipsum dicat *Caput fidei*. Vtrobique ergo *fides* eadem, non *alio* sensu in *præmissis*, nempe *res credenda*, *obiectum fidei*; in *conclusione*, *alio*, nempe *fideles*, *subiectum fidei*. Non si te rotes, si te torqueas, quasi lumbricus, hîc te expedias. Quicquid enim de *fidelibus* fit, non est *Caput præcipuum fidei* vestræ, non est *Fundamentum religionis Pontifex*. Verùm neque sic sensu tuo *Caput* est. [a] *Caput* enim *Ecclesiæ*, [b] *Caput corporis Ecclesiæ*, CHRISTI tituli sunt. Eodem autem modo *Caput*, quo *Fundamentum*: vester hic argumentandi modus, à *Fundamento ad Caput*. [c] *Fundamentum* autem *aliud nemo potest ponere*; quare *Caput* aliud nemo potest *imponere*; vt si nec aliud *Fundamentum*, nec aliud *Caput*. Quanquam *Fundamenti* facilior multiplicatio, quàm *Capitis*: Plura enim & in Sacris literis [d] *Fundamenta*; at *Capita* plura nec ibi reperias, nec Corporis analogia patitur. At Ecclesia *Corpus* vnum. Monstrosum verò *Corpus*, cui plus vno sit *Capite*; (atque vt vobis occurram) cui *duo Capita*, quanquam alterum *principale*, *ministeriale* alterum. Vbi *Corpora* multa sunt, vt familiæ, *Capita* multa dicuntur: vbi *varia* doctrinæ *genera*, *Capita* multa: vbi *Corpus vnum* Ecclesiæ, *Caput* non nisi *vnum*. *Fides* hîc nobis suadet, extra Scripturã non sapere; *Ratio*, à naturâ corporis non discedere.

[a] Ephes. 5.23.
[b] Coloss. 1.18.
[c] 1. Cor. 3.11.
[d] Apoc. 21.14.

Verùm, vt *Mus vni non fidit antro*: alterum habet Caput fidei, (id est) *Caput per quod Ecclesia fidem discit & docet*. Quid audio? Caput *discentis*, Caput *docentis*; at hæc, *duo* iam Capita sunt. Qui *docet*, discentem docet; qui *discit*, à docente discit: *Ibi* intellectus agens, *hîc* patiens; *ibi* dat, *hîc* accipit. Idemne Caput, præceptoris & discipuli? Idemne agit *Caput* in se, & eodem simul tempore patitur à se? Idem sibi dat, à se accipit? Torques nos, *Torte*. Ecclesia hæc, vnane quæ *discit* simul & *docet*? Non opinor. Certè alij *docent*, alij *discunt* in Ecclesiâ. An hij qui *docent*, omnes Pontificis caput sumunt mutuum, nec sine eo *docere* possunt? Illi etiam qui *discunt*, caput idem, nec sine eo discere? Iam si Ecclesia *Fidem discit*, per *Caput* Pontificis, eademque per *Caput* Pontificis *Fidem docet*, mirùm narras *Caput* Pontificis, super *docentis* humeros, superque *discentis*, vno eodemque tempore.

Monstrosum antè *Corpus*, iam *Caput*. Sed neque id propriè, vt *Caput* seu Fidei, seu doctrinæ, de *docente* (qui iam habet) & de *discente*, qui nondum habet, capax modò est ex æquo prædicetur. Minùs autem adhuc propriè; Primatum vtrique *Capiti, docenti*, atque *discenti* ex æquo conuenire. *Primus* enim qui *docet*; qui *discit*, in *secundis* consistit. Atque hoc iam *ex præcipuis fidei capitibus* vnum esse dicitur, vt credamus Pontificem Ecclesiæ *Caput* esse, *per quod & discit, & docet* fidem suam; sine eo neminem in Ecclesiâ quicquam vel docere vel discere, à summo præceptore ad discipulum infimum: vt anima potiùs, quam Caput dici mereatur, qui ita sit *totus in toto*, & *totus in qualibet parte*. Atque hic sanè *titulus*, longè supra *titulum* est *Vniuersalis Episcopi*, etiamsi tuo sensu sumatur. Solus enim est, qui *docet* in Episcopis, nec id modò, sed solus etiam, qui *discit* in populis; *solus*, *lingua* docentium, *solus* etiam *auris* audientium: Verè *vniuersalis*.

Quæro autem, quid *Panormitani Pallio* cum Fide? aut, (si ita malis) quid *Sedi* cum Fide? Quòd enim *Sedes* ibi sit, ex *facto Petri* initium habuit: Facta autem *Petri* (quæ quidem in Sacris literis non habentur) *de Fide* non sunt. Quodsi autem *Fides de Sede* fuerat, quid opus ei, *Canones adiungere*? Quorsum ibi de *Illis* mentio, aut *Illorum* authoritate incolumi seruandâ? An de *Gregorio* etiam prædicantur *Canones*, aut eorum *Authoritas*, vt dicere liceat, sicut *Gregorius est Caput*, ita *Gregorius est Authoritas Canonum?* Inaudita prædicatio, & cui similis vix legenda, credo, in libro περὶ ἐρμηνείας. Sed enim si *Caput* est, est & *Authoritas*: copulantur enim illa, nec licet disiungere. Atque in hæc se absurda præcipites dare coguntur, dum *Gregorio* vim faciunt, cuius ea mens est: Statum membrorum pacatum tum fore, si non modò *Fidei Caput* seruetur illæsum, sed & *Canonum* quoque authoritas maneat intemerata: à *quibus* scilicet *Canonibus* habeat respectum suum Sedes Apostoli, & à quibus ius habeat Pallij conferendi: vt nihil ad *fidem* aut *Fidei caput*, vel *Pallium* vel *Sedes*; verùm ad *Canones* à quibus est illis, sua omnis, quam habent *authoritas*: quos *ipsos*, non *fidem* solùm, *incolumes* Gregorius vult esse. Ab vtrisque enim, & *fide* illæsâ, & *illis* intemeratis, pendere *incolumitatem* & pacem *membrorum* Ecclesiæ.

Ad

Ad libram *Torti* iam venio. Sic enim dixerat Apologia. Noluit Gregorius *Oecumenicus* Episcopus dici: noluit ergo *Caput fidei*, qui titulus multò plus habet ponderis; *Torto* autem leuiùs pendit. Atque hîc obtrudit nobis primò commentitium sensum *Oecumenici*, quasi siquis sit *Oecumenicus*, *solus* is sit: atque ita *solus*, vt præter eum Episcopus non sit in Orbe vniuerso. Commentitius hic sensus est: res ipsa loquitur. Vtriusque *Romæ* Episcopi, tum *veteris* tum *nouæ*, iam sunt, iamdudum fuerunt *Oecumenici*; & sunt tamen (per Dei gratiam) Episcopi ex eo, nihilo pauciores. At *hoc* Gregorius *dicit*. Non *dicit*. Dicit enim [a] Mauritio Augusto, *vtinam vel sine aliorum* (non sublatione sed) *imminutione vnus sit, qui vocari appetit vniuersalis*. Dicit [b] Constantiæ Augustæ: *illud appetere* Iohannem (non vt alij ne sint, sed) *vt omnibus dignior esse videatur*. Dicit [c] Eulogio Alexandrino: *Per elationem pompatici sermonis, Christi sibi studet membra subiugare* Subiugare dixit, non amputare vlla. Dixit [d] Iohanni ipsi; *appetere eum vocabulum hoc* (non vt solus esse, sed) *vt nulli subesse, & solus omnibus præesse videretur*. Dicit *id conari* (non vt vllum tollat, sed) *vt cuncta Christi membra sibimet, Vniuersalis appellatione supponat*. Dicit ei, [e] *Quid dicturus es, qui non solum Pater, sed Generalis Pater in mundo vocari appetis?* Generalis Pater dixit, solus non dixit. Et, quod omnem hîc scrupulum tollit, dicit, [f] *cupere Iohannem Episcopis semetipsum vocabulo elationis præponere, eosque sub se premere*. At *præponere* se, *premere* sub se non potest nisi sint quos *premat*, quibus se *præponat*. Voluit ergo *præesse* Iohannes, *præponere se, dignior illis esse, Pater Generalis vocari*: reliquos autem Episcopos, non abdicare; sed *premere sub se, supponere, subiugare, imminuere* illos, non ad nihilum redigere.

[a] Lib.4.Ep.32.
[b] Lib 4.Ep.34.
[c] Lib 4.Ep 36.
[d] Lib.4.Ep.38.
[e] Ibidem.
[f] Ibidem.

At *dicit hoc, locus citatus*. Imò euincam è locis ipsis quos citat *Tortus*, Gregorium hoc non dicere. Non in *primo*; proximis enim planè verbis subiungit: [g] *Quia illum* (Iohannes videlicet) *imitatur, qui spretis in sociali gaudio Angelorum Legionibus, ad culmen conatus est singularitatis erumpere: dicens, Super astra cæli exaltabo Solium meum*. Luciferi imitatorem dicit hîc *Iohannem*: at is conatus non est solus Angelus appellari; ille verò cæteros passus est Angelorum, & locum & titulum retinere:

[g] Lib.4.Ep.34

tantùm *eminere* inter illos voluit, *exaltare* ſolium ſuum, & eſſe quaſi dicas, *Papa Angelorum*. Ad illius ergo exemplum id egit *Iohannes*, vt eſſet inter *Epiſcopos*, quaſi *Lucifer* inter *Angelos*; vt eſſent quidem Epiſcopi, ſed ipſe *Lucifer* eſſet Epiſcoporum.

Lib.4.Ep.36. Non in *ſecundo*. Nihil in eo quod moretur nos; *derogari* dicit *cæteris*, non *abrogari* Patriarcharum nomen; id quod ſubſequente ſtatim periodo magis explicat, dum dicit, *fratrum ſuorum honorem imminuere*. Imminuere dixit, non in totum tollere.

Lib.7.Ep.69. Non in *tertio*. Tota enim ibi res in aperto ponitur, quàm ſit hic, quem *Tortus* affert, ſenſus inſenſatus. Mortuus enim tum *Iohannes*; *Cyriacus* Succeſſor eius ſedebat Conſtantinopoli; *Decennio* toto ſederat *Iohannes*, vſurpârat *Oecumenici* titulum ad mortem vſque; neglexerat *Gregorij* monita. Quanquam autem geſſit ſe per totos decem annos pro *Oecumenico*; nullum tamen, ne vnum quidem, per tempus illud, Epiſcopum exauthorauit. Quare commentum hoc merum, de *nullo* tum futuro vel Epiſcopo vel Patriarchâ, ſi Epiſcopus ſit vllus *Oecumenicus*. *Cyriacus* ipſe, vt in *Sede*, ſic in *titulo*, ſucceſſit *Iohanni*; Epiſcopos non abrogaûit: Synodum Epiſcoporum indixit, cui cùm *Euſebius* intereſſe vellet, petit ab eo *Gregorius* Epiſtolâ hac ſuâ, ne ei *titulo* ſubſcribat, ne quid circa *locum* aliquem vel *perſonam* (putà ſuam) *præiudicialiter ibi cenſeatur*. Atqui nec in Synodo illâ, nec *vndecim* pòſt annis, quibus præfuit illi Sedi *Cyriacus* (idque cum *titulo Oecumenici*) aut loco motus Epiſcopus quiſquam, aut metus iniectus vlli, vt moueretur. Quare, ſomnia hæc veſtra ſunt. De *Cyriaco* certum, non ceſſiſſe illum priùs *titulo* hoc *Oecumenici*, quàm abiudicâſſet illum *Phocas* Conſtantinopolitano, atq; eundem in Romanum tranſtuliſſet. Factum verò hoc in odium *Cyriaci* à *Phocâ* illi infenſo, & in *Bonifacij* hoc rogantis fauorem, qui ſe cùm Apocriſiarius eſſet, in gratiam *Phocæ* inſinuâſſet, filiúmque tum eius è Baptiſmo ſuſcepiſſet. *Phocæ* autem decre-

a Ad ann.606. tum hoc ita refert [a] *Baronius*, *Solum Romanum Pontificem eſſe dicendum Oecumenicum, nempe Vniuerſalem. Conſtantinopolitanum verò nequaquam.*

Nihil ergo vſurpârunt *Iohannes* atque *Cyriacus*, quàm quod ſtatuente *Phocâ*, ex eo iam *Romanus* ſibi vendicat; ſub quo manent loco ſuo, atque Epiſcopi ſunt, atque ita ſub *Iohanne* manſiſſent,

fiſſent, nec iis,titulus *Oecumenici* quicquam obſtitiſſet. Interim,perpauxillo temporis interuallo, magna in *nomine* hoc mutatio facta eſt. In *Conſtantinopolitano* cùm fuit, *ſtultum, ſuperbum, ſceleſtum, peruerſum, prophanum, blaſphemum* fuit: idem autem intra *bienniꝫ* vnius ſpacium in *Romano*, nihil horum eſt. Mira autem *Phocæ* ſententia, qui ſtatuerit nomen (ſi *Gregorio* credimus) *ſceleſtum* & *blaſphemum* *Conſtantinopolitano* non conuenire; eſſe enim *Romano* proprium. Mira etiam *Bonifaciꝫ* mens qui acceptauerit; nec præferri, vel præeſſe omnibus voluit *Conſtantinopolitanum*; ſibi enim & *Romanis* Pontificibus, deberi hoc, quanquam qui hoc faceret (Gregorio teſte) *Luciferi* imitator in eo eſſet, pręcurſor *Antichriſti*. Verus autem Propheta *Gregorius*, quò ſe tandem daret vox iſta. Dixit enim *Imperatori* de vocabulo illo, [a] *qui eo gauderet, honori ſe per illud Imperiꝫ ſuperponere*, & annon id ita factum eſt? Dixit Aniano, [b] *in iſto ſceleſto vocabulo conſentire, nihil eſt aliud, quam fidem perdere*; & *fides* nihilne detrimenti paſſa eſt, ex quo conſenſit in titulum illum *Phocas*? Verum quidem vtrumque *Gregorꝫ* vaticinium; & *Imperio* & *Eccleſiæ* pernicioſa vox iſta: & Succeſſor eius *Bonifacius*; quoad imperium *Lucifer*, quoad Eccleſiam *Antichriſtus*.

a Lib.4.Ep.32.

b Lib.4.Ep.39.

Sed diſerta verba ſunt, *Reſtat vt vos Epiſcopi non ſitis: Solus conetur Epiſcopus appellari.* Explicet ergo *Gregorius* ipſe ſe. Sic autem ipſe ad Iohannem, [c] *Cupis Epiſcoporum nomen, tui comparatione calcare. Tui comparatione*, dicit. Quæ dicit ergo, *comparatè* dicit, non *abſolutè*. *Sitis* quidem Epiſcopi, ſed *illius comparatione ne ſitis*, & ille *non abſolutè ſolus, comparatione* tamen veſtri *ſolus* appellandus. Admiſſo enim *Oecumenico*, qui *vnus* immineat reliquis, reliquos ſub ſe premat, excidere illos iure priſtino Epiſcoporum, quo omnes *eiuſdem meriti, eiuſdem* erant & *Sacerdotꝫ*; nec potentia Romæ *ſublimiorem* Epiſcopum, nec paupertas *Eugubꝫ inferiorem* faciebat; [d] *Priuari omnes honore hoc debito, ſi priuatum aliquod vni detur* (vt ad *Mauritium* Gregorius) ac proinde *eius* quidem (quod antè fuerant) *comparatione*, ne Epiſcopos quidem dicendos eſſe: loquendi more vetuſto, quo, vbi quis *non ſit qui fuerat, ne eſſe* quidem dicitur: atque vt *ſolus eſſe* dicatur, qui aliquâ in re *ſingularis* eſt. Qui enim *Patres* erant, fieri *Filios*, *Patris* huius *Generalis*; qui

c Lib.4.Ep.38.

d Lib.4.Ep.32.

Paſtores

Pastores erant, transire in *Gregem* illius, atque eius comparatione *Gregem* iam dicendos esse. Atque hanc vim habent verba *Gregorij*; huc spectant: Aliò non possunt, nisi contra historiarum fidem, quâ id constat, etsi per annos *Viginti*, titulum *Oecumenici* mordicus retinerent *Iohannes* primùm, & pòst eum *Cyriacus*: toto tamen tempore illo, haud vnquam conatos Episcopatum vlli abrogare, aut, quasi *soli* Episcopi essent, se gerere. vel sibi *solu* Episcopi nomen vsurpare. Nihil ergo erat quòd exhorresceret hoc vocabulum *Oecumenici* Gregorius, nihil cur non æquè libenter acciperet: æquè libenter (inquam) atque vix *biennio* post mortem eius, accepit id *Bonifacius*, quippe qui non minorem in eo vim sciret *ad Hierarchiam* constituendam, quàm in *Capitis fidei* vocabulo, imò maiorem; quid enim *fides* ad *Hierarchiam*? qui hoc (inquam) sciret, & id vnum in eo quæreret, vt quasi *Caput*, vnus omnibus

a Lib.4. ca.11. præsideret. Quærat ab Authoribus suis [a] *Paulo Diacono*, &

b In Bonifac.3. [b] *Anastasio*: dicent illi Constantinopolim, *primam* esse voluisse, non *solam*; atque eum primatum Romæ pòst à *Phocâ* attributum.

c In Bonifac.3. d Enn.8. li.6. Quære tu à [c] *Platinâ*, & [d] *Sabellico*: dicent tibi, *Bonifacium tertium* à *Phocâ* obtinuisse, vt Romana Ecclesia esset omnium aliarum *Caput*; *idque ægrè, nec sine multâ magnâque contentione* Romano *datum esse*: Vocabula *Oecumenici*, & *Capitis* (quæ vos iam serò distinguitis) eandem apud illos rem (*primatum* vtraque) denotâsse: nec magis *Capitis* hoc, quàm illud *Oecumenici*, ne si oblatum quidem ei fuisset, *Gregorium* libenter vel accepturum, vel vsurum fuisse.

Atque vt semel dicam de voce *Capitis*. *Gregorius* illam non obscurè docet, perinde exhorruisse se, atque alteram

e Lib.4. Ep.36. *Oecumenici*. Lege quæ scribit ad [e] *Eulogium*. *Fâ*, inquit, *quam prætendebat humilitate, iactantiam sumpsit Iohannes, ita vt vniuersa sibi tentet ascribere, & omnia, quæ* soli vni Capiti *cohærent, videlicet* Christo, *per elationem pompatici Sermonis, eiusdem* Christi *sibi audet membra subiugare*. En vt hoc reprehendit *Gregorius* in *Iohanne*, quòd sibi *tanquam Capiti* omnia conatus sit subiugare CHRISTI membra, quæ *soli vni Capiti* cohærent CHRISTO Qui, si *solus Caput* est, *Gregorius* ne *Capitis* quidem nomen libenter accepturus erat, quo, ad *Iohannis* exemplum omnia sibi CHRISTI membra subiugaret. Nec

aliter

aliter [f] *Iohannem* ipsum alloquitur. *Si Paulus Apostolus, membra Dominici corporis, certis extra* Christum *quasi Capitibus, & ipsis quidem Apostolis, subijci particulariter euitabat: tu, quid* Christo *vniuersalis scilicet Ecclesiæ* Capiti, *in extremi iudicij es dicturus examine, qui cuncta eius membra tibimet conaris* vniuersalis *appellatione supponere?* Vides, nec Apostolis quidem ipsis concedere *Gregorium*, vt illis *quasi Capitibus* membra Christi subijciantur vel particularia: tantùm abest, vt vel *Iohannem*, vel se, *Caput fidei*, id est, (te interprete) *Caput fidelium*, vel *Ecclesiæ* vniuersalis, vel haberi, vel appellari, æquo animo vnquam pateretur. Rectè ergo *Apologia*, & ad rem. Noluit *Hierarchiæ Caput* dici *Gregorius*, noluit ergo *Fidei*; plus enim multo *Fides*, quàm *Hierarchia*, plus multò *illius*, quàm *huius Caput* denominari.

f Lib.4.Ep.38.

Nec *sensit* Author *argumentum suum debile*: Tu potiùs videris non sentire, quando *firmum* sit argumentum, quando *debile*. Sic enim ille. *Non dixit hoc Gregorius: si dixit, minùs id cautè dixit*: id est, *non dixit*, quod si *diceret, parùm* certè *cautè* loqueretur. *Parùm* enim *cautè* sanè, (idque Cardinale téque ipso suffragante) si *vnus* hoc affirmaret, *tanquam proprij aliquid, cæteris repugnantibus*. Cæteri enim certè repugnarent, vt *Caput fidei* præter Christum quis diceretur; nec cæteri solùm repugnarent illi, sed & *ipse sibi*, si, quod nulli Apostolo, sed *soli vni Christo* conuenire dixisset, vt *Caput* esset, id sibi assumeret. *Sibi* autem *ipsi repugnare*, hominis est, ad se *parum attenti*, & de quo rectè dici potest, *minùs cautè locutus est*. Quid ergo est, quod hîc causaris dictum esse in Apologiâ, *dixisse interdum de Patribus Cardinalem, minùs eos cautè locutos esse?* Tute hoc agnoscis ipse. Nam si in eâdem omnes sententiâ non conueniant aliquando, is qui *aliquid proprij vnus affirmat*, cuique cæteri refragantur, non id satis *cautè* affirmauit, vel consultò; ac per hoc inter eos censendus, qui *minùs cautè locuti* sunt: fatetur autem (fatente te) Cardinalis *illud interdum Patribus* euenire; fatetur ergo *Patres* non semper *cautè loqui*. Conueniet, credo, inter nos facilè, Patres, *cùm in eâdem sententiâ non conueniunt*, non omnes *satis*, aliquos saltem *minùs cautè* locutos; illos dico, *quorum doctrina sequenda non est*, quibus (tanquam minùs cautis) *minùs credimus*. Quare vel in eo

loco inuenitur, secundùm vim quidem sententiæ, etsi non totidem verbis: *minus cautè locutus est.* Adeone verò hoc tibi videtur indignum Cardinale, vt Patres dicat, *minùs interdum cautè locutos esse?* At non vbique tamen sic Patres habet, quasi loquantur semper ad libram. Dicit [a] *per excessum interdum loqui*; dicit, [b] *minùs propriè*; dicit, [c] *si sic accipiatur in ijs sententia, vt verba sonant, ferendam non videri.* Atqui ita *per excessum loqui: minùs propriè: vt alius sit sensus, quàm verba sonant: cautè loqui* non est. Dicit, [d] *benignâ expositione opus habere.* Non haberent, si sermo illis *minùs cautus* nunquam excideret. Tum vbi [e] *Ambrosium* opponit *Chrysostomo*, alter eorum *vix locutus est cautè.* Tum vbi ex [f] Augustino loca duo, duo ex [g] Hieronymo adducit, sibi inuicem contraria; vtroque certe loco, *non satis*: altero saltem, *minùs cautè* videntur locuti. Cùm [h] *existimauit à Cypriano verba quædam referri, vbi Cypriani verba nil tale sonant, parum* in eo *cautus Augustinus.* Cùm [i] *exceptionem* dicit *admittere* testimonium eius, *non satis cautum* eius testimonium: si *cautum* enim, exceptione careret. Cùm [k] *in errore fuisse videtur Hieronymus*, atque *idem* eâdem de re, *in errore non fuisse*, vbi fuisse videtur in errore, videtur certè, *non satis cautè* sententiam suam eloquutus. Denique qui Patres, qui [l] è Patribus *præcipuos, in quibusdam non leuiter lapsos* affirmat, plus dicit, quàm *minùs cautè* locutos. Plus enim est *minùs rectè sentire*, quàm *minùs cautè loqui*; nec debet cui plus licet, minus non licere. Noli ergo phrasin illam ita refugere. Hæc enim qui dicat de Patribus, quę dixisse illum constat; ei religio haud vlla erit dicere, *minùs* aliquandò vel accuratè, vel *cautè*, animi sui sensa eloquutos esse.

a De Miss. lib. 2. cap. 10.
b De Eccles. lib. 3. c. 4.
d De amiss. grat. lib. 4. c. 12.
e De amiss. grat. l. 1. c. 6. & l. lib. 3. c. 9.
f De Purg. lib. 1. c. 11.
g De Pontif. lib 3 c. 6.
h De Eccles. lib. 3. c. 4.
i De amiss. grat. lib. 1. c. 6.
k De Purg. lib. 2. c. 2.
l De verb. Dei. lib. 3. c. 10.

IAm verò, vt nomen *Capitis* ad Regem reuocetur, vel à *Gregorio*, vel alio quoquam, *arte mirabili* opus non est. Præiuit nobis voce, Spiritus sanctus; Sic Regi suo Propheta *Samuel.* [m] *Nonne cùm paruulus esses in oculis tuis*, Caput *in tribus Israel factus es?* Inter tribus verò Israel, tribus Leui: *Caput* ergo Rex, vel tribus Leuiticæ; quâ in tribu tum, Pontifex *Ahimelech* sub Rege Capite suo. *Mirabilis inertiæ, negare* hoc, non *artis*, hoc *probare.* Tum Ecclesiæ Catholicæ Præsul (nec *Gregorio* minùs vel sanctus vel doctus) *Chrysostomus*, eandem hanc vocem *Capitis*, reuocauit ad *Theodosium*, eumque κεφαλὴν, ἢ κορυφὴν dixit,

m 1. Sam. 15. 17.
Homil. ad Pop. Antioch. Homil. 2.

dixit, non solùm Caput, sed quod in Capite ipso maximè sublime est, Capitis Verticem, idque *omnium in terris hominum*. Puto autem fuisse tum *in terris hominem*, qui *Romanus Episcopus* diceretur, vt *possit expositio hæc in hominem cadere, qui sanæ mentis sit*. Tu vide, satin' sanus sis, qui in *Samuelem*, & *Chrysostomum* quasi *audaces & impudentes*, ita debaccharis.

Sed *Gregorius* tamen, ad nos reuocari non vult, nec Regem *Caput* agnoscere. Ille verò vult. Agnouit enim, atque in hâc ipsâ cum *Iohanne* de Primatu controuersiâ suâ agnouit; petijtque Pontifex ipse (per *Sabinianum* Pontificem & ipsum, ei proximum) *vt piissimus Dominus Mauritius ipsum illud negotium iudicare dignaretur*. Credo, pro Capite agnouit, cuius iudicio, capitalem hanc de *Capite* litem volens vltrò submisit, ad cuius arbitrium Primatus, vel staret, vel caderet. Verùm *Gregorius* ibi de Sede Apostolicâ non turbandâ loquitur. Loquitur; sed, non eò referenda verba illa, quæ ponis de *Capite fidei* illæso; sed illa quæ supprimis, *De Canonum authoritate intemeratâ conseruandâ*, à quibus suus, quem habet, honor Sedi Romanæ. Nullũ enim *fidei Caput* est, Apostolum ibi sedisse; *Canones* fortè fauent. *Ad integrum* ergò *membrorũ statum* vtrumque requirit, *vt & Fidei ne fiat iniuria*, & *vt Canones ne temerentur*. Vtcunque enim *Caput Fidei* non pulsetur, turbidum tamen fore statum membrorum, nisi & *Canonibus* sua constet authoritas, à quibus in ordine continentur. Nec Tortus negat. *Epistolam* enim dicit *esse de vsu Pallij*; & est certè integra. Quid verò *fidei* cum *Pallio?* Ecquid, *fidei caput* vllum pulsabitur iniuriâ, siue *Panormitanus Episcopus* incedat *Palliatus*, siue *Pallio careat?* In *Canonem* fortè aliquem peccetur venialiter, si Iohannes *Pallio* vtatur parum concinnè; si *locis* minùs opportunis, si *Festis* non duplicibus: *Fidei* quidem nihil interest. Quare ad hoc propositum verba illa non ponit *de fidei capite*; quæ si poneret, extra propositum essent, cùm *vsus Pallij*, *Fidei* nullus sit, quæ tantò melior, quanto minùs palliata. Lib. 4. Epist. 31.

Quærit autem hîc, subiratus: *Quid in hoc negotio habent Reges?* Habent verò *in negotio fidei*: sed in *fidei negotio*, *Pallio* nihil negotij est. Sed & nonnihil *habuerunt negotij* Imperatores circa inuestituram Pontificum: nec *Panormitani* modò, sed Romani etiam ipsius. Nam si nihil, quî factum, vt tam mul-

tum *Illis negotij* Pontifices olim circa id facesserent? *Quid Regibus cum Pallio, quod est insigne Archiepiscoporum?* Certè cum *Baculo* & *Annulo* aliquid, absque quibus frigeret *Pallium*, & Gerenti, & verò etiam Mittenti; nec tam *modica lana* tam *immodico precio* venderetur. Etiam *Tortus*, cui tam sæpe in ore *impudentia*, nisi ei & in fronte foret, non tam hæc superbè interrogaret: qui vel imperitiâ summâ est, si nesciat, vel non summâ verecundiâ, si neget, etiam in *Gregorio ipso Pontifice* faciendo, Imperatorem *negotium* habuisse, nec sine eo *Pallium* vel ipsum gerere, vel alijs mittere potuisse. Quare si est aliquid *Pallio cum Fide*, etiam in illâ Fidei procuratione *Caput*, Imperatorem fuisse.

Quàm verò impotenter fert, subnexam ibi in Apologiâ *Gregorij* suggestionem Putes, *Gregorium* iam *fidei suæ Caput* non credere. Nam si crederet, paulò magis patienter monentem sustineret, vt *Caput fidei* Pontifex Deum timeret, nec *in mortem cuiuslibet* (nedum Principum) se misceret. Non fuit *Sabinianus* Præfectus: certè, nec Cardinalis: successit in Pontificatu *Gregorio*; sed inter *duo* hæc *fidei Capita* vix bene conueniebat. vterq; tamen fuit Pontifex. Tantò æquius *Pontificem* audire, quod & à *Pontifice vno* suggeritur, & per *Pontificem alterum*. Sed *nihil ad rem suggestio hæc*. Nihilne ad rem, *Ne in mortem se misceat?* Pòst salutem animæ, quid magis ad rem quàm vita corporis? At Pontifex *non occultè per Sicarios*, *sed publicè per Censuras agit cum Principibus*, *si inobedientes sint*. Agit. Quid hoc verò ad rem? Id dicere debebas, *non occultè per Sicarios*, *sed publicè per Censuras*, miscet se in morte Regum: De eo enim suggestio erat. Quod si *agendi* verbum, tam illi placuit, etiam cum quibusdam, ita *per Censuras* egit, vt animas *egerint*. Etsi enim Censuræ eius, aciem nullam habeant, agunt tamen, & quasi *Tubæ* sunt & *Classica*, quasi Prętextus & Latebrę seditionum: vt postquam emissa semel sunt, cum *Principe* non secus agere liceat, quàm cum *hoste*, & sine scrupulo, cuique *se in illius morte miscere*. Vbi, malè à te oppositæ *Censuræ Sicarijs*. Sicarij mortem inferunt vel Regibus. At Rex iam vspiam est, qui post nescio quot Pontificum, nescio quoties iteratas Censuras, superstes tamen est. Illud dictum oportuit: non *occultè* per *Sicarios*, sed *publicè* per armatas *cohortes*, miscere se in

morte

morte cuiuslibet hominis. Ita enim præter illa, quæ Patres narrauerunt nobis, vidimus ipsi, *miscentem* se Pontificem *in morte* multorum millium, fame, peste, gladio, quotidie pereuntium, potiùs quàm Regi suo legitimo, vrbis portas aperirent. *Per Sicarios* tamen, non facit. Quasi referat *Sicarij* manu quis cadat, an *militis*; cadat modò. Quasi valdè intersit, submittatne *Sicarium*, an *Cardinalem* qui authoritate, *Iesuitam* qui disputando, *Concionatorem*, qui declamando animos addant subditis, ad Regem quoque modo trucidandum: *Dolus an virtus quis in hoste requirat?* Fortè autem *Sicarius* ad manum non est, qui operam deferat. Nam si sit *Parreius*, non deerit *Comensis*, qui operam illam, pergratam Pontifici spondeat, & (si effectam dederit) amplâ mercede transigat.

Sed quorsum nobis, aut vnde mentiò *de Sicarijs*? Quis *Sicarios* hic nobis submisit? Tortus. Nam de *Sicarijs* apud Cardinalem, ne syllaba. Sic ille: *Pontifex nunquam Principem vllum cædi mandauit. Vi, an fraude*; Marte, an *arte* mandârit, si mandârit, *Cardinalis* non verax. *Occultène se in morte misceat* an *apertè*; *clam*, an *palàm misceat se in morte*, *Tortus* mendax est. *Palàm* id & *publicè* factum à Pontifice non ibit inficias: *Gregorius* id non faceret, ne sic quidem *in morte se misceret*. Satis id instituto nostro. Nouæ *Fidei* iam *Caput* Pontifex, per *quam* plus ei licet, quàm licuit *Gregorio*. Remittimus ergo *Torto Sicarios* suos, ac quamuis ei doleat, iterum Pontifici breuiter *suggestionem* illam *Gregorij*, ne se *in morte* cuiuslibet hominis *misceat*, si vult *Gregorij* Prædecessoris sui vestigijs diligenter insistere.

ETsi autem iniquum est, vt in causâ suâ quis testimonium dicat (vel si ipse Papa sit) tamen cùm Cardinali vix alij ad manum essent, quos proferret, post *Gregorium* iam, *Leonem* audire cogimur. *Maximos viros* (*vt erant maximè*) sed tamen in hac Sedis suæ causâ, parciùs adhibendos. Vix enim erat, vt *Spartam suam ornare* nollent, quâ & ipsi vicissim *ornarentur*. Verùm alij non suppetunt, nisi qui tepidè hanc causam agunt. Nec enim facilè reperias qui tam velint zelatores esse Sedis *alienæ* quàm *suæ*. *Leonis* verò *verba peruerti* nihil opus; concedi vobis possunt. *Prima* quidem spectare, ad Petri personam ipsam, Papam nihil attinere: Etiam nec *Vltima*. [*Cui quisquis*] ibi dicitur, non, [Quisquis *huic Sedi*:] *Huic Sedi*,

 Cardina-

Cardinalis addidit de suo. *Cui* autem, de *Petro* dicitur, non de *Sede*. *Media* verò, quis non concedat? Abiit vt quisquam *recedat à soliditate Petri*; sed *soliditas eius*, non in *Sede* eius, putri ligno, sed in *Fide*, quouis saxo *solidiore*, in quo & ipsam, *Leo* ipse constituit. Sed neque nos *Sedi* dignitatem vllam inuidemus: quam *ab vltimâ vsque antiquitate habuit* eam retineat, dum à *soliditate* tamen Petri non *recedat*. Quorsum autem ad hæc verba, Tortum quis agat?

Quàm verò in eo importunus, quòd traducit Authorem Apologię, quasi *Leoni* ibi *conuitium* dixerit. Quàm tu à *modestiâ* omni, tam ille abest à *conuitio*; nec qui vir fuerit *Leo*, quàm gloriæ appetens, quàm dominandi cupidus, attingit ibi vel verbo. *Alius* fecit: si rationē facti reddidit, quid *culpas?* Si non reddidit, *quis laudat?* Malè quod fecit, sibi fecit. Quid hæc ad Nostrum? Vbi candor? Sed à te quis candorem requirat, qui, eo quòd *Leonem ambitiosum ad laudes Petri* dixerit (quod & potest & solet dici in bonam partem) *notâsse* dicis *ambitionis* bonum Patrem. Vbi vix dicat lector quid magis miretur, *inscitiam*, an *nequitiam*, an *vtramq;*, an vtrâque deteriorem *malitiam*. Quis enim nisi iniquæ mentis, *ambitionem* dicat, si quis in laudes non *suas*, verùm *alienas* (Sancti scilicet alicuius) non studiosus modò, sed etiam *ambitiosus* existat? *Ambitionem*, de alieno honore quis audiuit vnquam? Quid quod neque *Leonem* distinguit ab Hortensio; *immodicè laudâsse Hortensius* ibi dicitur, *Leo* non dicitur. Excellat verò *Leo* Sanctitatis gloriâ; excelluit & *Petrus*; alicubi tamen, *non recto pede ambulauit*. Nec piaculum sit, si quis idem *Leoni* accidisse dicat, quod *Petro* Domino suo: dum tamen verbo non violet, dum (quod facit Apologia) arbitrium ponat in aduersarij sui Cardinalis ipsius conscientiâ. Qui si id expromat nobis ingenuè, quod dictat ei conscientia, fateatur scio, in illis [a] *de assumpto Petro in consortium Indiuiduæ Trinitatis: de non solùm Deo, sed Petro etiam inspirante:* Et illis, [b] *nihil à bonorum fonte Deo, in quenquam sine Petri participatione transire:* à medio discessum esse, eaq; *condonari* potiùs iam posse *eloquentiæ*, quàm sanctè ab eo tum *affirmari* potuisse.

a *Epist.* 89.

b *Serm.* 3. *in anniuer. assump.*

Falsa ergo quæ de ambitione. Æquè falsa quæ de Historiâ non verè relatâ. Vbi, non negat *paria* ibi *Priuilegia* vtrique

tributa.

tributa. Negat *Contentionem*, sed quâ fronte? Annon à *Leonis Legatis* ibi contentio est manifestè mota? Pridiè enim cùm de *æqualitate* istâ *Priuilegiorum* vtriusque *Romæ* referretur ad Concilium: vltrò statim discesserunt, *Leonis* tum Legati. [a] Rogati vt subsisterent, & de istis communicarent, penitus recusârunt; causam etiam addiderunt: *aliter se habere in mandatis*. Post discessum eorum, relatum ad Iudices, qui iusserunt, vt Patres negotium hoc Priuilegiorum inspicerent. Postridiè verò Legati rursus intercesserunt; [b] circumuentos se dixerunt; Patres ei Canoni subscribere *coactos*. Reclamârunt ibi omnes; Neminem *coactum*. Tum Legati negare Canones *Constantinopolitani* primi in Synodicis Canonibus haberi. Pòst, iussi mandatum suum proferre, protulerunt; quo (ne quis putet Leonem contentionis huius immunem) mandauit [c] *Leo, vt seruarent omnimodis Personæ suæ dignitatem, & si qui fortè Ciuitatum suarum splendore confisi, aliquid sibi tentarent vsurpare, hoc* (*quâ dignum erat Constantiâ*) *retunderent*. Præuidit ergo *Contentionem* ibi tum gliscere, & *Constantinopolitanum Ciuitatis suæ splendore confisum*, aliquid moliri, quo par fieret Romano: Non obstante tamen hoc *Leonis* mandato, de integro relatum ad *Patres*; singuli ibi, præsentibus Legatis suffragati sunt. Iudices sententiam tulerunt, [d] *oportere Episcopum vrbis Regiæ, nouæ Romæ, ijsdem primatibus Honoris, & Ipsum dignum esse*. Patres omnes acclamârunt, *Sententiam iustam*; *Omnes se eadem sentire, Omnes in sententiâ permanere, Hoc omnibus placere, Omnia ordinatè decreta esse:* Quid tum *Lucentius* vicarius *Leonis?* [e] *Sedes Apostolica præsentibus humiliari non debet*; (*humiliata* ergo tum Romana Sedes, vel Legato Romano iudice) petit circumduci Canonem; queritur de iniuriâ Sedis Romanæ; repulsam tulit à Iudicibus, à Synodo totâ. Paucis rem totam retuli, cuiuis vt perspicuum fiat quàm bonus vir *Tortus*, quàm veridicus, qui *Contentionem* inter eos vllam negat tum extitisse.

a Concill. Edit. Venet. Tom. 2. pag. 334.

b Pag. 337.

c Ibidem.

d Ibidem 339.

e Ibidem.

De *paribus* verò ibi vtrique concessis *Priuilegijs*, quomodo se expediet *Tortus? Paria* (inquit) *Priuilegia intelligebant, respectu inferiorum*. Sed quis *Tortum* hîc Concilij interpretem constituit? aut vnde hunc habuit intellectum suum? *Lucentius*, credo, rem meliùs intellexit *Torto*. Is de *iniuriâ* Sedis *Romanæ*,

& *Leonis*, ibi queritur; non de *Antiochena*, aut *Alexandrina*; & Sedem ibi Apostolicam *humiliatam* dicit. Tum ratio quam ibi reddunt Patres Decreti sui, non *inferiorum* modò *respectu* redditur, sed ad *pares* quoque se porrigit. Quæ enim
[a] Tom. 2. 332. habuerat tum Sedes Senioris Romæ honoris *Priuilegia*, [a] à Patribus habuisse, quòd *penes eam tum Imperium* fuisset: cùm *Imperium* iam, & *Senatus*, *sint penes Constantinopolim*, *eadem* quæ *Romæ* olim tributa sunt, ratione eâdem *Constantinopoli* iam esse tribuenda. Ratio hæc omnes respicit; non inferiores solùm. *Omnium* ergo *respectu* intelligendus Canon. Satis hæc clara per se: & *Torto* negotium exhibebant. Sudat ergo hîc & in omnem partem se torquet. Arx enim ista causæ; quare, ruenti *quatuor* rationum fulcimenta subijcit, sed *caduca*. Primò, *Renouari tantùm à Chalcedonensi Canonem Constantinopolitanum*, quo, honor habetur *Constantinopolitano*, sed post *Romanum*. Falsum hoc primò. Agnoscere se quidem dicunt Canonem illum Patres Chalcedonenses; quæ verò ipsi ibi statuunt, [b] ὁρίζειν καὶ ψηφίζειν, *definire* se dicunt & *decernere*; *renouare* non dicunt: agnoscere autem alijs terminis, quàm qui ponuntur à te; *æqualia* nempe *ibi vtrisque* (etiam in *Constantinopolitano*) *Priuilegia* esse *decreta*.

[b] In Concil. Græc. Tilij. Paris. ann. 1540.

Idem quoque haberi dicit in *Epistolâ Concilij ad Leonem*; falsò & id etiã. Ac primò quidem ludit voce *Cõfirmationis*. Non enim aliter, quàm *suffragio* suo *confirmari* à *Leone* petit Decreta sua Synodus, nec *Leo* ipse aliter respondet, quàm ea se *toto corde complexum esse*. Martiani *Sacrâ* (quod suprà docui) Synodus confirmata est, Leonis *suffragio approbata*. Sed *in eâ epistolâ* (ait Tortus) *nullam mentionem faciunt parium Priuilegiorum*. Nam quid opus hoc vt facerent, cùm Canones ipsos integros, ad Leonem tum transmitterent; Dicunt autem ibi, *se renouâsse Canonem secundæ Synodi*. Ne id quidem; *confirmâsse*
[c] Tom. 2. 344. se dicunt, renouâsse non dicunt. Sed & præterea [c] *opportunum credidisse se, propter Imperatores ipsos, qui super eo delectabantur, propter Senatum, propter Vrbem ipsam, honoris eius confirmationem ab Vniuersali Concilio celebrari*. Quæ verba quid sibi velint, exinde scias, quod scribant ibi Patres, Leonis locum tenentes in Concilio *vehementer* illis *resistere* tentâsse. Non autem sine dubio *resisterent*, si *confirmatus* ibi modò fuisset canon Synodi secundæ;

secundæ; qui ipse priùs à *Damaso* fuerat approbatus. Tum neque *Leo* ipse tot postea Epistolis suis apud *Imperatorem*, *Imperatricem*, *Anatolium*, *alios* nescio quot, tam in *Canonem* illum acriter inueheretur, si nihil ibi aliud actum, quàm priùs in Concilio Generali, cui & prædecessor suus assensum præbuisset. Non cohærent hæc *Torti*. Illa verba Leonem pupugerunt, [c] μεγαλύνεσθαι Constantinopolitanum, ὡς ἐκείνην ἐν ἐκκλησιαστικοῖς πράγμασι quæ verba reperias in *hoc*; in *Concilio secundo* Generali nusquam reperias. Nec ex eo quicquam efficitur, quòd *in Epistolis suis Leo non meminit parium Priuilegiorum*. Sed de *Alexandrino* atque *Antiocheno* meminit modò, qui paulò depressi erant, antepositο illis tum Constantinopolitano. Quis enim non videt liberiorem multò Leonem esse potuisse, addo & acriorem, si *illorum*; (id est) si *alienam* causam ageret, non *suam*? *Sibi* factam iniuriam, negligeret, *alijs*, acerbè persequeretur? Sed *humiliatam* eo Canone Sedem Romanam: *iniuriam* Leoni factam, credimus Leonis Legatis in Synodo clamantibus; *Torto* frustra reclamante, si ad rauim vsque clamet.

[c] *In Concil. Græc. Tilij. Paris 1540.*

De *Gregorij* autem Epistolâ illâ *ad Eusebium* viderit *Tortus*, atque ampliùs etiam deliberet censeo. *Dominus* enim *pijssimus Imperator*, siue is *Mauritius* fuit, nunquam *Gregorio* professus est Constantinopolitanum subijci, nec Constantinopolitano titulum *Oecumenici* negauit: siue *Phocas*; nec is, nisi post mortem *Gregorij* demum, hoc agnouit. Viderit etiam, quis ille fuerit *Gregorij* Frater, *Eusebius Episcopus ciuitatis Constantinopolitanæ*, cùm certum sit, nullum Constantinopoli *Eusebium*, vel ætate *Gregorij*, vel *centum*, siue ante siue post eum annis Episcopum fuisse. Viderit annon Epistola illa meritò in dubium vocari debeat, tanquã adulterina. Viderit annon plures apud *Gregorium* eiusdem *furfuris* (non enim *farinæ*,) si sit otium excutere. Sed annon mira *Torti* arrogantia, qui putet persuadere se posse cuiquam, etiam conetur probare, è Leone, è *Gregorio* ἴσα πρεσβεῖα (quæ bis ibi in Canone Chalcedonensi leguntur) *æqualia* seu *paria* Priuilegia non significare? Videmus, nec semel, *Paria* ibi *Priuilegia*. Ille ibi non videre nos probat, quæ videmus; quòd *Leonis* Epistolæ *parium Priuilegiorum* mentionem non faciunt. Quæ verò est, si hæc non est

impudentia? Verè ergo ſcriptum in Apologiâ, *Concilij Chalcedonenſis Patres æqualem* Authoritatem Conſtantinopolitano Patriarchæ aſcripſiſſe, nec vllo modo paſſos eſſe Romanæ ſedis ſuper illam Priuilegium, *non* [*vnum*] *illud à Torto* eſt; ſed non *Authoritatis*. Nam de primâ ſede non contendimus. Verè & illud, *contendiſſe cum Romano Conſtantinopolitanum de Primatu*, non quòd *prior illo* eſſe voluerit, vt *Iohannes* pòſt: ſed quòd *æqualis* illi, quod tum *Anatolius* ſatagebat.

ETſi autem (dicit ibi Apologia,) *tantum Petro detulit* (*tantum*, non *nimis multa*, vt *Tortus*, qui in hijs nimis multus eſt) *tamen nihil Cæſari ademit, ſed & honoris vocabula, & Authoritatis Priuilegia ei cuncta attribuit, poteſtatémque eius agnouit Concilia conuocandi, arbitratu ſuo.* Hîc *Tortus* ad tria illa priora mutus (vt quæ negare non poſsit) vellicat poteſtatem *conuocandi Concilia*. Relabimur ergò quò priùs, ad vim atque iura Concilia indicendi. *Torti* ea culpa eſt; qui experiri iterum vult in hac cauſâ *vires Achillis*; quotieſcunque tamen fecerit, inauſpicatò id facturus. Nec enim vſquam laborat magis *Cauſa Pontificia*, quàm hac vnâ in re; nec vllius Pontificis, magis quàm Leonis; cuius tot extant Epiſtolæ, non mandantes Concilium fieri; non, ſed *demiſſè petentes*, nec tamen impetrantes; *non impetrantes* vel *de loco* vel *de tempore*; & tamen obtemperantes: vt penè referre pigeat. Quid autem hîc iam refert? *Negari non poſſe, quin in Concilijs Generalibus indicendis aliqua eſſet Imperatoris Authoritas.* Suprà, *interdum congregata* dixit *ab Imperatore*: at nos ibi *ſemper*, nec niſi ab Illo. Hîc iam *aliqua* (inquit) *fuit Authoritas Imperatoris*: nos verò non *aliqua*, ſed *ſumma*, & *ſola*, quoadúſque quidem res Imperij inclinatæ non ſunt.

Docui de *primis quatuor* Concilijs Generalibus iam antè: addo iam de *quatuor poſterioribus*. Concilium *Conſtantinopolitanum ſecundum*, ac *Generale Quintum*, [a] iuxta pium iuſſum à *Deo cuſtoditi Imperatoris Iuſtiniani conueniſſe*, habetur pluribus locis Concilij. Dico autem illud hîc. Si Pontificij ius ſit, vt mandet Concilia fieri, cur Concilio huic *Quinto* (ſi ipſe illud fieri mandauerat) *ſuo*, à *ſe* conuocato, intereſſe noluit, cùm tamen per id tempus eſſet Conſtantinopoli Pontifex ipſe Romanus, legatus eò *ex mandato Theodahati* Gotthorum Regis?

[a] Tom. 2. p. 579

Concilium *Constantinopolitanum tertium*, ac *Generale Sextum*, (vt & de se testatur ipsum) [b] *secundùm* Imperialem sanctionem *congregatum est*: Præsidente in singulis eius Actionibus Imperatore Constantino. Extat ibi *Diualis Sacra* ab Imperatore ad *Donum* Pontificem. Quo interea de de viuis sublato *Agatho*, qui ei in Sede Romanâ successit, [c] respondet *Diuali*. Audi verò quo stilo, quàm sine mandato vllo. *Hijs Mansuetissimi rerum Domini Diualibus Apicibus animatus, meliori sum refectus confidentiâ paulatim, ijs, quæ per Mansuetissimæ Fortitudinis vestræ Sacram dudum præcepta sunt* efficaciter promptam obedientiam exhibere, *vt personas, quales secundùm temporis huius defectum, ac seruilis Prouinciæ qualitatem poterant inueniri*, pro obedientiæ satisfactione *inquirerem, & vt* ad Pijssimæ Tranquillitatis vestræ vestigia *properarent, hortarer*. Et paulò pòst. *Ideoque secundùm* Pijssimam Iussionem *à Deo Protegendæ Mansuetudinis vestræ* pro obedientiâ quam debuimus, *non pro confidentiâ eorum scientiæ, quos dirigimus: præsentes confamulos*, cum omni cordis deuotione, *curauimus demandare*. Pòst etiam. *Pro quibus* flexo mentis poplite suppliciter *Vestram ad mansuetudinem semper intentam Clementiam* deprecamur, *vt iuxta Benignissimam atq. Augustissimam Imperialis Sacræ promissionem acceptione eos dignos efficiat, atque placabiles aditus eorum, humillimis suggestionibus accommodare dignetur*. Denique *Non enim nobis eorum scientia confidentiam dedit, vt de hâc* Serui li *Vestri Serenissimi Principatus* Romanâ vrbe *ad Pia vestra vestigia auderemus eos dirigere, sed hoc Imperialis vestra Benignitas*, clementer iubens *hortata est, &* nostra pusillitas quod iustum est obsequenter *impleuit*. Audis hîc Pontificem, *Imperialis iussioni* in Concilij negotio *efficaciter promptam obedientiam exhibentem: Vrbem Romanam & Prouinciam, Imperialis Principatus Seruilem vrbem & Prouinciam esse*, profitentem: *Pro obedientiæ (quam debere se fatetur Imperatori) satisfactione, Legatos ad Sacra eius Vestigia demandantem: Flexo mentis poplite, suppliciter deprecantem: Pusillitatem Pontificalem, quæ Benignitas Imperialis iubet, obsequenter implentem*. Quàm hæc verò verba, mandantis non sunt?

Concilium *Nicenum secundum*, ac *Generale Septimum*, [a] *per pium Imperatorum Decretum, congregatum se*, ipsâ in fronte loquitur.

[b] Tom.3.237.

[c] Tom.3.244.

[a] Tom.3.pag. 453.

quitur. Legitur ibi Diploma Imperatoris, in quo, *Synodum*
b Tom.3.457. *se congregâsse* bis asserit. [b] *Hunc*(inquit) *petitioni* (*Tharasij* scilicet Constantinopolitani Episcopi) *annuere tum visum est, meoque nutu iussu conuenire, imò, vt veriùs loquar, Deo sic volente, Nobis verò Praeeuntibus congregaui vos.* Legitur ibi in Epistolâ
c Tom.3.471. *Adriani* Papæ ad Imperatores: [c] *Nuper verò per piam vestram* iussionem, *de voluntate vestrâ instructi, Omnipotentem Deum pro*
d 475. *vestro Imperio precibus sollicitauimus.* [d] *Hac Serenitatis vestræ Potentiæ* cum omni humilitate, *& sincero corde discutienda offerimus*; obsecrantes *interim, ex animi fauore vestram Mansuetudinem obtestando, & veluti præsentes* Genibus aduoluti & coram Vestigia Pedum volutando *ego cum fratribus meis, coram Deo supplico, vt Sacras Imagines restitui, & firmari iubeatis.* Legitur
e Tom.3.595. in Epistolâ Concilij ad Imperatores: [e] *Vos Sacrum hunc nostrum copiosum in hac Nicaensium Metropoli conuenire* iussistis cœ-
596. *tum.* Etiam in Synodicâ ad omnes vbique Episcopos: *Deo placuit, Pios & fideles Imperatores excitare, qui nos in splendidam Metropolim Nicæam conuocarent.*

De *Constantinopolitano quarto*, ac *Generali Octauo* (vt vos quidem vultis) dicendum iam. *Græci* verò *octauum* nullum agnoscunt, *Septem* tantùm. Hoc *Patriarchicum* potiùs fuisse quàm *Generale*, quòd in eo tractatum non sit de *Fidei* negotio vllo: quòd *particularis* tantùm causa inter *Ignatium* & *Photium* acta, quæ totam Ecclesiam nihil attinebat. Permulta autem fidem illi detrahunt. Nam *Iulianus* Cardinalis de *Octauo* isto, nihil sibi vobísque curæ esse
f Tom.4 799. apertè dixit in Concilio *Florentino.* Et Canonum numerus non concordat. Vos enim *viginti septem* edidistis, at Codices Græci, quatuordecim tantùm habent. Tum vestrum hoc *Octauum*, quod sub *Adriano* fuisse vultis, ab *altero subsequente*, quod sub eius Successore *Iohanne* fuit, antiquatum est. *Photius* enim, qui in *vestro* hoc depositus, *in illo altero Iohannis*, restitutus, præsentibus tum Legatis, *Iohannis locum tenentibus* Paulo & Eugenio, *Iohanne* ipso etiam *Romano* restitutionem eius approbante. Præterea, facies ipsa Concilij posterioris, *Generali* similior, in quo *trecenti* & *octoginta* Episcopi fuerint, cùm in vestro *centum* modò essent. Denique, Imperator ipse *Basilius*, quantum fuerit mutatus in *Photium*, quo animo

nimo in vestrum illud prius Concilium, in *Martinum* Pontificem, in Ecclesiam ipsam *Romanam*; legas ex [a] Epistola *Stephani*, ibi ad *Basilium*. *a Apud Binn. Tom.3.part.2. pag.900.*

Sed non contendam; fuerit *Generale*. Sic initio loquitur *Basilius* apud Surium, [b] *Cùm diuina & benignissima prouidentia nobis, Gubernacula Vniuersalis Nauis commisisset, omne studium arripuimus, ante publicas curas, Ecclesiasticas dissoluere procellas.* Hic Surio, opus fuit marginali Notâ; quæ hæc est, *De ciuili administratione hæc accipienda sunt.* Frustrà. [c] *Binnius* enim iam pòst *Nauis*, apposuit, *Ecclesiasticæ*, vt *Basilius* iam Gubernator sit *Vniuersalis Nauis Ecclesiasticæ*. Scio *Binnium* pro, *nobis*, legere, *vobis*, sed perperam. Ita enim sensus erit ibi nullus. Sic enim dicturus Imperator. Cùm *illis* (putà Episcopis) non sibi, *gubernacula* commissa sint, *se* tamen operam dedisse, vt Ecclesiæ controuersiæ componerentur. Sed ita sunt Editiones vestræ: vtinam exemplaria ipsa Græca aspicere liceat; facilè sic vestra fraus omnis eluceret. *b Tom.4 part. 11. Edit.Venet.* *c Tom.3.part. 2.pag.880.*

Sed & *in vestro hoc*, vestigia sunt veritatis. Actione *sextâ*, [d] *Persuasum est nobis, Sanctæ huic & Oecumenicæ Synodo, quam à Deo coronatus Imperator noster, de componendâ, & restituendâ Ecclesiâ Constantinopolitanâ coegit.* Actione *septimâ*: [e] *Imperator omnem operam dedit, vt ex alijs Patriarchijs Legatos* euocaret, *Conciliumque Generale* cogeret, *eamque rem perfecit.* Postremò, sic [f] *Stephanus* Papa, in Epistolâ suâ ad *Basilium*; *Quid peccauit Romana Ecclesia? Nonne pro veteri Synodorum Constantinopolitanarum more, te imperante, Legatos misit?* Quid quærimus? *Mandauit* atque *imperauit* Imperator: Eo *imperante* Pontifex Legatos mittit. Reliqua verò pòst, *Concilia* nihil moramur, quæ [illegible] fortassè, *Oecumenica* dici non merentur, quippe solius *Occidentis*, non totius [illegible] *d Idem ibidem, pag 886.* *e Pag.892.* *f Pag.900.*

Rationem verò reddit *Tortus*, cur aliquam saltem Imperatoribus relinquat in Concilijs habendis authoritatem: *Quòd non deceret conuenire (ut) Episcopos, absque eius consensu.* Non deceret autem? Quidni? si Pontificem conuocare *deceat*, cur illis *turpe sit* conuocanti parêre; adeóque etiam *conuenire*? Fortè & indecorum Pontifici conuocare: Nihil enim illum *decet*, nisi mandata *Cæsari* dare. *Cæsar* tamen, si consensum Episcopis negare potest in ciuitate quæ sua sit, *conueniendi*; potest

rest & Pontifici (credo) *conuocandi*. Verùm alia res erat. Nec enim illud *non decuit*, sed *non licuit*; cùm lege de Conuenticulis cautum esset, ne vel *Religionis causâ* haberi possent Conuentus, nisi consensu *Cæsaris* priùs interueniente.

Addit verò, quod mireris. *Pios Imperatores sæpe de Ecclesiæ bono & pace sollicitos Concilia indixisse, sed postquam à Pontifice mandatum accepissent*. Imperatores verò *sollicitos de Ecclesiâ*? Non oportuit. Nihil ad illos pertinet de rebus Ecclesiasticis, *præter reuerentiam*. Ad illos *sollicitudo* illa non pertinet. Quid Pontifex interim? Hæc enim illius prouincia; Sinetne Imperatorem sic limites transilire? Sinit vtique, vt videtur, *mandato dato*. Eo *dato* licet; *non dato*, non licet. De se igitur non *illicitum*. Posset & hæc etiam Reges cura decere, & pertinere ad omnes. Tota res *in Pontifice* vel annuente, vel abnuente. Petant *ab eo*, *ab eo* sumant mandatum, & fruantur sanè. Quod si ita sit, vtinam vnico mandato rem transigat; exoneret se qui tam longè abest; in illos transfundat, qui quid Ecclesiæ necessitates postulent, propiùs intuentur: Alius hoc iam diceret. Quin si *non licet* hoc illis, qui in plebis sorte sunt; nec Pontificis *mandatum* facere potest, vt possit *licere*. Sin sic potest, si res à se honesta; quidni idem *liceat*, *Pontificis nutu* non expectato? Debet verò negari (falsum enim est) *præcipuam fuisse Romani Pontificis authoritatem in Conciliis indicendis*. Probat autem: Quam verò id apte? *Non enim rata fuisse sine eius consensu*. At neque verùm illud. Rata enim Concilia, in quibus *Pontifices depositi*, sine eorum autem, qui *depositi*, *consensu*, quis non videt? At verò *absque Principis consensu* rata fortè vt *Canones*, apud conscientias fidelium; rata vt *leges* nunquam erant vt contumaces constringerent, quibúsque *Censura*, verbalis est, non realis gladius. Ita & rata sine Pontifice, & sine Imperatore non rata.

Verùm *in Chalcedonensi Synodo iubetur Dioscorus surgere, nec sedere inter Episcopos, quòd Synodum ausus facere, absque Pontificis authoritate*, quod, inquiunt, *nunquam licuit*, *nunquam factum est*. *Iubetur*? à quibus? A Legatis *Leonis*. *Inquiunt* qui? iidem ipsi *Leonis* Legati. Verùm, non ex eo quod iubetur quid, sed ex eo quòd iubenti paretur, concludi solet. At *Dioscorus* non paruit. Legati surgere illum: Iudices sedere etiam iusse-

Tom. 2. pa. 135. Edit. Venet.

runt,

runt, nisi & Legati ipsi vnà surgerent. Damnatus tum quidem *Dioscorus*, non quòd absque Pontificis authoritate Synodum fecisset, quin ex causâ longè aliâ, [a] *contumacis absentiæ*, quòd sistere se nollet vocatus à Concilio; cùm sibi malè conscius esset, propter iniustè, & per vim à se depositos *Flauianum* & *Eusebium*. Quam tu verò affers, nulla damnationis causa; ac ne *audita* quidem est à Iudicibus, neque verò *audiri* debuit. Legitimè enim indicta Synodus illa *Ephesina*, non minùs legitimè, nec aliâ authoritate, quàm hæc *Chalcedonensis* ipsa. Legitur ibi Sacra Imperatorum *Theodosij* & *Valentiniani*, [b] quâ iubent *Ephesi* Concilium fieri: cui & *Leo* ipse paruit, eóque misit Legatos suos *Iulianum* Episcopum, ac *Hilarium* Diaconum, qui & ipsi ibi tum interfuerunt; & inuiti fortasse audierunt, sed audierunt tamen, primatum, & primam authoritatem in Synodo illâ, *Dioscoro* ab Imperatoribus delegatam. Non ergo de Synodo illegitimè factâ reus ibi *Dioscorus*, non magis quàm *Leo*. Licuit fieri, factum est, vt *Ephesinum* illud, ita [c] *Chalcedonense* hoc Concilium, sine *Leonis* authoritate vtrumque. In vtroque *mandatum illi est* ab Imperatore, in vtroque *paruit*, in neutro *mandauit*. Sed ideo reus *Dioscorus*, quia contra ius & fas suffragia extorsit per vim, & *Flauianum*, nullo seruato Iuris ordine, condemnauit immerentem.

Falsum & illud nihilominùs, quod affers è Synodo *septimâ*, *irritum ibi iudicatum fuisse Constantinopolitanum quoddam, quod ab Imperatore congregatum fuisset, sine consensu Apostolicæ Sedis.* Nulla ibi mentio de Imperatoris potestate; nulla de eo, quod *sine consensu* Papæ Romani congregatum ab eo fuisset. Quid ibi dicitur, hoc est: Non potuisse Synodum illam *Vniuersalem* dici, [d] quòd ei neque Papa Romanus, neque *Alexandrinus*, neque vel *Antiochenus*, vel *Hierosolymitanus*, vel per se, vel per Legatos, aut literas interfuissent, quemadmodum fieri in Synodis amat. Neque certè cùm hi omnes abessent, *Vniuersalis* ea Synodus dici potuit. Verùm, tam ex reliquorum absentiâ hoc, quàm ex Romani, qui *cooperarius* in eâ negatur fuisse, cum reliquis scilicet ibi *cooperarijs* suis. Verbum autem vel de indictâ Synodo, vel de indicendi authoritate, ibi nullum. Nec authoritas ibi defuit, eâdem enim etiam illa authoritate congregata est, quâ *Nicena secunda*. Illa autem Decretum

[a] Tom. 2. pag. 242. & 243.

[b] Tom. 2. pag. 136.

Pag. 141.

[c] Pag. 226.

[d] Tom. 3. pag. 386.

cretum *Constantini* & *Leonis* : *Nicena* iuxta Decretum *Constantini* & *Irenæ.* Sed præsentia defuit Patriarcharum; ea vna res in causâ fuit, ne *Generalis* haberi posset.

Satis autem esset de Concilio *Romano* in causâ *Symmachi* respondere, *Generale* id non fuisse, de quo nobis iam quæritur. Nihil ergo ad propositum nostrum: Etsi in eo etiam, non tam *de potestate Congregandi*, quàm de causâ Congregationis quæsitum est. Non *de potestate.* [a] *Præcepto* enim *Gloriosissimi Regis Theodorici è Regionibus diuersis conuenerunt*; in eoque, *potestatem* in eo *agnouerunt Congregandi*, vel sine Pontifice. Alioquin enim ne conuenissent quidem, substitissent domi; præter Regis præceptum, Pontificis Authoritatem expectâssent, nec vel domo aliter pedem mouissent. Quare cùm ex præcepto Regio conuenerint, non vocati à Pontifice; *potestatem ad hoc* in Rege sciuerunt, eique detulerunt. Postquam verò conuocati iam de causâ quærerent, eamque audirent esse, vt de Pontifice suo ferrent sententiam; scirent autem, minoribus in maiorem potestatem nullam esse, nisi qui Maior est, minòrum se iudicio spontè submittat; in eâ quidem causâ responderunt, quod res erat, absque Pontificis consensu, ne vocandos quidem fuisse, nec iam cùm adessent, posse de causâ cognoscere: nec enim Antistitem suum, minorum iudicio, id est, suo, subiacere posse, nisi ipse se subijciat. In hac itaque causâ opus erat, vt Rex ijs testatum faceret, præter Pontificis conscientiam, nihil ab illis, nec in aduentu factum, nec in iudicio faciendum esse. Actum ergo ibi de causâ, & Episcoporum ad causæ cognitionem potestate, non autem Regiâ ad Synodum conuocandam: Satis tamen vel in eo Concilio elucet Regia potestas: *iussus* enim *Regijs præceptionibus* Symmachus ipse Papa, *ante patrimonij vel Ecclesiarum receptionem in disceptationem venire.* Tùm, vbi dicerent accusatores Symmachi, *crimina apud Regiam notitiam constare*; responsum, *si constitissent illa Regi, non illorum audientiæ rem commissurum, sed ipsum de re totâ cogniturum fuisse.* Pòst, *conferunt se ad iustitiam Principalem*; *eique omnia per relationis seriem ingerunt*; fatentur *Dominum Regem facultatem habere quod vellet faciendi.* *Sine Regiâ notitiâ aliquid decernere non præsumunt.* Quod decernunt, id *iuxta mandatum Principis,* *secun-*

a Tom. 2. pag. 470.

b Tom. 2. pag. 470. 471.

ſecundùm Principalia præcepta ſe facere teſtantur, quæ illorum hoc poteſtati tribuebant. Poſtremò, quæ *Theodorici* Regis in *Symmachum* poteſtas, ex eo ſcias, quòd cum in electione eius Schiſma extitiſſet, inter *Laurentium* & *Symmachum*; Rauennam ambo euocati coram Rege, vbi poteſtati Regiæ delatū vt de electione pronunciaret: nec, niſi ex ſententiâ Regis [a] *Symmachus* tum Papa factus eſt. Papam qui facere potuit, potuit & iudicare. [b] *Iohannem* qui paulò pôſt in ſede ſucceſsit, ſcis ipſe iudicio *Theodorici* in carcere diem obijſſe. Ad *Conſtantinopolitani primi* Epiſtolam, reſponſum à me ſuprà, Non eſſe Epiſtolam illam Concilij: Non eſſe in Epiſtolâ verba illa *ex mandato*: Germanam Concilij Epiſtolam, illud ab Imperatore indictum profiteri.

a Platina in vita Sym.

b Idem in vita Iohan.

Ad literas *Hadriani ſecundi* in Synodo veſtrâ *Octauâ*, in quibus verba illa; *Volumus per Tuæ Pietatis induſtriam Conſtantinopoli numeroſum conuocare Concilium.* Primùm, ibi per Torti *induſtriam*, verbum aliud pro alio poſitum. *Conuocare* dicit Tortus, [c] *celebrari* dicit Hadrianus. Intereſt autem nonnihil, inter *volumus conuocare*, & *celebrari volumus*; *celebrari* poteſt ab Imperatore; *volumus conuocare*, niſi ad Pontificem, referri non poteſt. Tùm, *volumus* ibi dicit, ſed ſine *iubemus*; quæ vox per ſe poſita, *mandandi* vim non habet; docet potiùs quid *cupiat*, quàm quid *mandet* fieri. Sumere licet exemplum ex ipſâ illâ Synodo. Sic ibi Legati Patriarchales. Imperatorem alloquuntur, Actione *ſextâ*. [d] *Volumus omnino vt legatur libellus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ*: ſine imperio tamen. Nimium id quidem foret, *mandare* Imperatori, non *Papam* modò, ſed *Legatos* etiam Patriarcharum. Quare, quid *cupiant* eâ voce, non quid *iubeant* exprimere voluerunt, vt ibi Legati, ſic in Epiſtolâ ſuâ *Hadrianus*. Quanquam poſt *nongentos* iam annos, excuſſo tum penè, obnoxio certè valdè illis Imperatore Orientis, (*Baſilio* hoc præſertim, qui per cædem Domini ſui, inuaſor Imperij) elato magis ſtilo vſus Pontifex, quàm quo compellare ſolebant Imperatores priſcos, Pontifices qui prædeceſſores eius. Cui rei, præiuit illi viam *Nicolaus* cui ſucceſsit, qui in * *Michaelem* fuerat immodeſtior. Eo enim iam tempore, cœperunt *Genebrardi* Pontifices Apoſtatici.

c Binius Tom. 3. Part. 2. p. 881

d Ibidem p. 887

* Vid. Epiſt. 8. apud Binn. Tom. 3 part. 1. p. 682.

a Tom 2.p.3. Edit.Venet. In *Sixto* sui similis *Tortus*. Quod in Epistolâ est, a *nostrâ authoritate Synodum congregari iussit*; id ille sic posuit, *nostrâ authoritate Synodum conuocauit*. Nec enim Imperator conuocauit Synodum illam ex Pontificis authoritate, sed iussit eam congregari à Pontifice, authoritate non Pontificis, sed suâ; propter causam superiùs à me redditam in *Symmacho*. Purgabat in eâ Synodo *Sixtus* sese, atque subijciebat se Episcoporum iudicio; quorum in illum iurisdictio nulla, nisi *Sixtus* eam ipse volens illis detulisset. Ad eam rem, *Sixti* interuentu opus. Nec ergo hoc quicquam ad rem. Taceo quod nec Concilium illud *Generale*; & Epistolæ datæ ibi *sub Consulibus*, qui nulli vnquam fuerunt, & vel b *Baronio* ipsi, Concilij illius Acta *corruptissima, nec vllo modò consistunt*. Pars etiam *huius Epistolæ* posterior, assumentum integrum *alterius (Fabiani)* Epistolæ, ante annos *centum* scriptæ. Successit *Fabiano Cornelius*, cuius qui Epistolas legerit apud *Cyprianum*, & cum vestris *Fabiani* contulerit; nisi illi nasus sit nullus, totam hanc fraudem statim odoretur.

b Ad ann.Chr. 433.

Ad vltimum denique & in vltimo, quasi totus ex fraude compositus, dolosè rem gerit *Tortus*: Putes Synodum ibi *Generalem* indici. Celauit enim coepiscopos ibi *Leonis Tarraconenses*, *Asturicenses*, *Carthaginenses*, *Lusitanos* Episcopos, quos omnes in Prouinciali *Galæciæ* Synodo conuenire voluit, procurante rem *Turbio Asturicensi*. *Generalis* ea quidem, si ad Prouinciæ illius Diœceses referatur, vt siquis *Italiæ Generalem* diceret; Sin absolutè *Generalem* quæras, nihil minùs quàm *Generalis*, de quâ tamen probandum suscepit *Tortus*. Mirum autem citari de *Leone* locum; cuius tot sint in tam multis Epistolis, petitiones pro Synodis ab Imperatore indicendis, singulæ autem, singula testimonia, nihil *Leoni* iuris in Synodos *Generales*. Citat tamen vel *ex eo*. Collige iam: *Septem* protulit; *tres* particulares, *Leoni*, *Sixti*, *Symmachi*; *vnam* suspectam, nempe *Octauam*. De reliquis, *Secundâ*, *Tertiâ*, *Septimâ*, testimonia manifestò falsa.

Leo.Epist.93. cap.17.

Digressio autem est *Torto*, siquis de *lege diuinâ* verba faciat, *ad eámque* optet, & hanc & reliquas omnes quæstiones nostras reuocari. Quid ergo *eius* mentio fuit Cardinali? Quid Pontifici, qui *obedientiam* non postulat, nisi quæ sit *secundùm*

dùm

dum Scripturas Sanctas: si sua nolunt ad hanc amussim exigi? Si eius memoriam sepultam cupiant, cur ipsi tam importunè sermonem iniiciunt de *præstandâ secundùm Scripturas Sanctas obedientiâ, de morte vel pro syllabâ vnâ diuinæ legis oppetenda?* Video autem iam, quid rei sit. Vbi de *Capite fidei*, Pontifice agitur, recta via est; vbi de *lege Dei*, *digressio* statim. Vtinam verò ne sit; vtinam frequentior vobis *illius* memoria; sed tam rara eius apud vos mentio, vt siquis de *Lege Dei* loqui velit, necessariò illi *digrediendum* sit.

Tria verò notauit *Apologia*, quibuscum Legi Dei malè conuenit: *Eucharistiam mutilatam*; *Missam priuatam*; *verba Canonis non integra.* Vbi nouam rationem init *Tortus, ex vno de tribus* (quod *falsum* autumat) reliqua duo docere vult non *vera.* Verè noua docendi ratio; quamque ratio vix patitur, cùm in *tribus* tam inter se dissitis, possit *vnum* fortè vix scopum ferire, vt duo tamen reliqua non aberrent. Sed aberrat ibi in nullo; ne in *tertio* quidem. Nam de *duobus primis*, Eucharistiâ mutilâ, Priuatâ Missâ, habemus, vt video, Tortum reum & confitentem. Sic enim Synodus ipsa [a] *Tridentina: Etsi Christus Dominus in vltimâ Cœnâ venerabile hoc Sacramentum in vtrâque specie instituit, & Apostolis tradidit;* [b] *licèt ab initio Christianæ religionis, non infrequens vtriusque speciei vsus fuerit: tamen, se grauibus & iustis causis adductam, hanc consuetudinem sub alterâ specie approbare, & pro lege habendam decernere?* id est, digredi à *lege Dei*, quæ est *de vtrâque specie*, & *legem alteram*, quæ est *de vnâ tantùm*, ei superinducere. Sed & ex summo honore, quo Patres Sanctos & antiquos, Tridentini ibi Patres prosequuntur, [c] *Ex sexto Iohannis non rectè colligi* dicunt, *vtriusque speciei communionem à Domino præceptam esse*, vtcunque *iuxta varias Sanctorum Patrum & Doctorũ interpretationes ita intelligatur.* De Missâ priuatâ optat Sancta Synodus, [d] *vt in singulis Missis fideles Eucharistiæ participatione communicent*, id est, vt nulla sit Missa priuata; contrarium tamen statuit eius quod optat. Dicit [e] *continere Missam, magnam populi fidelis eruditionem:* non tamen videtur ei expedire, vt *vulgari linguâ* celebretur; quâ vnâ ratione perciperet populus eruditionem illam, quæ in Missâ continetur. Vt ille, qui contra *Apologiam Ecclesiæ nostræ* scripsit, [a] *optare* dicit *vos, vt intelligat populus totam Litur-*

[a] Sess.21.c.1.
[b] Cap.2.
[c] Cap.1.
[d] Sess.22. cap.6.
[e] Cap.8.
[a] Defensio Apolog. pag. 515. Edit.1567

giam publicam: Nec [b] *negare se, bonum esse, si intelligerent*. Non negare id *bonum* esse, *optare* vt fiat; ne tamen fiat, decernere.

b Replicatio in Harding. pag 206. Edit. an. 1566.

In Canone Missæ vestro, desunt verba [*Quod pro vobis traditur*, vel *frangitur*] quæ apud *Paulum* & *Lucam* habentur. Ea Canonis natura iam, nihil vt ei deesse, nihil superesse debeat. Paulus verò, ea se à Domino accepisse asserit, à Domino accepta *Corinthijs* tradere. Quandoquidem ergò Paulus ea sic à Domino dicit sibi tradita; Canoni *verba illa* deesse, minimè consentaneum. Aliud autem est rem referre, quod Euangelistæ faciunt; aliud ex sparsâ per omnes relatione, Canonem solenni modo contexere, quod incumbit Ecclesiæ. Vel ergo, non accepit à Domino illa *Paulus*, vel si accepit, vobis detrahenda non erant. Tametsi verò *Iustinus*, *Cyrillus*, *Emesenus* cùm aliud agerent, verba fortè non referant; tametsi verba omittant, quid hij omnes ad *Paulum*? Verùm *Iustinus* apud Ethnicos Canonem euulgare non debuit; perstrinxisse sat erat vtcunque. *Cyrillus* autem sumpsit sibi pro *themate* ipsa illa *Pauli* verba, ad Catechesin illam. Quæ autem sic sumpsit (puto) omissa noluit. At verò *Emesenus* delibat tantùm pauca carptim per totam Homiliam, nec in rem seriò incumbit. Nec nos illos reprehendimus; leuiter, & in transcursu rem attigerunt: *Canonem* ex professo recenset nemo. Vos autem reprehensione digni, qui pro *Canone* obtruditis, qui *Canon* non est: forma enim verborum, quam CHRISTVS tradidit, per omnia debuit à vobis illibata seruari.

Sed quæ *Torto* mens, cùm de *Canone* ageretur, vt nullum nobis *Canonem* citârit; cùm tam multi extstant, pro diuersis Ecclesijs diuersi; omnes tamen in verbis hijs consentientes? Videas enim in Canone Missarum [a] *Iacobi*, [b] *Clementis*, [c] *Basilij*, [d] *Chrysostomi*, [e] *Ambrosij*, in [f] *Anaphorâ Syrorum*, in [g] *Canone Vniuersali Æthiopum* religiosissimè recitata verba hæc, quæ desunt in *vestro*. Oppositio verò satis hîc clara, *non integri*, ad *integrum*: nec conciliabitis vnquam, neque Cardinalis, neque tu, vt CHRISTVS & dixerit, *Quod pro vobis traditur*, & non dixerit. Et fatetur reus hîc *Tortus addidisse* Paulum & Lucam *verba hæc*, *quod pro vobis frangitur*. *Addidisse* autem cui? Cui, nisi *Petri Canoni* antiquiori, iam antè

a Liturg Grec. Patr.pag.23.
b Constit. lib 8. cap.17.
c Liturg. Patr. pag.56.
d Pag.96.
e Liturg. Pamel.pa 301.
f Sacra Biblioth.Tom.4. col.41.
g Ibid.col.123.

pleno

pleno atque integro, vt ista iam *superflua* fuerint: Quod enim pleno additur, superfluum sit necesse. Quæ vox, parum abest à blasphemiâ; *addidisse Paulum* & *Lucam* ad Christi verba: *Suppleuisse* (credo) dicere voluit, debuit quidem, omissa scilicet priùs à *Matthæo* & *Marco*, quæ proinde *supplenda* in Canone vestro. Alioqui Canonem habetis, in quo aliquid *omissum*, atque ita *imperfectum*. Sic enim Papa vester [a] *Innocentius: Inter Euangelistas, quæ omittuntur ab vno, supplentur ab alio.* Optimè ergo non habet se Canon vester, eò quòd desint ei verba vlla, vtcunque pauca, Christi tamen, & à Christo, *Paulo* tradita, vt nobis traderet.

a De offic. Missæ lib. 3. c. 17.

Nec argumentis euincit quicquam. Referunt quidem *Matthæus* & *Marcus* cœnam Domini, *omissis* verbis illis; quod est argumentum certissimum ex *Matthæo* & *Marco* Canonem conficiendum non esse. Ex *Paulo* potiùs & *Lucâ*, qui verba illa supplent. Ex pleno enim texendus nobis *Canon*, non inde vbi aliquid prætermissum est. Nam, quod subijcit de ijs, qui cùm solius *Matthæi* vel *Marci* Euangelium haberent, non rectè consecrarent, si apud eos *verba integra* non essent; quis perdat operam respondendo? cùm certum sit, si fuissent *integra*, *Paulum* illis vel *Lucam* nihil *addituros*: cúmque apud eos *Canon* non pendeat ab Euangelio vllo, vt quibus dubium non sit, per annos aliquot *Canonem* extitisse consecrandi, priúsquam vllum adhuc de quatuor Euangelijs conscriptum esset. 2° Non fauent *Canoni* vestro tres illi, *Iustinus*, *Cyrillus*, *Emesenus*: Canonem enim non referunt aut edunt vllum. Qui verò *edunt*, adhibent verba hæc: *Iacobus*, *Clemens*, *Basilius*, *Chrysostomus*, *Ambrosius*, in eoque damnant *Canonem* vestrum imperfecti. 3° Si fuit à *Petro Canon Romanus*, *antiquior est*, Pauli *Epistolâ*, Lucæ *Euangelio*; ac tum serò nimis illa supplentur à *Paulo*. *Si fuit*: primùm, de tempore totum illud incertum, an fuerit antiquior: tum, an à *Petro* fuerit. *Imò à Petro fuit*; ita narrant *Leo nonus*, & *Aquinas*. Qui homines? Duo; quorum *hic* plus *mille ducentis*; ille plus *mille quinquaginta* annis *Petro* posterior. Quâ fide narrant? Suâ. Quid verò narrant? [a] Leo *nonus*, *Aliquid contulisse Ecclesiæ Romanæ Petri præsentiam in memoriâ passionis recolendâ*. Quid ad rem? [b] Aquinas. *In* [hoc est enim] *enim, de formâ non esse sed dicendum,*

a Epist. ad Michael cap. 5.
b In 3. Qu. 78. art. 2. ad 5.

dum, appositum in verbis formæ, secundùm consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, à B. Petro deriuatam. Dicendum hoc quidem *non est* ab homine tam recenti. *Dicendum* potiùs vobis cum *Clemente* vestro *Pontifice Romano Petri* ipsius *Discipulo. Epistolâ secundâ* ad fratrem Domini. Sic ille, *Sicut* (inquit) *à Beato Petro accepimus, omnium Apostolorum Patre, qui claues Regni cœlestis accepit, qualiter tenere debemus de Sacramentis, quæ geruntur in Sanctis, te ex ordine nos decet instruere.* Habes, *octauo* eius *libro, vbi instruit, ex Petri* ipsius *ore descriptum* Canonem, in quo habentur verba quæ desunt in vestro, *Quod pro vobis frangitur*; Eadem & in *Iacobi* Missâ sunt; Eadem sunt apud *Paulum*, vt iam tribus Apostolis nixi, *Leonem* vestrum *nonum* & *Aquinatem*, nihili faciamus.

Postremò, prudenter mones *verba inter se contraria non esse, quæ in Canone vestro, quæque apud Paulum & Lucam.* Non sanè verba; sed *habere verba illa* & *carere illis*, contraria inter se sunt. Est ergo contrarietas aliqua. Sed neque *Matthæus* & *Marcus* breuiùs, *Paulus* & *Lucas* fusiùs rem eandem scribunt; sed illi nec *fusiùs* nec *breuiùs*, nec *omnino* rem scribunt, *pro nobis traditum*; hij verò, penitus *omissum ab illis* (præsertim cùm à Domino id accepissent) scribere voluerunt. Vos, quasi à Domino non esset, vel quasi quæ à Domino sunt, vobis curæ non essent, neglexistis; atque ita *Canonem* Missæ habetis, à *Canone* Scripturæ alienum.

Sanderus verò, qui laudauit *perduelles* Anglos, fax fuit ad *perduellionem* Hybernicam; *ipse* in eâ *perduellis*, visus est Author dignus inprimis, quem laudatus vir *Bellarminus*, veteri amico suo commendaret. Sic sunt hodie Cardinales: siquis operam locet, vt in dubiâ hac luce, *Visibilitatem* adiuuet *Monarchiæ* Pontificiæ (quæ iam subit crepuscula) quò infirmis oculis eâ paulò magis conspicua reddatur: sit maledicus, maleficus, sit fœdus proditor, tangent eum statim virgulâ suâ, exibit subitò *Scriptor Aureus*; *Sententiæ* eius verè *aureæ*; quæ, si cor requiras, *plumbeæ*; si frontem, *ferreæ* potiùs dicendæ erant. Sed dic seriò, verène *aureæ*? Etiámne *primis*, quâ dicitur Regina, [a] *Exercuisse officium docendi, & Euangelizandi hic in Angliâ, idque non minore authoritate, quàm Christus, aut Moses vnquam fecerunt?* quod omnes norunt *æruginosum* esse mendacium.

[a] clau. Dauid. lib. 6.

dacium. Etiamne illa, quâ [b] *Subditi non tolerare Principem suum iubentur, sed alium illi surrogare?* At hoc priùs, omnes dicebas *naturaliter horrere:* iam *aurum* est purum, postquam *Midas* ei digitum admouit. Et illa, quâ [c] *Episcopis potestas asseritur, sententiâ suâ Regem deponendi, & remouendi à Regno?* Illa quoque, quâ [d] *Rex Sacerdote minor, nec vllam potestatem, nisi ab hominibus habere dicitur?* Quale verò *lutum* habetis Romæ, si hoc vobis *aurum* videtur? Bene tamen, quòd *videri* dixit. *Videtur* enim *aurum* quibusdam, quicquid splendet; & sunt *mendacia* ibi quidem valdè *splendida*. Bene etiam, quòd *omittit hæc aurea*; qui tamen *omittere* solet, non nisi *nugas* & *mendacia*. Verè autem hæc quidem *talia*, & hîc iam Torti *omissio* locum habet. Perinde enim verum, Papam Rhinocerotis nasum habere, ac *Reginam hîc docendi officium exercuisse*: perinde fermè, Papam *Ostiensi* minorem, ac *Regem Episcopo*, ex eo quòd *Regem inungat*. Quæ, cur quis refellat, ita putida, vt suâ sponte dissiliant? Satis est Lectori enarrâsse, quales tibi sententiæ verè *aureæ* esse videantur, vt tu illi verè *Aureum* animal videaris, quale olim fuit *Madaurensis*, aut quale nuper nobis edidit vester [*] *Atrebatensis*; *Asinus* si velis, sin malis *Vitulus aureus*.

[b] Visib. Monar. lib. 2. c. 4.
[c] Ibidem.
[d] Clau. Dauid. lib. 5. c. 2.
[*] Aaron purgatus.

PRo *vno* illo fidei vestræ *grauissimo dogmate*, *Roffensem* & *Morum*, *supplicio affectos*, cùm diceret Cardinalis, idem erat, ac si diceret, pro *solo*. Non autem pro *solo*, vel *vno* illo Primatus, si pro hoc *altero* nuptiarum, & prolis Regiæ. At neque *Duces* dicendi erant *duo illi*, quos nemo sequeretur. Non sanè sub Reginâ ELIZABETHA, sub quâ non vnum vllum reperias, pro causâ Primatus, Capitis damnatum. *Nugatorem* verò agit *Tortus*. Nec enim pro *illa* negat *Apologiæ Author* morte mulctatos, sed pro *vno illo*; idque non alio Teste euincit, quàm *Moro* ipso, qui, quod res erat, ingenuè fassus est, quodque omnes sciunt rerum nostrarum non imperiti. Credisne Cardinali? Lege ergo totidem verbis apud Cardinalem [e] *Capuanum*, Confessionem hanc *Mori* ipsius, etiam pro Tribunali. Quòd nisi in negotio Successionis proteruè se gessissent, non habita tum quidem fuisset de illis quæstio Capitalis. Illa ergo caussa, nec *sola* fuit, nec *prima*. *Prima* enim de prole Regis; accessit ad *primam illam* hæc tanquam ad cumulum: per quam tamen non stetit, quin superstites

[e] Idea Zuchi. pag. 21.

stites

stites esse possent, absque *primâ illâ* fuisset. Malè ergo à vobis *pro vnâ illâ causâ* passi dicuntur, quæ non *vna*, quæque si vlla fuit, *in postremis fuit* cur paterentur.

Pergit autem etiam nugas agere, & *reuocari posse* dicit causam principalem pro quâ passi *ad Primatum Pontificis*. Et quid tandem *eò reuocari* non potest? Audi verò Soritem. Successio in Regno, ad prolem; proles legitima, ad nuptias legitimas; nuptiæ illæ ad alias illegitimas; illæ, ad irritam dispensationem; dispensatio ad potestatem soluendi; potestas soluendi *ad Primatum*. *Vtinam ne in nemore*: Propius quidem absunt *abiegnæ* illæ *trabes* in *nemore Pelio*, à Bello *Troiano*, quàm *Successionis* negotium *à Primatu*. Eâdem operâ reuoces ad Primatus causam, quam voles *rebellionem*; vel Sanderi in *Hyberniâ*; Nec enim *tantum distat, vt non possit etiam ad Primatus causam reuocari*. Rebellio eius à Reginæ depositione; depositio à Bullâ Papali; Bulla Papalis à potestate deponendi Principes; potestas *à Primatu*. Ex quo sequitur, vt *Sanderus*, qui mori maluit, quàm in Hyberniâ perduellem non agere, pro legitimâ potestate Summi Pontificis in Regnis disponendis, mortem oppetierit. Denique reuoces eò, vel si libet, *atomos Democriti*, & earum concursum; est enim (vt Glossatores asserunt) *causa causarum*.

Illud autem non optimè succedit *Torto*, quod *de causâ carnali* subijcit, vt ferè infœlix est semper in *parallelis* suis. Dixerat *Apologiæ Author* potiùs *copulam carnalem quàm Primatum Spiritualem Roffensi* atque *Moro*, Martyrij causam fuisse. Non malè id dixerat. Hîc *Tortus*; *Carnalem* ergo *etiam Sanctissimo Domini Præcursori fuisse Martyrij causam, cùm illata illi mors fuerit ab Herode, propter improbatum à Baptistâ liberè matrimonium eius illegitimum*. Quo verbo ipse se *miser* cruentat. Quod enim illud *(Torte) matrimonium*? Annon cum *fratris vxore*? Annon hæc Baptistæ, vox, vitâ suâ constitit, *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*? Quæ verò *Mori* causa atque *Roffensis*? Annon ex toto diametro contraria? *Non licet tibi non habere vxorem fratris tui*; *Licet verò habere*, *Non licet dimittere*. Vt, si iniusta fuerit *Præcursoris* mors, *illorum* sit iustissima; si *ille* Martyr, *hij*, aliud quid, quod dicere nolo. *Ille* enim, ne fratris vxorem retineret, mortuus est: *hij*, ne dimitteret. *Ille*, non licere

hoc

hoc Herodi dixit: *hij* Henrico & *licere*; & *verò etiam vt secus faceret, non licere*. Poteratne Martyrum suorum causæ magis incommodare? Sed fatale hoc *Torto* malum, nihil vt ab eo torqueri contingat, quod multò in illum magis non possit retorqueri. Pergat igitur, & exempla talia nobis frequenter adducat. Valdè enim hæc Primatus causam agunt, *grauissimum hoc fidei dogma* mirum in modum roborant.

OPponit Apologia in dogmate illo, *Vni* Roffensi, Anglicanæ tum Ecclesiæ consensum *vniuersalem*: *Vniuersali* magis, quàm *vni* credendum. *Vniuersalis* autem non solet esse nomen ingratum *Nota* est Ecclesiæ; Titulus est Pontificis *nouo sensu*, quem *Gregorius hebetior* non vidit, qui absolutè damnauit; *Bonifacius tertius* Gregorio acutior errorem statim deprehendit. *Tortus* tamen Ecclesiæ Anglicanæ assensum *vniuersalem* non probat; *Quasi* (inquit) *Christiana Ecclesia vniuersitas ad vnius Insulæ angustias redigi debeat*. Obtusè verò. Quis hoc postulat? Quis agit? Cum *vno* Roffense, Anglicana Ecclesia *vniuersa* confertur Æquum autem, vt *vniuersi* hîc, *vno* plus sapiant. Quid hic homo importunus Christianam *vniuersitatem* ingerit? Nulla *vniuersalis* ibi memoria, nisi vt argumentum eâ commendatius redderetur, cùm inter *notas* vobis sit *Ecclesia*. Pòst verò etiam, *consensum* hîc Angliæ *vniuersalem, nihil aliud fuisse* calumniatur, *quàm consensum, partim adulatorum, partim timidorum*. Seuerus homo. Romæ enim *adulatores* exulant iampridem; nemo ibi blanditur Pontifici; Exosum à seculo iam Pontificibus id genus hominum: quare diu est, ex quo vox ibi vlla *assentatoris* audita, inscriptio vlla assentatoris visa est. Non ibi legas inscriptum ita Pontifici librum, PaVLo V. VICe Deo; Quo ipso in *titulo* nescio an id aduertat Papa, fac tu ergo illum admoneas, *impleuisse eum iam mensuram suam*. Computari enim ibi posse ab eo *numerum Bestiæ*. Est enim (vix fausto id quidem omine) sed est tamen in nouâ illâ illius *inscriptione*, *nota* ipsa, & *numerus Antichristi*.

Abest etiam inde à Româ *vis* omnis atque *metus*. *Timidus* ibi nemo. Collegium Inquisitorum, nemini vel *vim* facit vel *metum* incutit. Liberum ibi cuiq; sententiam dicere, & quod in pectore habet securè promere. Credo autem, si sic liceret, qui nobiscum in religione sentirent, ne Romæ quidem defu-

Zz turos.

turos. Dixisti verò, solito infortunio tuo, nostros *adulatores*. Nulli mortalium minùs. Qui Historias legerit nostrorum hominum, *Parisiensis, Houedeni, Florilegi, Walsinghamij*; non inuitus hoc de illis feret testimonium: etiam tum quidem cùm *adularetur* Pontifici Orbis Christianus penè totus, nostros, ac penè solos nostros, stetisse rectos; non valde *Illi* incuruâsse se: neque extare vsquam plus ingenuæ libertatis, quàm in libris & literis nostrorum hominum. Nisi illud fortè sit; *adulationis* Pontifex capax *non est*, Rex *est*. Officium facit, imò minus officio, qui in gratiam Pontificis, strenuè agit *Benedictium*: Vbi quid pro Rege, contra Illum, dicitur, ibi statim interuenire solet *adulatio*. Verùm, qui vel *Tonstallum* tum sciſſet, vel *Hethum* (vt *binos binis* regeram, reliquos mittam) non credo dixiſſet homines ad *aſſentationem* compositos, nec minùs vel scientes officij, vel in officio constantes, quàm vel *Morum* vel *Roffensem*: & tamen secus quàm illi de *Primatu Regio* sentientes. Sed *illi* pòst mutârunt in sententiâ; sed alij tamen perstiterunt. Binos itidem de illis nominabo, *Latimerum* & *Ridleium*; qui duo tam vel *adulari* spreuerunt, vel *timere*, vt viui potiùs flammis exuri mallent, quàm in Pontificis pòst Primatum consentire; Quod tamen Parasiti fere non faciunt.

Verùm *consensui nostro* contra *Roffensem*, opponis pro illo *consensum Ecclesiarum, idq́; toto terrarum orbe diffusarum Toto terrarum orbe?* vt nihil pudet? Quicquid vel in *Asiâ* est, vel *Africâ* Ecclesiarum, quis nescit diu iam à Primatu vestro, non stetisse, non stare; sed neque eius quæ in *Europâ*, partem maximam? De eâ verò, quæ reliqua per *Europam* est, sufficit hoc nobis: qui primò iniquiores erant, cessisse pòst in sententiam nostram, & edoctos exemplo nostro, multò iam & illos, maximâ ex parte vestrum Pontificis iugum excussisse. In vtrâque quidem causâ *Roffensis* iacet. Siue enim *Matrimonium* Regis spectes, *Diplomata* habemus *Academiarum* (quæ tum erant per *Europam* maximè illustres) quarum *consensu vniuersali* constat, *Roffensem* (secus multò quàm *Baptistam*) illegitimum *cum fratis vxore* matrimonium approbâsse: siue *Primatus* negotiũ, post libros illos qui in *Apologiâ* nominantur, post libros alios à nostris editos, non diu cõtinuit se opinio illa intra *vnius Insulæ angustias*; diffudit se statim, magis magísque inualuit; vt

passim iam & vbique, nec *dogma fidei*, nec vel *extra fidem*, vllius vel grauitatis *dogma*, vel etiam *ponderis* habeatur.

At de hijs, qui *Duces* hos secuti sunt ad *simile supplicium*, reducas calculum si sapis, longè absunt ab *innumeris*; *numerus* sunt; nec *magnus*. Illi verò ex *Monachis* penè & *plebeijs*, ad *viginti quinque* credo, vel circiter, idque *Henrico* regnante. Nam de Reginæ Regno, silere te iubeo. Alia illis mortis causa, qui passi sub eâ: ex eo quòd *Primatum Papalem* affirmaret; nemo in Capitis iudicium vocatus est. Quare qui de vllis sunt (hâc de re) sub Reginâ cæsis, libros vel *Surij*, vel *Sanderi*; præstat ad thus, & scombros ablegare: nihil enim in illis spectes, nisi sterquilinium horribile mendaciorum. Sin autem delectetur quis Carnificinæ spectaculo; adeat censeo, & spectet libros, qui de vestrâ Inquisitione extant, passim omni immanitate pleni: dolebunt illi oculi, dolebit & cor. In *vestris* verò, quæ de nobis subinde cuditis, *figmenta vestra* eximat quis, exempla nostra nec multa supererunt si numerum annorum spectes; nec magna si pœnarum qualitatem; & de ijs, qui *Roffensis* vel *Mori* ducatum, subsecuti sunt, per annos plus *sexaginta* iam planè nulla.

QVòd *prima Regum cura* religio sit, quòd eorum *prima authoritas*, ad res Religionis tum *stabiliendas* tum *reformandas*, subnotare voluit Author Apologiæ, loca aliquot Sacræ paginæ: ea sic refutat *Tortus*, vt quid calcibus valeat, potiùs quàm quid capite, sciat Lector; *cursim* scilicet. At stare debuit, & pedem figere, Arx ista causæ totius: vel si currendi illum libido incessebat, conijcere se penitus in fugam. Nam ne mouisse quidē pedem præstabat, quàm sic præter-propter causam cursum adornâsse. A *more institutóque Israëlis* orditur Apologia; inde enim vim habet, atque neruos suos quæstio hæc omnis. In Israele enim populo suo, regnum instituit Deus, & Ecclesiam in Regno, ex mente suâ. Exemplum inde nobis sumendum est, cùm in Testamento Nouo nullum habeamus. Nusquam ibi in vnum coaluerunt Ecclesia & Imperium; procul se habuit Imperium ab Ecclesiâ. Quare quæ penes Regem in religione partes sint, inde nobis petendæ; vbi gemellæ quasi sunt, & amicè conspirant, Politia & Ecclesia; non vbi secedunt à se inuicem. Ab illo igitur fonte Israe-

 lis

lis arcessimus hanc causam,& ab eo exemplo,(vbi simul sunt, vbi Ecclesia in Regno) Ecclesiæ, Regnique nostri regimen informamus. In Israele autem, nondum os reperi tam durum,quod negare etiam auderet, præcipuas in re religionis partes,penes Regem extitisse : vel vno hoc argumento; quòd per sacræ Historiæ seriem totam, mutato noui Regis animo, mutata semper est facies Religionis. Eáque in Religione mutatio Regi semper ascribitur,quasi factum eius. Nec Pontifices vnquam vel præstare poterant, vt fieret mutatio in melius; vel ne fieret in peius, impedire. Penes eos autem, si Religionis tum Summa fuisset,aliquis aliquando Pontifex,etiam Rege secus affecto, præstitisset hoc tamen; vt cultum Dei illibatum, pars aliqua populi saltem, retineret.

Exemplum primum Regis *Iosaphat*, cuius impressa in eo capite non leuia vestigia, quam fuerint *præcipuæ partes* in religione reuocandâ. Hic ita properè transcurrit noster *τὸν ἀγῶνα*, *vt nec nomen eo loco legere posset Ecclesiæ*. Subsistat paululùm; & leget, non totidem syllabis; sed *Ecclesiam* tamen. Quid est enim Ecclesia, quàm *populus ad Deum verum reuocatus?* Legi-

2.Chron.19.

tur verò versu illo, *Egressus Rex ad populum de Bersabe vsque ad montem Ephraim, reuocauit eos ad Dominum Deum Patrum suorum*. *Reuocauit ad Deum*, id est, fecit, vt essent Ecclesia; fecit autem id authoritate suâ Regiâ, quâ & constituit ipse pòst ad *versum octauum Iudices* in *Ierusalem* de *Leuitis*, *Sacerdotibus*, & *Principibus* familiarum ex *Israel*, ad causam Domini iudicandam, * *vbi quæstio de Lege, & Ceremonijs* Quæ verò maior *Authoritas*, quàm *dandi*, *delegandi Iudices* ad res *Sacras*? Vide verò, vt cursim legerit *Tortus*. *Non enim*, *distinguitur ibi* (vt ait) *officium Regis ab officio Pontificis*. Nimis festinauit. Proregis quidem distinguitur. Non enim *Zabadias* filius Ismael, *Rex*, sed *Dux* in domo Iuda: quare *Præfectus* modò Regis *ad res Regni*. Idem ille Rex *ad res Domini*, (illis quos *octauo* versu constituerat *Iudicibus*) Pontificem præsidere iussit: vtrique prouinciam suam discriminauit; Duci, *quæ ad Rempublicam*: Pontifici, *quæ ad Religionem*. Quo facto, non minùs *hæc* quàm illa *docuit*, ad Regis inprimis curam pertinere, cùm & *reducere populum ad Dei cultum*, & *reuocato Iudices dare*, authoritate suâ posset, & inter Iudices, *causas dispertiri*, & *quis* præsideat

Vers. 4.

Vers. 10.

deat, & *ad quas*, iure Regio præscribere. Verba enim illa lectionis vulgatæ, *quæ ad Regis officium pertinent*, quæ tibi currenti aciem perstrinxerunt, nusquam in *fonte* sunt. *Res Regis* ibi dicuntur, quæ scilicet spectabant ad terrenam politiam: vt *Dei*, quæ ad Cœlestem. *Coniungi* autem debent Regnum & Ecclesia; *confundi* non debent: distinctas vt *causas* habent, ita & *fora* habere, sed *sub Rege* habere, nec minùs Ecclesiam, quàm Regnum; cuius authoritate atque imperio sedent *Iudices*, præsident Amarias *hijs*, Zabadias *illis*; cognoscit de causis vterque ad forum suum pertinentibus, sed Rege tamen *iubente*; vt vtrobique locum habeat illud: *Si Iudex es, cognosce; si Rex es, iube.*

Repurgâsse corruptelas, sustulisse abusus non negat *Dauidem*; de *loco citato* paululùm hæsitat. Vbi *mysticè* id fortè intellexit, quod alibi sæpe dicitur *ad literam*. Locus est de *cæco* & *claudo* tollendo per *Dauidem*; nimirum si ad *Dauidem* spectet, de templo *cæcum*, & *claudum* tollere; spectare & illud vt omnes abusus tollat. Nec enim aliunde abusus existere, quàm vel de inscitiâ, quòd *cæci* sint homines; vel de incuriâ, quòd in officio *claudicent*. Enimuerò, & de alijs sæpe, & præcipuè de eâ (*quòd Populus adoleret in Excelsis*) corruptelâ per Reges non sublatâ, toties, tam clarâ voce de Regibus queruntur Sacræ literæ, vt locus nullus negationi relictus sit. *Non negat* ergo, Regi *Tortus* id ex officio incumbere, vt etiam quæ in doctrinâ sunt abusus, & corruptelas tollat, sed *post Ecclesiæ declarationem*. Nos verò, citra *declarationem* omnem, vbi repurgatæ sunt corruptelæ per Reges, docemus: *Tortus* verò loca aliquot apponere debuit, vbi illa Ecclesiæ *declaratio* præcesßit: quæ nisi præcesßit, Regis nullũ tum erat (vt videtur) officium. Sed Regi erat in promptu excusatio: *Non sustuli; Ecclesia enim non declarauit*. *Ecclesia* proinde culpanda, non *Rex*, qui nihil mouere debet, nec *excelsa diruere*, nisi postquam id ità faciendum *declarauit Ecclesia*. Atqui *Regi* id semper, *Ecclesiæ* nunquã vitio datum legimus quòd *Excelsa steterint*. Regi ergo, siue *declaret* hoc, siue *non declaret*, etiam ante *Ecclesiæ declarationem*, id ex officio munus incumbit, déque eo neglecto Deo rationem redditurus est. Tota igitur mentio *declarationis Ecclesiæ*, prætérquam quòd fictitia est, hîc etiam est intempestiua.

1.Chron. 13.12. *Reportâsse Arcam* agnoscit, sed *Sacerdotes* vnà idem hoc fecisse cum Rege. Quidsi autem vnà? Regis in eo partes præcipuæ. Quis interfuit non quæritur, sed quis præfuit: De Primatu enim agitur. *Praeunte* hoc Illius imperio factum, nec vel antè vel omnino factum, nisi postquam Regis ad illud au-
2.Sam.6.14. thoritas interueniit Dein *Ludendi* veniam Regi facit, ídque dicit *humilitatis* fuisse. At *Ludere, humilitatis* non est, *gaudij* potiùs. Tum, si *humilitatem* præ se ferre voluit, *post Arcam* ei, non *ante*, saltandum erat; *à fronte* habenda erat Arca, non *à tergo*. Nam, quod ante saltauit, id eò potiùs videtur fecisse, vt se illis præire viam doceret, & Primatum tenere in negotio Arcæ reportandæ; gaudere autem & exaltare, quòd sic teneat. Nam quod cautè admodum *Tortus* subnectit, *Non licuisse tamen Dauidi Arcam contingere:* quis id affirmauit? Nec Regi quidem *Nostro* licet, nec vlli, aut Sacra administrare, aut attrectare quicquam, quod potestatis sit merè Sacerdotalis, vt sunt *Liturgiæ, Conciones, Claues, Sacramenta.* Arcam figant loco suo Reges. Attingant pòst illi, quos ea cura tangit, ex suscepto munere Ministerij sui.

Ad Reges etiam spectare fatetur, *ædificare Templa, Deóque*
1.Chron 28.6. *dicare*, sed *ad Regum Magnificentiam.* Esto autem vt *Magnificentia* fuerit in *ædificando:* at in Deo *dicando* aliud quiddam fuit, quàm *Magnificentia* Dedicare enim Deo Templa, actus est *primarius*, neque cuiusquam, nisi cuius partes in Religione *primæ. Dedicatum* autem à *Salomone* Templum, non magis negari potest, quàm *ædificatum.* Nec (quod *Tortus* concedit) *interfuit* modò solennitati illi cum reliquo populo, ex *pietate*, sed & *præfuit* ex *authoritate.* Nec enim sine *summâ authoritate* præstari poterant illa, quę in personâ suâ præstitit *Salomon* in illis Solennijs. Negare non poterat hæc, ita in luce posita; Negat ergo pòst *attigisse in Templo munus Sacerdotale*, quod & nos pariter cum eo negamus. Tum, *ex eo sequi* dicit, *vt Primatus Regi nullâ ratione conueniat.* Sed perperam. Quæ enim in Templis fiunt à Sacerdotibus virtute officij sui, ferè sunt *Ordinis*, in quibus quid facit Pontifex, quod non idem facit Sacerdos quilibet? *Missam decantat, Creatorem creat, aspergillum tractat*, denique, in quo insistit *Tortus, thuribulum* quoq; & *thus adolet* non minùs simplex Sacerdos, quàm Papa *Paulus* ipse.

ipse. Primatus Papalis extra Templum ferè est: *In Templo* parificantur ei multi. Sed neque in ijs quæ *Pontificalis* sunt *muneris* Regi *ius* facimus, nec *incensum adolere* finimus, nec id facere, cuius typus tum erat *incensum*. Bone Deus! quàm hæc sæpe à vobis iactata, quàm extra rem semper: pudeat ita coccyzare sine fine. Semel autem habe hâc de re sententiam nostram. Non nos *Regi potestatem* tribuimus, quam habere voluit *Osias*; solam illam quam *Iosias* habuit; *Iosiæ*, non *Osiæ* Primatum vindicatum imus.

De *Libro legis*, nouum *Torto* videtur, quòd *de nouo repertus* dicitur. At si in manibus tum Liber ille fuisset, non dicam omni populo, sed vel ipsis *Sacerdotibus*; si non nouus planè; quid attinebat referri in Historiam Sacram; quòd dum aliam rem ageret *Helkias* Sacerdos, reperisset *Librum Legis*? Quorsum etiam ita obstupescit Rex, si ab antiquo illi notus, aut cur ita de illo loquitur, *Liber iste qui repertus est?* Denique quorsum ad Prophetissam ablegat Sacerdotem *Helkiam*, consulturum eam de verbis Libri, nisi quia etiam Sacerdoti ipsi *ignotus* & planè *nouus*? Quâ de re non inuitus credo audiet *Tortus Caietanum* suum. Non nouum *Illi*, quod *Torto*. Sic enim ille. *Tanto tempore neglecta erant diuina tempore Manassis, vt Liber legis tanquam* res nouiter inuenta *scribatur*. Libro sic reperto, à Rege lecto, consultâ de eius sensu Prophetissâ, non Pontifice, non expectatâ *declaratione* Ecclesiæ, indixit Rex Conuentum, in eo iubet recitari Librum, recitato fœdus nouum init cum Domino; populum quoque ad fœdus adiurauit. Tum *præcipit ipsi Pontifici* Rex, reliquisque *Secundi ordinis* Sacerdotibus, vt eijciant è Templo, atque exurant vasa omnia quæ Baali *Sacra fuerant*, vt Excelsa demoliantur. Mandauit pòst de Paschate nouo faciendo, denique de Religione totâ in integrum reformandâ. *Et quid hic est* (ait *Tortus* noster) *pro Primatu Regis in rebus Ecclesiasticis & Spiritualibus?* Puto res Spirituales & Ecclesiasticas esse *Cœtum indicere, fœdus de Religione sancire, peregrinum cultum abolere, verum, mandato suo instaurare*; & in hijs omnibus cùm præcipit Pontifici Rex, paret Regi Pontifex, nihilne hoc apud *Tortum* pro Regis Primatu? Tortum nihil moror; apud alios non tortos, sed rectos, recti amantes, non dubito, quin plurimum sit in exemplo.

2.Reg.22.11.

In 2.Reg. cap.22.

plo *Iosiæ* pro Primatu Regio, nec alium quærimus quàm *Iosiæ*, nec alius vindiciæ sunt, in totâ Apologiâ.

Redintegrati cum Deo fœderis, partes præcipuas penes Regem fuisse, Rex *Iosias* testis omni exceptione maior. *Ezekias hoc idem* fecit, authorque fuit Sacerdotibus vt facerent. Idem
Nehem.9.38. etiam *Asa*, idque interposito Iuramento. De Nehemiâ, quòd illius tempore Reges non fuerint, puerilis is ferè Cauillus est. Nam si *Nehemias* id potuit, qui *Dux* tantùm, cuique delegata tantùm potestas; annon *Rex* multò magis? *Nehemias* verò Author fœderis illius, & primo loco signauit. Admittit ergo pertinere ad Reges, non tamen ex aliâ ratione, quàm quod Reges in causâ sint, cur populus à Deo recedat per Idololatriam. Etiamne id locum habet in Regibus, quos nominaui, *Asâ, Ezekiâ, Iosiâ?* An vel *recesserunt* ipsi à Domino, vel *populo* vnquam causâ fuerunt recedendi? Quæ hæc vesania est? Pontifices verò, quos penes summa potestas est *Torto*, cur non *opposuerunt se murum pro domo Israel?* cur non populo fuerunt in causâ, ne recederent? An est illorum potestas in Religione maxima, nec vim habent tamen, vel retinendi in officio populi, vel ad officium reuocandi? Reges sinunt abducere à Deo populum, ipsi (nisi mandauerit Rex) nunquam reducunt? Passim enim per Fastos Sacros quod in Religione fit, à Rege fieri disertè dicitur, *Regis factum* esse; Pontificis haud vnquam, nisi ex Regis mandato. Nam de icto per *Iehoiadam* Pontificem fœdere, quis non videt quàm ineptum? non enim ab illo ictum, nisi vt Regis tum Protectore. Rex *Ioas* puer septennis, Iehoiada autem Custos Regis, optimo iure Custos, vt cui vitam cum Regno deberet Rex. Quod verò factum ibi, Regiâ Authoritate factum, quæ tum penes Pontificem; eo, (cum per ætatem Rex nondum posset) Regni res procurante.

Ad Regem pertinet, *intrare Templum ipsum, Serpentem ibi æ-*
2.Reg. 18.4. *neum confringere*, quem fecerat Moses, cùm abijsset in superstitionem serpens ille; cùm (quod vos imaginibus vestris quotidiè facitis) thurificaret ei populus. Rectè factum hoc (ait *Tortus*;) Causam addit, & addit causæ, *Quoniam* (inquit) *populus ad Idololatriam propensus, Serpenti illi, vt Numini cuidam, Sacrificia offerre cœperat.* Non *cœperat*: Non *offerre Sacrificia*:

Non

Non *vt Numini.* Omnia hæc additamenta *Torti* (non minùs quàm Serpens ille) tortuosi, & in omnem se partem rotantis vt euadat. Non *cœperat.* Verba enim Scripturæ sunt, *Quin vsq; ad illum diem*; de quibus,ita Cardinalis [a] Caietanus. [a] *In 2.Reg.18.*
Perseuerantia describitur huius abusionis vsque ad tempus Ezekiæ, ad manifestandam magnanimitatem Ezekiæ, ad exterminandum toleratas superstitiones tanto tempore. Non *Sacrificia offerre.* Suffitus enim non est Sacrificium,nedum Sacrificia. Non *vt Numini.* Plus multo candoris in [b] Caietano. *Venerabantur Serpentem illum, thurificantes illi, ratione accepti beneficij, non adorando illum vt Deum, sed honorando vt beneficum signum datum à Deo. Quæ veneratio superstitiosa erat,vtpote præter legem diuinam, & propterea Ezekias abstulit.* Falsa ergo causa hæc *Torti.* Verùm dicendum illi erat,de *authoritate*,quâ fecit Rex, non *de causâ* propter quam fecit. Nam si authoritate Rex propriâ atque suâ resecare potest superstitiones, quas & Sacerdotes ipsi tolerant, & à longo tempore tolerârant; si Serpentes æneos à Mose factos, Dei ipsius iussu factos, miraculis insignes, CHRISTI denique typos comminuere, postquam abierunt iam in abusum; parum aberit *à Primatu* authoritas illa Regia, si sic pertingat in Templum, atq; ista ibi tractet tam Ecclesiastica. Subest autem hîc & alia fraus *Torti.* A Serpente enim confracto,ad *Idololatras* delabitur pœnis afficiendos, id est à *rebus*, ad *personas.* Quasi Serpens *Idololatra* esset, non *Idolum. Personas* ita demum subijcit gladio Regis, si priùs ab Ecclesiâ damnatæ sint. Sed reuocamus ad *Res.* Plus enim multò in *Res* ipsas ius habere,quàm agere cum *personis.* Nec tamen damnauit, vel declarauit Ecclesia Serpentem æneum confringendum. *Ezekias* ipse idem *damnauit*, & *declarauit*, idem *confregit.* Semper infercit nobis *Ecclesiæ sententiam*,de suo, nunquam locum ei rei adducit vllum. Hâc ergo etiam ratione seruiunt Reges Deo, vt *Res ipsas* corrigant, & si ita opus,redigant in puluerem, atque ita non in *personis* modò, sed & in *rebus* Primatum tenent. [b] *Ibid.*

Ad Regem pertinet *missio Sacerdotum, vt erudiant populum*, & vnà cum Sacerdotibus Principum, vt quod *illi* scientiâ *docent*, *hij* authoritate *sanciant*; quos *illi* scientiâ *docere* non possunt,hij authoritate *coerceant.* Quid hoc verò aliud est quàm 2.*Chron.*17.8.

reformationem publicam instituere? Quorsum enim apparatu hoc tanto opus erat, nisi posteriora *Asa* tempora, nescio quid *deformitatis* contraxissent, quam Filius eius *Iosaphat*, missione hâc tam solenni reformare instituit? Studium hîc *Tortus* vidit & *Zelum* in Rege, *Primatum* non vidit. At, *Mittere*, solebat authoritatis esse, non *Zeli*: Et *Mittens* eo ipso maior *Misso*, quòd *Mittat* eum, quâ ratione Pater Filio maior est. *Zelus* autem in vtróque par, *Misso* & *Mittente*. Non vltima quidem Primatus pars in Pontifice, *Missiones* eius. Verùm in Pontifice sic quidem: postquam transijt in Regem, *Authoritas* statim omnis euanescit, *Zelus* succedit. Iam verò, vt *Missiones* eleuet, calido nimis Consilio *docendi munus ad Primatum propriè pertinere* autumat. Vereor etiam ne tristi successu. Nam si ex quo, *docendi munere* defungi desierunt Pontifices, Primatus ad eos propriè non pertinuit, *Primatum qui potest capere capiat.* Vix enim credo *Torti atauus*, Pontificem vllum *docentem* audiuit. Credo autem, *Tortum* pœnitebit dicti, sic enim *Propheta* Pontifice maior; sic Sanctissimo Domino multi Dominicani, quibus à docendo, cognomen *Prædicatorum*; sic denique maiores erunt, quos *vt docerent misit* Iosaphat, quàm *Rex* ipse *qui misit*. Nam nos quidem hîc *in Gubernando Primatum* ponimus, non *docendo*; & Regem non *Doctorem* summum, sed *Gubernatorem* dicimus, vt iam dirimi possit lis, & hercisci inter Regem & Pontificem: Pontifex vt Summus sit *in docendi munere quod propriè pertinet ad Primatum suum:* in *Gubernandi* Rex, quod ille solum sibi vendicat vt suum; nec illum alterum Pontificalem *docendi* inuadet vnquam. Sed vereor vt stet Pontifex huic *Torti* Primatus *proprio*; & ægrè ferat præreptum sibi alterum illum *improprium Gubernandi*. Quod autem adijcit auctarij loco, de vltimo eius supplicio, *qui Pontifici non paret* (addere tamen debuit, *iuxta Dei legem respondenti*) id verò, pro eo non facit, contrà potiùs. Dicat enim: qui ita *Pontifici non paret*, in eum vbi aget Pontifex? apud Quem Reus sistetur? Quis sententiam feret? Quis capite plectet immorigerum? Est, qui spreto Pontifici ius dicet; Is ipse, quisquis est, per me, *Primatum* ferat.

Ad Regem etiam pertinet, alio adhuc modo *Pontifici ius dicere*, eumque (ita exigentibus eius demeritis) exauthorare;

&

& in locum *Abiathari Sadocum* surrogare. Facit hoc credo, ad Primatum Regis. Versat hîc se in omnem partem *Tortus*; *ter* cuneum hunc conatur *reuellere*; *ter* perdit operam, nec *reuellit* tamen. Litem primò resoluit lite, sed iniquâ & falsâ. *Si Rex Pontificem hunc; alius Pontifex Reginam Athaliam & regno priuauit & vitâ.* Non Reginam (*Torte*) quæ contra ius fasque omne, solium, non sine tot Nepotum suorum cæde & sanguine, per summum scelus occupârat. Sospes tum & superstes Regni verus hæres, verus Rex *Ioas*, quo in viuis existente, Athalia *Regina* esse non potuit. Quo lubet ergo nomine appelles, vel si voles *Tygridem*, ferinæ enim crudelitatis: Nos *Reginam* negamus, nec id vnquam dabimus, vt cum *legitimo* Pontifice *illegitimam* non *Reginam*, sed Regni *Vsurpatricem* componens, litem hanc hâc lite resoluas. Nec sibi in Athaliâ suâ satisfacit *Tortus*, alterâ vice tentat; sic pote. *Aliud est facta Regum referre, aliud Authoritatem probare.* Quid audio? Illud dicere vult, sed eloqui non audet, factum hoc contra ius à Salomone, quod Pontificem abdicârit. Ita, vt Pontificis *Primatum* erigat, incurrit in *Salomonem.* Nam si *authoritatem* hoc Regis non probat, factum ergo *sine authoritate* legitimâ; sin legitimè factum, *authoritati* probandæ satis est. Peccauit ergo *Salomon*, & *Sadoc* intrusor, & *Abiathar* Sanctus Confessor potiùs; quàm vt Regi constet Primatus suus. Videtísne os hominis? Sed ne sic quidem etiam satisfacit sibi. Nouam ergo formam assumit *Proteus*, priori planè contrariam. *Omittit* enim *quod tribui solet factum hoc Salomoni, vt Prophetæ, non Regi*; non Regiam, sed *extraordinariam potestatem diuinitùs obtinenti.* Dixit *omittere* se hoc, nec *omisit*; potuit tamen, ita prorsus *omissione* dignum. *Non vt Regi tribui solet factum hoc Salomoni*, sed *vt Prophetæ: Factum, vt Prophetæ?* Imò *Dictum, vt Prophetæ.* Per Prophetam res prædicitur, per alios opere completur sæpe non Prophetas, sæpe & Reprobos. Qui prædicit, is Propheta est: Qui, quod prædixit ille, pòst implet, obsignat prophetiam, Propheta ipse non est. Alioqui & Herodes Propheta, per quem factum est, [a] *vt impleretur sermo Domini per Prophetam* de Infantum nece; Et Milites Prophetæ, per quos [b] *Vt Sermo alius Prophetæ impleretur, Cùm iecerunt sortes super tunicam Christi, Cùm decreto*

1.Reg.2.27.

a Matt.2.17.

b Iohn 19.24.

a Ioh.15.25. *ceto eum potârunt.* Et Pharisæi, per quos alius, [a] *Cùm oderunt Christum gratis*; *Et filius denique perditionis Iudas* ipse Propheta, per quem alius, [b] *Cùm leuaret contra Christum calcaneum suum*; Nunquid omnes hij inter Prophetas? Omnes, si id satis *ad suscitandum Prophetam*, vt *fiat per eum* quid, vnde *impleatur Sermo Domini*. Per hos enim omnes, *factum est aliquid vnde impletus Sermo Domini*. Apage verò hos *Torti* Prophetas. A quo verò *solet hoc tribui*? A Domino eius: *Qui* satis impropriè *fecisse hæc dicit Salomonem*, [c] *Vt Prophetam, & Diuinæ Iustitiæ executorem*: quæ duo tamen *disparata* sunt. Propheta enim Diuinæ Iustitiæ Nuntius est, Interpres est; Executor non est. Interpres Prophetiæ suæ, non Executor alienæ *Satis* & illud *impropriè*, *Non vt Regem, sed vt Diuinæ Iustitiæ Executorem*. Quasi Rex ipse, Diuinæ Iustitiæ Executor propriè non sit. Sed neque *eiecit Rex Abiathar ad istum finem, vt impleretur Sermo Domini*, sed *ex læsæ Maiestatis crimine*; fuit modò consequens ad eiectionem *Abiathar impletio Prophetiæ*; atque eo loco, [*Vt*] consecutionem denotat, non causam finalem, quod te [d] *Tostatus* docere potuit. Quodsi Spiritui Sancto quid *soletu tribuere*, non vno loco ille *factum hoc* Regi *tribuit*: Vers. 26. *Abiatharo quoque dixit Rex*; *Rex*, qui *proximè præcedente versu Adoniam* cædi iusserat, idem *versu hoc* iussit *quoque Abiathar* loco cedere. Vers. 35. *Posuit Rex Sacerdotem Sadoc pro Abiathar*; *Rex*: vtrobique, quasi contra vos, expresso *Regis* nomine. Ita *bis Regi factum tribuit* Spiritus Sanctus, quod Spiritus *Torti* non Regi, sed Prophetæ. *Potestate Regiâ*, negas. At hæ voces, *Abi ad Agrum tuum, ibi te contine*: Et, *Vir mortis es, sed non interficiam te*, Regis sunt, non Prophetæ. Relegare homines: vbi mortis rei sunt vitam illis indulgere: Pœnam Capitalem in mitiorem, *Depositionis*, commutare: Potestatis Regiæ sunt, Prophetæ non competunt. Denique, *quâ potestate*, *Banaiam* pro *Ioabo constituit super Exercitum*, (quam tu, spero, Propheticam non dices, sed Regiam) eâdem, nec aliâ *Sadocum pro Abiatharo constituit super Sacerdotium*; Regiâ *vtrumque*, *vtrumque* vno eodémq; versu; non vnâ in *priore inciso* potestate, nimirum Regiâ: aliâ in *posteriore*, nempe Propheticâ. Postremò, vt miserè laborare illi causam scias, ad misellum illud effugium se recipit *Extraordinariæ potestatis*, ad

b Ioh.13.18.

c D. Pont. lib. 2. cap. 29.

d In 1. Reg. cap. 2. Q. 28.

ad quam confugere non solet quis, nisi cui deplorata res est, nisi cui Ordinarij nihil est quod respondeat. Vt enim qui vitâ priuari dignus, non vitâ priuetur, sed Munere, Ordinaria Regis potestas est; Extraordinariam Prophetæ, non requirit. *Bonum factū* erit semper, vtcunq; factū sit, cùm *Ordinariâ* non potest, *Extraordinariâ* quadam nescio quâ *facultate* medicari.

Post enumeratas iam Ecclesiastici regiminis partes penè singulas, ad quas allegatæ ex verbo Dei sententiæ ad minus singulæ: prodit nobis *Tortus* in aciem, & iubet pro toto iam Regimine verbum Dei aliquod allegare. De toto enim, inquit, *nobis quæstio est*. Annon de *partibus simul sumptis?* Et quid totum, nisi *partes* non singulæ, sed sic in vnum *coacervatæ*? Quid verò actum nobis toto hoc tempore? Quorsum illa tot spectant iam allegata? *Id quæritur*, inquit, *An Regi conuenit Regimen Ecclesiasticum*. Profectò autem si conueniant illa Regi, *dare Iudices in causis Ecclesiæ*; *dare Iudicum Præsidentes*; *abusus in Religione & corruptelas tollere*; *Arcam reportare*, & *praeire reportandæ*; *Templa dedicare*, & *ad eam rem Cætus indicere*; *Libro legis recitato præcipere Pontifici de repurgando Dei cultu*; Si *fœdus renouare de Religione reformandâ*; Si *Templum ingredi*, & *æneum Serpentem confringere*; Si *Missiones Sacerdotum facere*; Si *Pontificem ipsum eijcere*, *atq*; *exauthorare*, *ne sit Pontifex*: Hæc si Regi omnia sic conueniant, conuenit & *Regimen* Ecclesiasticum. Quantillum enim hæc absunt à toto *Regimine*, cùm vix vlla desit pars? Non ergo *deseruit Authorem Apologiæ, vbi maximè oportuit Verbum Diuinum*: deseruit *Tortum*, vbi minimè oportuit, ad tot loca *responsum commodum*. Faciat hæc quæ dixi Rex, nec ad Primatum suum præterea quicquam requiret. De *docendi munere*; *de dubijs in lege locis, explicandis*, nulla fuit illis tum, nulla nobis iam erit cum *Pontifice* pro *Rege* controuersia.

Etiam, vt quàm laboret inuidiâ in Regum nomen prodat, *titulos* ipsos arrodit, nec vel illis gaudere sinit homo maleuolus. Ita re, nomine, spoliatos vult; ita omni ex parte imminutum it Regiam Dignitatem. Quàm id autem inscitè? In primo titulo, quo *Filius Altissimi* Rex dicitur, restrictus est & tenax, *soli Salomoni* peculiarem vult; non *generatim* Regibus conuenire. Statim autem *verbis proximis*, quasi Lethargiâ

correptus, profusus est, toti Israëli communicat, cuius in Deuteronomio *Deus, Pater* dicitur. Tandem etiam ad *omnes* extendit, qui dicere possunt *Pater noster qui es in cœlis*, id est, omnino omnes. Ita negat Regibus primò, *soli* Salomoni seruatum vult; eodémque spiritu, *solius* Salomonis titulum impertit etiam infimis de plebe. Nec aduertit, quòd etsi *Petrus Regem honorari*, idemque *omnes honorari* iubeat, nemo tamen dubitet, quin alio *honore* Regem, quàm *omnes*: ita etsi Deus, idem *Regi* idemque *nobis* Pater; aliâ tamen, longè aliâ ratione *Regi* quàm *nobis*; Communiore aliquâ *nobis*, Regibus autem *propiore* quadam, atque illis *singulari*.

1. Pet. 2. 17.

Quod ipsum, & *de loco Psalmi* dici potest, qui etsi non incommodè quadrare potest omnibus qui ius dicunt: tamen quis non videt, aliter competere *Iudicibus*, quibus potestas *à Rege* delegata, aliter *Regi* ipsi, cui *à Deo* immediate; cuius ita Iudices in Prouinciâ personam sustinent, vt Rex ipse Dei? Quare ab *illis* per gradus intermedios itur ad Deum; Rex ipse Deo proximus; cui proin *Dei* nomen, peculiari quadam, atq; insigni magis adhuc ratione conuenit. Multo quidem magis *Moses*, & meliore iure nomen *Dei* vendicet, qui id tum populo, quod Reges pòst, præstitit, (tum cùm solus sederet, & Israëli ius diceret) quàm *alij illi*, quos Dei iussu, in *partem* pòst sollicitudinis vocauit; qui etsi & ipsi *Dij* vocantur in lege, erant tamen vt *Re*, ita *Titulo*, *Mosi* multis gradibus inferiores.

Nec multus iam nobis sermo de CHRISTO seu *Vncto Domini*: sat suprà de eo dictum. Ibi *Tortus*, quod & hîc, molîtur, vt *nomen* sit Pontifici commune cum Rege. Nec hîc nec ibi locum vllum apponit, nec dictis fidem facit. Nos *Christum Domini* de Pontifice dictum, non damus. Nec moramur vnctiones *Torti*. Nam & citra oleum *Cyrus Christus Domini* dicitur, & antè Chrisma, CHRISTI, *Psal. 105.* A Deo titulus, qui latenter vngit, & in occulto, quos Regno destinat.

Titulum *quartum* nescit, aut vnde irrepserit. Siquid ego adiuto, ecquid cedet de sententiâ? Lege ergo totidem verbis 2. Chr. 9. 8. *Dilexit te Deus, vt poneret te super Solium suum.* Ibi Solium *Dauid*, Solium *Dei*. Dehinc iam fac titulum agnoscas, saltem ne dicas *irreptitium*, ne nos te arreptitium dicamus.

Titulum *Serui Dei*, exsufflat, vt vulgarem, vt Creaturis omnibus

omnibus communem, quo tamen *Moses* & *Dauid*, tanquam admodum *honorifico* indigetârunt se, atque supra res reliquas creatas paululùm extulerunt: En Spiritum hominis, qui quod Reges sibi honori ducunt, tam superbè abijcit, atque conculcat. Nec enim *Serui Dei* dicendi *omnes*, nedum *omnia* quæ Deo seruiunt. Nec *Seruum* esse Regem quocunque modo dicimus, sed sic, vt Deus ipse Seruum suum agnoscat. Ex officio enim *seruiunt omnia*, etiam quæ neque possunt *velle seruire*. Non tamen multos puto agnoscet pro *Seruis*, & ex ijs, quos agnoscit, qui illustri maximè loco seruiunt, per eminentiam quandam *Serui* sunt, nec cæteris similes, vel simili loco habendi. *Serui* enim non æquales.* *Seruum* se *Dei* dixit Saul; *1.Sam.14.41
Serui huius *Dei* Saulis, Achimelech Summus Sacerdos [a] *bis* a 1.Sam.22.15
Seruum se profitetur. *Seruus Dei* Salomon: Hic tamen *Seruus*, [b] Abiatharum (vt tu eum dici vis) *Conseruum* suum deposuit. b 1.Reg.2.27.
Videat autem *Tortus* si tam numerosos nobis faciat *Dei Seruos*, nec pauciores quàm sunt Creaturæ; ne ita, is, qui *Seruus Seruorum Dei* dici vult, *Seruus* cogatur esse Bipedum atque Quadrupedum omnium, &; quod adhuc maius est, *Dæmonum*. Seruiunt enim Deo & illi, *Gregoriano* more, *velint nolint*, quorum tamen non feret (scio saltem) vt *Seruus* sit Pontifex.

Titulum *Angeli* obliquis oculis aspicit: *Soli* Dauidi vindicat, & illi, *quà Sapiens, non quà Rex*. At in Sacerdotes depluit *generatim*. Ita *vnus* Rex *Angelus*; Sacerdotes *Angeli* ad vnum *omnes*. Quàm vbique malignus in Reges? Nec tamen solus Dauid *Angelus*; Etiam Rex Tyri [c] *Cherub* dicitur, qui puto vo- c Ezech. 28.14 16.
bis in Choris *Angelorum*: Rex (inquam) Tyri, homo Ethnicus; vt iam spero, per *Tortum* liceat, quod Paganis datum est nomen, Regibus Christianis non negare.

Esse secundùm cor Dei, etsi eo loco de *Dauide* dicitur; potest tamen, & ad alios commeare, qui *Dauidi* similes; *Ezekiam* putà vel *Iosiam*, vt sic proprius esse desinat. Nec sequitur quod de *Saulo* addis & *Achabo*. Potest enim esse, & est ex corde Dei *Rex*, (*Magistratus* ipse scilicet) vt ille tamen non sit, qui *Magistratum* gerit. Rectè enim id animaduersum, non *Tiberio* vel *Neroni* reddi iuberi officia hæc, sed *Cæsari*.

In titulo *Luminaris*, cùm negare non posit, tamen moreretur iam, si non aliquâ noceret. Non ergo satis illi Sacerdo-

tes

tes vocare in societatem nominis, vt ita, sicut Rex, sic Sacerdos; nisi Regem deprimendo, dicat, *magis Sacerdoti conuenire quàm Regi, nomen Luminis*: non veteri argumento *Bonifacij*, & analogiâ Solis ad Lunam, sed certè quod nihilo plus sapiat. Illi dicebantur *Lucernæ Israel*, nempe *Reges*: Hij autem, nimirum *Sacerdotes*, *Lux Mundi*. Maior autem *Mundus* quàm *Israel*: Maior ergo, (fortasse, & tanto maior) *Sacerdos Rege*. At cùm hoc Seruator diceret, Vos estis *Lux mundi*, duodecim illos affatus, qui erant tum *Omnes*, nec præter eos *vlli*, Apostoli. Itidem, si *Omnes* per Orbem Reges daretur alloqui, *Illis* quoque idem illud suum diceret Christus, *Vos estis Lux mundi*. Cùm *vnum* tantùm alloquitur, *Vnius Gentis* Regem, *Lucernam Israel* dicit, cuius Rex erat; Atque simili modò, si vnius Gentis Episcopum affari contingeret. Vt septem illos *Apocal.1°. Septem Stellas* diceret *Septem Ecclesiarum*; *Singularū* scilicet *Singulas*; non autē vel *Stellas*, vel *Lucernas*, Orbis *Vniuersi*.

In vltimo, vt agnoscas *Tortum* à principio in finem vsque Regibus inimicum, vbi Apologia *Regem*, *Nutritium* nominauit; ille *Pontificem Patrem*, quo, *Nutritius* inferior multò est, vt potiores semper sint partes Pontificis; quod Reges mordeat. Citat autem huic rei nescio quid ex *Augustini* Epistolâ quadam, (non enim illâ, quam numeri notant.) At æquior hîc sit censeo. Absque hijs enim foret *Nutricijs nostris*, *Pater Vester* Pontifex esuriret strenuè, atque algeret, nec ita inflatus, obsericatus incederet, aut *pompaticè ingrederetur Domum Dei*. Quodsi autem, momenti quid sit in *Patris* nomine, nihil opus adeamus *Augustinum*, atque alicunde apud *eum* ex Epistolæ angulo aliquo, Patris nomen eruamus. Sacræ literæ, non *Nutritij* modò nomen, vel *Nutricis*; etiam *Patris*, atque *Matris* ad Principes accommodant non inuitæ. Debora, [a] *Mater* dicitur in Israel. *Ezekias Pater*, atque, audi etiam, *Sacerdotum*. Sic enim Sacerdotes affatur ipsos. *2. Chron. 29. 11. Filij mei, nolite verò negligere*. Vt Rex, iam *Pater* sit, & Sacerdotum *Pater*; ne quid eo titulo insolescant, aut supra Reges se efferant. Quem enim honorem habent Principes, non aliâ Lege habent, quàm *Quintâ*, quæ est de *Patre honorando*, propter *paternam* de Patriâ curam, nec minùs *paternam* de *Ecclesiâ*. Quicquid ergo præterea habet, hæc habet ex verbo

[a] *Iud. 5. 7.*

Dei

Dei Apologia, & Rex Nutritius Ecclesiæ sit, & Pontificis ipsius, etiam, vt *Pater* sit. Diu autem hoc, & per aliquot secula, non modò ante *Henricum octauum*, sed etiam ante Pontificem vel *Paulum primum*.

ET sunt ista quidem ex Testamento *Veteri* satis solida *Fundamenta*, & quæ tu haud facilè conuelles. Nam de *Nouo* ibi quæ adijciuntur, eò spectant, ne quis ex eo, quod alieni tum à CHRISTO Reges terræ, imminutam putet, vel eorum in subditos potestatem, vel subditorum in eos fidem; neue pristino suo iure excidisse videantur. Non quòd ad *Reges infideles* Primatum pertinere probent, non sanè magis ad hos in *Nouo*, quàm ad *Ahasuerum* vel *Nabuchodonozor* in *Veteri* (delirat hæc *Tortus*) sed quòd *Cæsari*, si Christianus fiat, vt *Constantino*, idem iuris sit in *Ecclesiam*, quod in *Veteri*, *Iosiæ* fuit; reditus statim fiat *ad iura Regum Israel*, quamprimùm facti sunt *Reges Israel Dei*, & eorum quisque CHRISTO nomen dederit. Interim autem, sit vel infidelis, sit vel Hæreticus, *oretur* pro eo, non minùs quàm [a] pro *Nabuchodonozor*; [a] Ier.29.7.
nemo *vitæ* eius *insidietur*, non magis quàm [b] *Ahasueri*. Fidem [b] Ester.2.21.
penes semet ipsos habeant Christiani subditi coram Deo; cæteris in rebus pietatem colant: ad eamque se *Conscientiæ nexu* teneri discant à *Paulo*; *voluntatem hanc Dei esse*, discant à *Petro*. Non ergo id agitur, vt Ecclesiæ *Persecutores*, *Tiberij*, *Caij*, Ecclesiæ *Gubernatores* habeantur; quem si quis eis titulum deferret, ne susciperent quidem; vt qui Ecclesiam ipsam totis viribus extirpatum iuerint: tantùm vt tuti sint à Sicâ, Veneno, Puluere Catholicorum suorum. Tum demum verò Ecclesiæ gubernacula capessant, cùm conuersi ad fidem fuerint. Reddenda enim *Cæsari* quæ *Cæsaris* sunt; *Cæsaris* sunt, quæ *Cæsari* debentur: Debentur autem *Cæsari* Christiano, quæcunque olim à Populo Dei sub veteri Lege Regibus suis officia, vel debita, vel persoluta sunt: quibus & debita tum erant & persoluta, subiectio & obedientia, non in Regni rebus solùm, sed etiam Ecclesiæ.

Nemo autem est, qui non videat quàm sit absurdum hæc aliò detorquere; sed cùm hoc facit *Tortus*, cùm nequam facit, officium facit: quale illud, quòd *aliquas* tantùm *sententias*, *de citatis*, *Regibus etiam Christianis* ait, *posse conuenire*. *Aliquas* verò?

rò? Et quæ tandem non conueniunt? *Paganis* autem *conuenire omnes*, *neminem* (pòst dicit) *inficiari posse*. Hoc ergò videri vult dicere; *plus iuris* esse Paganis Regibus, *plus illis* fauere Scripturas, quàm Regibus Christianis; & mox tamen, vt quo nodo teneas, planè nescias, *doctrinam Principibus omnibus communem illisce contineri* asserit, siue Pagani, siue Christiani sint. Non *aliqua* ergo è citatis; omnes Principum Christianorum sunt. Quale etiam illud, quòd sententias *aliquas* ex citatis detorquet, ad Principes Ecclesiasticos, vel potiùs aliquam, nempe eam Apostoli, quâ *omnem animam iubet subditam esse Potestatibus sublimioribus*. Hanc sententiam ad *Ecclesiasticos Principes pertinere* ait, cùm nec vlli tum essent Ecclesiastici qui Principes dicerentur; & si essent, tamen ad eos applicari non posset locus Apostoli, qui de ijs est *Potestatibus*, quæ *gladium gestant*, & quibus *tributum penditur*. Ecclesiastici verò tum, mucronem gladij sæpe gestabant in ceruicibus, capulum in manibus non gestabant: nec Publicanos adhuc habebant vllos, qui tributa sua, ac vectigalia exigerent ab ijs, qui subditi, in Principatu suo. Tum *Apostoli*, in eas *Potestates* includi non poterant, quibus (si quid vidit [a] *Chrysostomus*) etiam *Apostoli* ipsi subditi iubentur esse.

[a] In Rom. 13.

Quæ verò post ibi format, per sanè similia sunt *formanti* argumenta; iures à *Torto formata*; *formâ* enim hominem ad viuum referunt. Alioqui, si quid in eo recti, si curuam in terris animam non gerat, sciat loca primùm à se, posita locis non suis; de *tribus* vltimum, *primo* loco in Apologiâ stare: *duo priora*, quæ ille loco suo mouit, *postremo*. Vt autem locata ab eo malè, ita & *luxata* esse. *Vltimum* eius pro *Cæsare* esse, ille luxauit, quasi contra Papam esset. *Duo priora* contra Papam, luxauit, quasi essent pro *Cæsare*. Sinat stare locis suis, sinat ad quem destinata sunt, scopum petere; tum verò legat vel leuiter *Analytica sua Priora*, nec ita valdè diligenter euoluat, reperiet non magno labore, *medium terminum*. Hoc autem modo. Qui se Vicarium facit eius, cuius regnum non est huius Mundi, in Regna huius Mundi ius non habet. *Vicarium se facere eius cuius Regnum non est huius Mundi*, Medius terminus. Qui Gentium non dominatur vt Rex, non dominatur in Reges Gentium. *Dominari Gentium vt Rex*, Medius terminus.

terminus. Atque *duo hæc* contra Papam, qui sub Primatus specie vsurpat sibi ius Dominij in Regna mundi, in Reges Gentium. *Vltimum* non contra Papæ ius, vt tu oppidò quàm ineptè, sed pro Cæsaris iure est. Ad hunc modum. Quod Cæsaris est scilicet tum, cùm iam Christianus factus est, id Cæsari reddendum. Obedientia etiam in rebus Religionis Cæsaris est Christiani iam facti. Medius terminus. *Quod Cæsaris est iam Christiani: Iam* Christiani dico; quo ita analogia seruetur Regum Israëlis sub *Veteri Lege:* Christianorum sub Nouâ. Tum demum enim Rex istius debiti capax est, cùm est in Ecclesiâ, vt *Iosias:* non cùm extrà, vt *Ieroboam*.

Nos verò Testamentum *Nouum* à Vetere non diuellimus; ex vtroque ius Regum astruimus. Habuerunt Reges in Vetere Primatum suum, atque inde nerui sunt & lacerti causæ nostræ. In *Nouo* autem, deteriore iure non sunt. Sub eâdem ergo conditione, idem illis Primatus debetur, idem reddendus est. Tu verò *Torte* ne sic ludas Scripturæ locis; quæ (vtcunque ludas illis) non potes eludere; & vtcunque abuti potes patientiâ, at iudicio Lectoris non potes. Sentit enim hęc ludicra non esse, seriò rem agi; adeo stabiliri illis Primatum, vt tu succutiendo non sis. Ecclesia verò Catholica, tantum abest vt eum Primatum *detestata sit*; vt *Carolum*, vt *Ludouicum* [a] *Rectores Religionis*, Actis publicis Cõciliaribus, dixerit, scripserit; Inter *Rectorem* verò & *Gubernatorem* quid interest? Aut si nulla ei vox satis est, nisi *Gubernatoris*, legat in Synodo suâ *Octauâ* Basilium *Gubernatorem Vniuersalis Nauis Ecclesiasticæ*. *Caluinus* autem vt *Papam Regem:* ita *Regem Papam* non probauit; neque nos quod in Papâ detestamur, in Rege approbamus. At & *ille* nobiscum, & nos *cum illo* sentimus, easdem esse in Ecclesiâ Christianâ Regis *Iacobi* partes; quæ *Iosiæ* fuerunt in Iudaïcâ, nec nos vltrà quicquam fieri ambimus, & Tortus si scopum ferire voluit, non aërem verberare, *Septem illa* petere debuit & configere, quæ *hoc ipso in loco* ponuntur Regis in Religione *munera*, & ad quem solum scopum collimare Iuramentum Primatus Regij, Rex ipse (qui quid ipse petat, optimè omnium nouit) non dissimulanter asserit. Quos verò *Puritanos* appellat, si Regium Primatum detestentur, detestandi ipsi. Profitentur enim, subscribunt, iurant in-

[a] *Concil. Mogunt. sub Carolo. Concil. Mogunt. sub Ludouico.*

Bbb 2 dies.

dies. Sed & illi quod faciunt, ingenuè faciunt, & societatem in hoc *Torti*, ipsúmque adeo *Tortum*, tanquam mendacem hominem, & alibi de alijs, & hîc de se; ac Sycophantam egregium detestantur.

Atque vt semel defungar totâ hac de *Primatu Regio* Quæstione, semel vt constet *Primatus* apud nos quæ iura sint, quid *illius* nomine intelligendum veniat; atque ita cesset vestra dehinc, cesset aliorum calumnia de vestro, & à vobis confict̃o, non nostro, & à nobis agnito *Primatu*: paucis sic accipe sententiam nostram.

Primò, Sub *Primatus* nomine Papatum nouum Rex non inuehit in Ecclesiam; sic enim statuit, vt non [a] *Aaroni Pontifici*, ita nec [b] *Ieroboamo Regi* ius vllum esse, conflatum à se Vitulum populo proponendi vt adoret (id est) non vel fidei nouos articulos, vel cultus Diuini nouas formulas procudendi.

a Exod.32.4.
b 1Reg.12.28.

Neque verò id agit Rex, ne patitur quidem, vt sibi potestas sit, vel *incensum adolendi* cum [c] *Oziâ*, vel *Arcam attrect̃andi* cum [d] *Ozâ*, quod vos toties tam odiosè inculcatis.

c 2.Chr.26.16.
d 2.Sam.6.6.

Vestrum illud (quod *ad Primatum Pontificium propriè pertinere* dicitis) *docendi munus, vel dubia Legis explicandi*, non assumit, non vel Conciones habendi, vel Rei Sacræ præeundi, vel Sacramenta celebrandi; non vel Personas sacrandi, vel Res; non vel Clauium ius, vel Censuræ. Verbo dicam; nihil Ille sibi, nihil nos Illi fas putamus attingere, quæ ad Sacerdotale munus spect̃ant, seu potestatem Ordinis consequuntur. Omnino vestra hæc calumnia est, in odium confict̃a, & Regis, & nostrûm: Regis, quòd Ille sibi hæc arroget; Nostrûm, quòd nos Illi ista tribuamus. Procul hæc habet Rex; procul à se abdicat.

Atqui in hijs quæ Exterioris Politiæ sunt, vt præcipiat, suo sibi iure vendicat; nosque adeo Illi lubentes meritò deferimus. Religionis enim curam, rem Regiam esse, non modò Pontificiam, & in Regijs primam; quámque Ille non solùm foris ab externâ vi, sed & domi ab incuriâ hominum asserere teneatur. Vos quidem ipsi, si vis instet vlla, rem Regiam clamatis: Ille verò, si collapsa sit Disciplina, non minùs Regiam.

Nam cùm Lege ipsâ Dei [e] Custos sit & Vindex, non secundæ

e Deut. 17.18. Iosh.1.8.

cundæ modò Tabulæ, sed & primæ: primæ quoque ad se curam pertinere putat, & primam primæ. Et cùm [a] *Omnis anima Ei subijci* iubetur: animæ etiam consultum vult; magis autem id atque priùs, quàm corpori. *a Rom.13.1.*

Vis illa dicam Sigillatim quæ sint? Quodcunque in rebus Religionis Reges *Israel* fecerunt, nec sine laude fecerunt, id vt *Ei* faciendi ius sit ac potestas. Leges authoritate Regiâ ferendi, ne blasphemetur Deus (non negabitis; fecit [b] *Rex Babel*) vt ieiunio placetur Deus, fecit [c] *Rex Niniue*: vt Festo honoretur, fecit [d] *Ester* cùm Purim, [e] *Machabæus*, cùm Encœnia promulgaret. Denique ijs omnibus de rebus, de quibus in *Codice*, in *Authenticis*, in *Capitularibus* à *Constantino*, *Theodosio*, *Iustiniano*, *Carolo Magno* Leges latæ leguntur. *b Dan.3.29.* *c Ion.3.7.* *d Est.9.26.* *e 1.Mac.4.56, 59.*

Tum, delegandi qui de Lege sic Latâ iudicent, quod [f] *Iosaphat*. Tum subditos, ne sic latam violent, iuramento obstringendi, quod & [g] *Asa* & [h] *Iosias*. *f 2.Chron.19.8.* *g 2.Chr.15.14.* *h 34.32.*

Quòd siqui in Leges ita latas committant, etsi Religonis ea causa sit, siue [i] *Pseudoprophetæ* crimen est, siue [k] *Idololatræ*, siue [l] *Blasphemi*, siue [m] *Sacrapolluentis*, in eos authoritate Regiâ animaduertendi. *i Deut.13.10.* *k 15.* *l Leuit.24.23.* *m Num.15.35.*

Conuentus authoritate suâ indicendi; Etiam de Arcâ reducendâ, & figendâ loco suo, quod fecit [n] *Dauid*: Etiam de Populo ad Dei cultum reuocando, quod [o] *Iosaphat*: Etiam de Templo dedicando, quod [p] *Salomon*: collapso instaurando, quod [q] *Ioas*: polluto purificando, quod [r] *Ezekias*. *n 1.Chro.13.3.* *o 2.Chron.19.4* *p 1.Reg.8.64.* *q 2.Chr.24.4.* *r 29.5.*

Quanquam verò, non frustra sibi præceptum putet à Deo, [s] *vt describat sibi Legis exemplar, secum habeat semper, legat sedulò*, [t] *dies noctésque meditetur*, condiscat inde cultum Dei vel ad ipsas vsque Ceremonias; nec hoc Illi dictum, vt totus ab alieno ore pendeat, Ipse quâ à se nihil planè dijudicet: In hijs tamen [u] *Os Eleazari*, non inuitus *consulet*, & *requiret legem ab ijs, quorum labia scientiam custodiunt*: adhibebit in sacris Legibus ferendis, quos adhibere par est, quosque ratio suadet, rerum illarum consultissimos, déque ijs optimè respondere posse. Et in hijs, quæ ad Deum pertinent [x] *Amariam Sacerdotem*, non *Zabadiam Ducem* iubebit præsidere. *s Deut.17.19.* *t Ios.1.8.* *u Num.27.21.* *Mal.2.7.* *x 2.Chr.19.11*

Quoad Personas; Omnibus omnium Ordinum ius dicendi: qui sit (dicam stilo Scripturę) [y] *Caput Tribus* Leui, non mi- *y 1.Sam.15.17*

nùs quàm cæterarum, nec minùs Clericorũ quàm Laico-
a Deut. 17. 12. rum Rex: Contra *Abiathar siquis superbierit*, [a] *Decreto* suo compescendi; etiam *Abiathar* ipsum, si ita meritus, Pontificatu [b] *abdicandi*.

b 1. Reg. 2. 27. Quoad Res. Excelsa diruendi; id est, peregrinum cultum abolendi; nec modò *Vitulum aureum* ab Aarone conflatum,
c Exod. 32. 20. quod [c] *Moses*, sed & *Serpentem aeneum* à Mose erectum con-
d 2. Reg. 18. 4. fringendi, quod [d] *Ezechias*; Et siue in Idololatriam abeat *Vitulus aureus*, siue in superstitionem *Serpens aeneus*, vtrumque comminuendi.

Nam de rebus, quæ ad decorem Domus Dei spectant, quæ
e 2. Chr. 24. 12. dici solent *Adiaphora*, statuendi, quod [e] *Ioas*; Et quæ materia schismatis esse assolent, futiles & inutiles Quæstiones, autho-
f Socr. lib. 1. 7. ritate suâ compescendi, quod [f] *Constantinus*; ne vos quidem ipsi negatis ius esse.

Postremò; si de Christianis exemplum malitis, id postulat, vt Episcopus sit τῶν ἐκτὸς quod *Constantinus*: vt *Rector Religionis*, quod non modò *Carolus Magnus*, sed & *Ludouicus Pius*.

Hæc Primatus apud nos iura sunt, ex iure Diuino. Reliqua Chimæra vestra sunt, quibuscum quasi cum vmbrâ vestrâ σκιαμαχίαν si libet, quantum libet, instituite. Nos illa non feriunt; Lectori, perinde vt affectus erit, vel stomachum, vel risum mouent.

DIctum iam de *officijs* deque *Titulis*, quibus dignatur Reges Spiritus Sanctus: quibuscum quàm bellè conueniat Cardinali, notauit *Apologia*. Quodsi in Cardinalem redundet ex eo fonte inuidia, vnde Regibus illam conflare voluit, quis non par pari relatum dicat? Quàm bellè verò iam inter
De Laicis. c. 7. se conciliet *Tortus*, age videamus. Verba Cardinalis, *Magis propriè Seruus dici debet, qui praeest, quàm qui subditus est*. Falsò posita primò. Non enim *magis propriè* dici debet, qui nec *propriè* debet. *Propriè* autem dici non debere, docet idem ipse Cardinalis eodem ipso in loco; dubitat enim, *an vlla seruitus in Principatu Politico*; Deinde, *Despoticam subiectionem veram & propriam seruitutem* dicit. At subditi *propriè* loquendo Principum δοῦλοι non sunt. Docet & *Tortus*, qui ideo Seruos dici vult, *non quasi subiecti sint* (at *propriè* seruitutis ratio *in subiectione est*) sed quia laborant regendo propter bonum publicum,

cum. Labor autem *propriè* seruitus non est; nec qui laborant, eo ipso quòd laborant, propriè seruire dicuntur. Laborant etiam, qui liberi sunt; neque Seruus *propriè in virgâ* venit, ipse potiùs virgæ & correctioni subiacet. Quodsi autem ex eo Seruus quis *propriè* dicatur, quod propter bonum publicum, & populi vtilitatem operetur, liber qui propter suum: mali omnes *propriè* liberi, boni *propriè* Serui, nec nisi boni. Nisi bonos enim vix reperias, qui quærant quæ sua non sunt; aut laborent propter bonum aliud quàm suum.

Atque vt falsò posita, ita nihilo veriùs, ex *Paulo*, *Gregorio*, *Augustino* confirmata. Paulus enim & Gregorius de Politico Principatu non loquuntur: Cardinalis de Politico. Quid Augustinus? *Etiam qui imperant seruiunt ijs, quibus videntur imperare.* Sic est.. At hoc multum abest à dicto Cardinalis. Nusquam enim hîc *magis propriè*, ac ne *propriè* quidem. Quin (vt ibi Augustinus) *officio consulendi & prouidendi misericordiâ* seruiunt; vt *Tortus* ipse respondet, *labore*, non *subiectione* seruiunt. *Magis* ergo *propriè* quod dixit, *minùs cautè* dixit, vel potiùs *nimis inuidiosè* dixit. Quod te autem malè habet de voce *Mancipij* Anglicè positâ, non Serui; ideo habet, quia vim vocis ignoras. Serui enim hîc apud nos, quorum cùm sui Mancipij esse nequeant, ne vindictâ quidem Prætoris, & vox & conditio longè durior. Vtinam verò tam de voculâ non laborares. Principes enim *Mancipia* sua facit Papa, si ad rem attendas; Stratores suos, stapedam tenere, Ceruices conculcandas dare: *Mancipia* quos facit, Mancipia dici cur non permittat? Durius multò facere hæc, quàm dicere.

De Ciuit. Dei Lib. 1. cap. 14.

Verba *Chrysostomi*; Sensus *Bellarmini*. Cohibeat Regem Diaconus, si cùm indignus sit, idque palàm constet, accedat tamen ad Sacramentum. Cohibeat & *Medicus*, si ad noxium quid, vel insalubre manum admoueat. Cohibeat & *Equiso*, si inter equitandum, adigat equum per locum præruptum, vel salebrosum, cui subsit periculum. Etiamne *Medico*, etiamne *Equisoni* suo subiectus Rex? Sed de *maiori potestate* loquitur, sed eâ, ad rem noxiam procul arcendam: quâ in re charitatis semper *potestas* est *maxima*. Verùm dic, nunquámne Cardinalis dixit in loco, *Chrysostomum multa per excessum loqui?* Ego non dico; id dico, non tam curandum, quæ Chrysosto-

mi

mi verba, quàm *quis animus* Cardinalis *in citando.* Caput illud Cardinalis euoluat Lector integrum; videat annon toto illo Capite, animus illi Reges deprimendi.

Quod ipsum responsum ferat, *ad Presbyterum ante Imperatorem de poculo bibentem.* Illustre exemplum: præsertim si & addas facti rationem, [a] *quòd digniorem existimauit Imperatore Presbyterum*; tum, *quòd integrum ei non esset* (putà admisisset in se scelus graue) *nisi Presbyterum Imperatori prætulisset.* At Presbyter iste Cardinalis non erat; Cardinales autem Regibus non præferuntur, Socij tantùm sunt. Quare peccauit iudicio hoc suo, vel iudicio vestro. Tum, neque *Maximus*, cui factum hoc, Imperator erat, sed Rebellis in Imperatorem, & tanquam Rebellis cæsus paulò pòst à Theodosio. Tortus autem satis se dixisse putat, cùm Cardinalem ait, *ex se hoc non affirmare.* Quorsum autem affert ex alio, nisi vt *affirmet ex se?* Non enim perstringit, quod fecerit. Quæ illius intentio cùm afferret? Sine dubio, vt Reges moratos redderet. Aberat enim omnis inuidia procul, procul & omnis maleuolentia; præ amore, Regem infra Presbyteros atque Diaconos ablegauit. Lector autem qui sapit, putabit in *Martini* exemplo illo, magis *Maximi* patientiam, quàm *Martini* modestiam elucere.

a De Pontif. lib. 1 cap. 7.

De Regum authoritate, quòd *ex iure diuino non sit*, quòd immediatè à Deo non descendat, Cardinalis ait; Tortus probat; *Asseri enim Scriptorum sententiâ communi.* At nec *omnium*, nec *optimorum.* Deriuatam enim in *Mosen* authoritatem à Deo ipso summam, nullo mediante corpore collectiuo, in quo locata primùm à Deo authoritas illa sit, pòst inde in Mosen collata. Idem pòst factum in Regibus, sine lege vllâ tum Regiâ: Populus nihil contulit: CHRISTI Domini, non CHRISTI populi sunt. Oleo Sancto infuso signare id Deus voluit, & consignare: ex *Sion* Sanctuario suo, non ex *Millo* Conuentus Popularis loco, authoritatem illis esse. Quo ipso Oleo testatus est, quàm vel Propheticam, vel Sacerdotalem, tàm Regiam etiam Diuini iuris esse. Tam (inquam,) nisi hîc Regibus prærogatiua sua sit; aliqua certè; vel ex eo, quòd per eminentiam nomen habeant *Christorum Domini*; vel ex eo, quòd Solium Regis, *Solium Dei:* Cathedra Ponti-

Pontificis Cathedra *Petri* modò est. Quod enim apponit *Tortus* de Regno in Rempublicam interdum mutato, nimis crassum est. Acutus homo non distinguit inter formam, atq; authoritatem Regiminis; forma *de hominibus* esse potest; *de cælo* semper est authoritas. Qui rem quidem hîc paulò magis expenderit, *hinc*, semel à Deo collatam Regi potestatem, propagari in stirpe perpetim lineâ non interruptâ; *illinc*, in Pontifice interrumpi subinde, nouo semper Pontifici de nouo potestatem applicari, putet certè Pontificis authoritatem *mediatè* ab Ecclesiâ esse; à Deo *immediatè* non esse: & inanem planè Chimæram vestram esse Potestatis Pontificiæ, à *demortuo præcedente* vsque ad *nouum renunciatum*, in aëre *pendulæ*; tum autem ὡς ἀπὸ μηχανῆς in *succedentem* demissæ. Vos ergo expedite de Pontifice. Nos de Rege videbimus, præsertim cùm de Romano vestro Cardinalis ipse trepidet, cùm ita vobis suadet. [a] *Tametsi fortè non sit de iure diuino, Romanum Pontificem Petro succedere in Præfecturam totius Ecclesiæ: tamen si quis absolutè petat, an iure Diuino Romanus Pontifex sit Caput totius Ecclesiæ, omnino id esse asserendum.* Nobis non licet esse tam disertis, *Omninò id asserere de Iure Diuino esse, quod tamen fortè de Iure Diuino non est.*

a De Pontif. lib. 2°. cap. 12.

Depositos ab Imperatore Pontifices fatetur; sed negat *potuisse iure deponi.* Ergóne *iniuriâ* depositi (quos ibi nominat) *Iohannes 12. Gregorius 6*, duo, non homines sed monstra hominum, & propudia generis humani? Non audet *iniuriâ* dicere. Quid dicit? *Non propriè depositos ab Imperatoribus, sed à Concilijs Episcoporum.* Etiámne deponi potest Papa à *Concilio non Generali*, à Concilio *Episcoporum aliquot*? Caue *Torte*; Etiámne ab illegitimo Concilio? Quæro enim an fuerit legitimum? Nam si legitimum, quo depositus *Iohannes 12*, legitimus & Canon *In Synodo.* Caue & hîc. [b] *Baronius* enim iam & Vestri homines, potiùs quàm admittant Canonem illum pro legitimo, Concilium illud mutârunt in Conciliabulum; atque ita iam *Iohannes 12.* vir optimus, in Concilio illegitimo, per iniuriam depositus. Quare Confessor ad minimum; Martyr etiam sine dubio futurus, nisi pòst confossus fuisset in adulterio. Sed hæ technæ vestræ sunt. Nobis, qui

b Ad ann. 963.

nescimus illas, satis est, quòd legitimus Pontifex potuit iure deponi à Rege; nempè *Abiathar* à *Salomone*, idque propriè, sine Concilio omni, vel legitimo, vel illegitimo. Et *in illâ Historiâ* neminem extitisse in totâ Pontificum serie, qui Regem vllum deposuerit.

Nusquámne apud Cardinalem extat locus eiusmodi, quo Episcopis liceat Reges deponere? At tu modò locum huiusmodi apud *Sanderum*, verè *aureum* dixisti. Quod si verè aureus, Cardinalem dedecere non potest. *Asserere* ibi vos dicit, atque *meritò asserere*, *Quoscunque Reges Christianos, ita Episcopis & Presbyteris subesse, vt per sententiam eorum deponi possint.* Credo autem tibi, Episcopos, cùm in bonâ gratiâ Pontificis sunt, dici ab eo Venerabiles fratres; sed si bilem mouerint, an vllus fuerit Papa tam iracundus nescio, qui illos *mancipia* dixerit: certè aliqui (si vera narrant Historiæ) vt *Mancipia* habuerunt; etiam (si bene memini) Cardinales. Cur enim non habeant, qui socios eorum Reges sæpè sic habuerunt?

De Visib. Monarch. lib. 2. c. 4.

De interuallo quod est inter Ecclesiasticos & Principes, hijs illi quid præstent, mollire iam nititur: *non dici de quibuslibet Ecclesiasticis* (putà de Curatis) *sed de Principibus Ecclesiarum.* At quibuslibet Ecclesiasticis animarum cura est; etiam fortè *Minoritis* maior animarum cura, quàm *Maioritis*. Denique rem reijcit in *Nazianzenum*; *totidem verbis ibi haberi.* Quid verò? *Tam longè Episcopos supra Principes esse, quàm est anima supra corpus.* At nec *longè supra* ibi est, nec *tam longè supra. Liberè loquentem se ferre vult Præsidem Prouinciæ*, (non *Imperatorem*; is vos error diu exercuit, iam deposuistis) *esse enim sibi* dicit *Principatum, eumq; maiorem, aut Spiritum Carni cedere oportere.* Modestè satis hoc. Vestri enim hîc homines animaduerterunt, totum hominem vtrique potestati subiectum, tam Ecclesiasticæ quàm Politicæ. Nam & religio in *corpus* ius exercet; & ad *animas* quoque pertingit ciuilis obedientia, nec inanimis res est. Quare *totum* hominem, quâ terrenæ fœlicitatis capax, subiectum Politicæ; eundem *totum*, quâ capax est æternæ, subiectum Ecclesiasticę. Non rectè igitur institui à vobis quasi *partis* cum *parte* comparationem, cùm si propriè loqui detur, vtrobique, in totum, æquale ius sit.

Oratio ad Præsid. Nazianzenum

sit. Præsidi etiam, cui prouincia in ciuilibus modò, curæ est, rectè comparari Episcopum, Regi non rectè: cui in vtrisque cura incumbit, cui vtriúsque & *Amariæ* & *Zabadiæ* designatio. Qui verò *Nazianzenum* benè nôrit, ad illius animum non putet esse, sic dilatari atque extendi verba eius ad sensum ab indole eius alienum, & à totâ vitæ ratione; qui longè aberat, vt præ Ecclesiasticis sic Principes eleuaret. Non erat hoc illorum, vel morum vel temporum.

Bonæ fidei iam actionem instituit, de loco non rectè citato. *Non ibi dicit Regem per Subditos suos deponi posse*. Non ibi? Sed annon dicit omnino? Si non ibi, annon alicubi? Quid iuuat autem, si ad præsens intermittat paroxysmus, pôst autem tanto recurrat acrior? Tamen ex loco citato quæro. Deposuit Reges Pontifex, solâne id sententiâ suâ? Legisti quenquam, qui latâ statim sententiâ deposuerit cum Sceptro Coronam? quenquam qui non, quâ potuit, restiterit? Quid tum Pontifex? Quod *victi faciunt*; *ad Populum prouocat*; per subditos rem agit, interdicit ne pareant, edicit vt insurgant; facit *primò* non subditos, *pòst* hostes etiam. Desertus, profligatus à suis Rex, ita demum cessit, quicúnque cessit. Res eò redit; deponit Populus, non Pontifex, etiam vbi Pontifex deponit. Absque illo, fulmen eius contemnant, sententiæ obnuncient: vt & contempserunt & obnunciârunt nonnulli, quibus Populi sui fides sublesta non fuit. Quanquam de Cardinalis mente quid quærimus? Remittit nos ad *Sanderum* suum, inter aurea cuius dicta iam antè in Apologiâ numeratur & illud: *Rex, qui Pontificis authoritati se subijcere recusabit, nullo modo tolerandus est, sed omnem operam Subditi dare debent, vt alius in eius locum quamprimùm surrogetur*. Audis, *Subditi operam dare debent: debent quamprimùm*. Subditorum opera quæritur, quæ si desit, frustra tonet fulgurétque Pontifex. Nec alia vel *Philopatri* mens, vel *Didymi*, vel *Rossæi*. Denique cur delicias faciat hîc *Tortus*? Turbatis non ita pridem in *Galliâ* rebus, non alia tum doctrina *Parisiis* regnauit; nisi gessisset ibi rem cædendo Populus, Pontifex sedendo haud quicquam effecisset.

Qui paulò suprà, depositos agnouit Pontifices duos *Io-*

hannem 12um. & *Gregorium* 6um. idque *propriè à Concilijs Episcoporum*: mutauit iam mentem *Tortus*, & negat, *vllo modo deponi posse. Nemini enim mortalium permissum esse, de ijs iudicare.* At mortales credo erant, qui in Concilio *Constantiensi* tres simul Pontifices iudicârunt, etiam deposuerunt, idque legitimè; alioqui Sedis inuasor *Martinus Quintus*, qui *tribus* illis surrogatus est; nec illorum melior conditio, qui ei pòst successerunt, omnes malæ fidei possessores. At hæc noua tum fuisset Theologia, & explosa ab eis: *Non posse à Generali Concilio iudicare Papam*; de quâ inter omnes Theologos & Iuris consultos hodie non puto conuenire. Verùm *scriptum id in Generalibus Concilijs ante multa secula; Nemini mortalium permissum esse iudicari de Pontifice.* Quinque ibi Romana Concilia citat Cardinalis; *Sinuessanum, Siluestri, Sixti tertij, Symmachi, Adriani secundi*, in quibus si domi ipse sibi Pontifex ius dicens, seipsum absolueret, non referret admodum. Sed nec in illis hoc dicitur, præter fortè *Sinuessano*, aut *Siluestrino*, quorum iam pudere incipit vel Cardinales ipsos. Reliqua non negant à Concilio Generali, totam Ecclesiam repræsentante, loco moueri posse. Omnia hæc in *Constantiensi* excussa satis, nec obstabant tum eis quò minùs de Pontifice sententiam ferrent. Generalia ibi plura non sunt; duo sunt tantùm, nec valdè ad rem. Quorum in priore, *Chalcedonensi*, inter alias causas sanè permultas (*duodecim* enim propter quas depositus ibi tum *Dioscorus*) & illa est, quòd in *Leonem* petulantior fuisset. At nec sola fuit, nec præcipua depositionis causa; sed quia procax in Concilium, & quia ter vocatus non comparuit. Neque verò ita exhorruit rem illam Concilium vt narrat Cardinalis; & de *Nemine mortalium*, syllaba ibi nulla. Non magis quàm in posteriore illo (nuper iam Octauo Generali facto) cuius nondum satis limati Canones, *partim enim integri, partim in compendium redacti, quòd commoda & emendata exemplaria vobis deessent.* Quodsi autem id permissum dicerent *nemini*; *nemini vni* sentirent: licere tamen *Concilio* quod *vni* non licet. Certum illud; ventilatá hæc omnia à *Cusano, Cameracensi, Gersone*, quíque eandem pòst sententiam tutati sunt, *Panormitano, Maiore, Almaino.* Certum autem, *Parisijs*

hære-

hæresin esse, hoc quod tu affirmas, defendere; vbi si dicere audetis *Parisienses Concilijs pluribus Generalibus litem mouere*, quæ non vultis, audietis. Se enim, Conciliorum Generalium Defensores, vos oppugnatores esse.

Quem verò pòst, *Tortus* distraxit articulum in *duos*, is in Apologiâ *vnus* est, *duabus* ex clausulis constans, oppositis inter se. *Papæ obedientiam deberi propter conscientiam*; *Regi deberi propter ordinem politicum*. Vbi vix bonâ fide *Tortus*: diuulsit enim, qui *vnus* erat, procudens nobis ex *vno duos*. Nec enim negare voluit Author legitimis Ecclesiæ Rectoribus subijci Christianos, etiam propter conscientiam, non minùs sanè quàm Reipublicæ. Id notauit, in Papæ obedientiâ vrgeri conscientiam; in Principis, politicum ordinem sat esse. Atque, vt in priore vos reprehendimus, non Patres, qui si in viuis essent, nollent in sensum vestrum verba sua pertrahi, nec ad tam odiosam Principum abiectionem applicari: atque, vt Concilia vos accusatis, quòd Pontifices deposuerint, nos sacram hanc in illis & necessariam authoritatem defendimus: atque, vt verbum Dei, quique est in verbo Dei locum & planum, & plenum maximè, de obedientiâ in Principem *propter conscientiam*, Principi vindicamus; vt hæc omnia priore loco: ita in posteriore de calumniâ quam obijcit, *Tortum* conuenîmus; conuenîmus autem *ex ore proprio*. Si enim Clerici eius *verè Regum Subditi non sint*; nec verè tenentur eorum Legibus, quippe eâ authoritate latis, à quâ illi immunes. Quod faciunt ergo (dum Leges obseruant,) conscientiæ nexu nullo faciunt; tantùm ex rationis dictamine, quasi si *bene monenti auscultarent*, non autem parêrent imperanti; nulla Legis vis est, ad eos obligandos; vbi vis nulla ad obligandos, ibi Conscientia libera. Conscientiæ ergo vi, Clerici nihil debent: ratione tantùm, & respectu ad politicum ordinem *ipsi se continent* in officio; Lege autem, vel conscientiâ Legis *non continentur*. Nec id culpam minuit, quòd *non ibi disputet Cardinalis de eâ, quæ Regibus debetur obedientiâ*. Disputet, non disputet; obiter, ex proposito rem tractet: ita disputare debet & tractare, vt de subiectione propter conscientiam nulli vel Laici vel Clerici eximantur. Vis legis, vtrobique eadem, eadem

vtrobique ad Leges, ad Legum obedientiam obligatio.

Lex *in Clericos vim nullam habet, vi Legis nihil faciunt.* Ciues ergo sunt, & legibus ciuilibus viuere non tenentur. Quid proximum iam, nisi vt Reges Clericorum Superiores non sint ampliùs, neque Clerici Regum subditi; Rex Laicorum Rex sit, non Clericorum? Fatetur verum hoc *Tortus*, tamen rixatur de lanâ caprinâ. *Clerici*, dici voluit: noluit apponi verba, *qui & nati sunt & degunt in Regnis Principum. Non quòd vera non sint, sed quòd non opus erat ad ea descendere:* id est, quia *Torto* & *Torti Domino* veritate *nihil opus erat:* potest taceri, nec dici veritas, nisi quando *Tortus opus* iam eâ esse significet. Imò vt *vera*, ita *opus ad ea descendere.* Putet enim alioqui quis Clericos alienos, natos *Papiæ* peregrè huc fortè venientes, subditos dici Regis nostri. Nequa fraus sit, ôpus erat adijcere, etiam *qui nati*, etiam *qui ætatem hîc agunt*, *ipsos illos Clericos vestros*, Regem tamen pro Superiore non agnoscere. Consequi verò ex eo, quòd *Garnettus, Oldcornus*, reliqui Proditores, proditionis rei esse nequeant, actio in illos nulla institui: non est enim crimen illud nisi Subditi in Regem. Ille verò iam non verè Rex, illi etiam neque verè iam subditi. Effutijt ista temere *Emanuel Sa*, puto illi disciplinam propterea datam, deleta pôst sunt de *Aphorismis* eius, *non quòd vera non sint, sed quòd non erat opus ad ea descendere.* Tempus erit cùm *opus erit.* Tum verò descendent ad illa, vel ruent potiùs. Ruere enim ad hæc oportet ex abrupto, non per gradus descendere. At hæc *inuidiam conflant; quid opus ad illa descendere?* At hæc solertiam excitant; *opus ad illa descendere.* Si *non opus*, vobis fortè *non opus*; *opus* Regibus.

De altero autem membro, *Ipsis fas sit Principes suos iudicare*, debuit negare *Tortus* illud, *suos. Sui* enim non sunt Principes, ijs qui *verè non sunt Subditi.* Sed ne concitaret odium, conflaret inuidiam, maluit in voce *Ipsis* nodum quærere. At vox illa scirpus est, *Ipsis* (id est) *Ecclesiasticis. Ecclesiasticis fas est Principem suum iudicare. Quibusdam* concedit; *Quibuslibet* negat. At *Ecclesiasticis* licet si *quibusdam* licet; atque ea propositionis vis est vbi signo caret, nec vi vocis vllâ, *Ecclesiasticis*, significat *cuicunque Ecclesiastico.* Dixisset aliquid si *vni* id

Ponti-

Pontifici licere dixisset: peccatum enim tum esset numero. Iam non *illi soli*, prętcr illum pluribus, permittit hoc. Tantùm; hanc Regibus gratiam facit, ne priuatum quemq; Sacrificum pro Iudice suo agnoscant, néue vllum, nisi in Ecclesiasticâ aliquâ dignitate positum. Manet tamen illud. Etiam qui maximè priuatus est, exemptus est à subiectione Principis. Ita Subditus non est, ita Carnifex esse potest, etsi Iudex fortè non potest. Magnas verò agere gratias Principes Cardinali, qui hæc de illis tam benigna, tam se digna vel *dicat*, vel *credat*, vel *somniet*.

Saltem, si nec *sub lege conscientias*, nec *sub Rege personas* habeant: at *in rebus* quę merè ciuiles sunt, vel *in minimis earum* subijciantur *saltem Clerici*. Ne id quidem, *nisi ex discretione tantùm*. Laudatur enim erga Regem obedientia si discreta sit & oculata, vel in minimis; quæ tamen erga Patrem Societatis non laudatur, nisi cæca sit & indiscreta, etiam in maximis. Non ergò *nisi ex discretione tantùm, vel in minimis*; idque (si *Torto* fas credere) consentiente in hoc, atque approbante Scholâ totâ Theologiæ, atque Iuris vtriusque: vt nec Theologus sit, nec Iurisconsultus, qui id in dubium vocet. De eo verò (si placet) videamus. Conuenire dicis nec *in dubium verti*. Audio, non credo. Video enim [a] *Sotum* de Quæstione hâc [*An Clerici à potestate ciuili exempti*] ita scribentem, *De hâc quæstione partim cum Hæreticis nobis lis est, partim inter Catholicos non satis conuenit*. Aliqui ergo vestri in dubium vertunt. Video & asserentem, *Personas Ecclesiasticas, neque iure diuino neque humano esse omnino à Legibus ciuilibus exemptas*. Addit autem & rationem. *Quia Clerici non obstante Clericatu suo, Ciues tamen sunt Reipublicæ, & membra eius. Ciuilis autem Respublica non gubernatur, nisi Legibus Principum. Quatenus ergo ad pacem spectat Reipublicæ, tenentur Clerici eis obedire*. Quòd nisi res ita se habeat, addit absurdum: *Alioquin, Clerici Hispani, non magis tenerentur Legibus Hispanis obtemperare, quàm Gallicis: quod est falsum*. Ne verò *ex discretione solâ* hoc facere videantur, pergit porrò. *Enimuero si Rex precia frumenti, vel quarumcunq; rerum moderetur: Clerici cariùs vendentes* mortaliter *delinquunt, & ad restitutionem*

[a] *In 4m. Dist. 25. Q. 1. A. 2.*

nem sicut Laici tenentur; & idem est de multis alijs Legibus. Quod ipsum probatur & [b] *Victoria: Cùm præterquam quod Ministri sunt Ecclesiæ, Ciues etiam sint Clerici, Ciuium lege viuere tenentur.* Tùm & ratione hâc vtitur. *Rex Clericorum etiam Rex est, non Laicorum. Clerici ergo Regi subiecti sunt. Nec administrans temporalia, nisi potestate Principum temporali: Potestati ergo eius temporali sunt subditi.* [c] *Medina* verò argumentum inde ducit, *Quòd Lex Euangelica non dissoluit obligationem naturalem quæ præerat, nec debita priùs contracta* vel carnis, Coniugi: vel æris, Creditori: vel seruitutis, Domino: vel obedientiæ, Principi. *Ne Baptismo quidem solui posse hæc. Quod si non Baptismo, certè nec Sacerdotio:* si non ex eo quòd Christiani, nec ex eo quòd Clerici.

b De potest. Eccle. Relect. 1. Sect. 7. Propo. 4.

c De reb. restit. Quæst 15.

Quo etiam iure, *in dubium vertitur.* Qui quiduis probare se posse putant, *diuino* contendunt; Qui modestè magis sapiunt, *humano:* Non enim diuino. [d] *Si iure diuino res examinanda, nec Clerici nec eorum res à iurisdictione Seculari immunes.* [e] *De Iure diuino, nihil dici debet, quod ex ipso iure diuino ostendi non potest.* [f] *In Iure diuino nulla lex apparet, quæ verè diuina sit.* Ius diuinum duplex: Veteris Testamenti, & Euangelij. [g] *In Veteri Testamento dubio procul Sacerdotes à Principibus Secularibus iudicati.* [h] *Nullus est in Euangelio apertus locus, quo eximantur.* Potest per Pontificem, potest per consuetudinē restringi vel limitari immunitas hæc tota. Quare positiui & humani iuris est. Nam si diuini esset, non Pontifex illam, non consuetudo vllâ ex parte imminueret. Nihil illis iuris in Ius Diuinum. Quæ currit in eam præscriptio, non curreret, si diuini iuris esset. Etiam manente immunitate, est tamen in personas Clericorum Principi ius suum, *Si crimen atrox; Si Clericus in profundum venit malitiæ; Si ter monitus.* Non esset autem vel in hijs: si, vt ne esset, Lege Diuinâ cautum foret.

d Couarruu. Pract. Q. ca 31.

e Medina de reb. restit. Q. 15.

f Couarr. ibid.

g Idem: ibid.

h Soto in 4um. D. 25. Q. 2. A. 2. Couarr. Pract. Quæst. cap. 31.

Idem. cap. 32.

Tum, vario iure hâc in re vtuntur Gentes variæ. In Galliâ subijciuntur Clerici in realibus tantùm: At ab antiquo hîc apud Nos, & in realibus, & in personalibus. Idem verò vbique ius esset, si Diuinum esset: Varietas humanum reuincit. Deniq; si à Cardinale quærimus, quo iure totum hoc; respondet, * *iure partim diuino, partim humano, partim neutro.*

Idem. cap. 31.

* De Cleric. lib. 1. cap. 28.

Quàm

Quàm hæc verò diſſoluta, *partim hoc, partim illo, partim neutro?* Quis in iſtis acquieſcat?

De antiquiſsimis temporibus, *in dubium vertitur.* Primùm, *ab initio non fuit ſic.* Non enim ſub Lege naturæ. Poteſtates enim ſub eâ non erant diſtinctæ. Antequam autem diſtinctę poteſtates, ijſdem omnes, Clerici, Laici Legibus viuebant. Non ſub Lege Veteri, audiſti paulò ante *Couarruuiam*; non ſub Nouâ, audiſti *Sotum.* [a] *Chriſtus* de Pilato [a] *Ioh. 19.11.*
Præſide faſſus, *habuiſſe in ſe poteſtatem, eamque deſuper datam.* [a] *Paulus* ſtare ſe ad Tribunal Cæſaris, vbi ipſum [a] *Act. 25.10.*
δεῖ κρίνεσθαι, vbi *oportuit* (non liberum ei erat) *iudicari.* Idem ipſe *Paulus* legem fert. *Omnis* anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: *Poteſtatibus* ſcilicet, gladium gerentibus; *Poteſtatibus*, Tributa & Cenſum recipientibus. *Omnis anima*, etiam *Apoſtoli*, etiam *Euangeliſtæ*, [b] Chryſoſtomo ita [b] *In 13. ad Roman.*
aſſerente. *Canon Generalis eſt* (ait [c] *Victoria*,) *Exceptio autem* [c] *Relect. 1. Sect. 7. Prop. 2.*
in Scripturis non ponitur. Petrus verò, quibus ſcripſit [d] *Paſcite qui in vobis eſt Gregem*, Compresbyteris ſuis: ijſdem ipſis ſcrip- [d] *1. Pet. 5. 2.*
ſit; [e] *Subditi eſtote Regi; quia hæc eſt voluntas Dei.* In Primi- [e] *1. Pet. 2. 15.*
tiuâ autem Eccleſiâ Subiectos fuiſſe docet, ad Canonem *Sicut, Cauſ. 11. Quæſt. 1*, Gratianus ipſe. *Ex hijs omnibus datur intelligi, quòd in Ciuili Cauſâ Clericus ante Ciuilem Iudicem conueniendus eſt.* Eſt verò Deo gratia: deſignatas habemus iam vt res, ita tempora rerum; quoto ſeculo demum, à quo Principe, immunitas quæque conceſſa eſt. Atque hoc, debemus Cauſæ *Venetæ*, quæ fecit, vt penitiùs nuper in totam Quæſtionem hanc inquireretur.

Cùm verò ad duo Capita reuocetur tota hæc Clericorum Exemptio; *Quoad bona, Quoad perſonas: Quoad bona* [f] Cardi- [f] *D. Cleric. lib. 1. cap. 28.*
nalis *humani iuris* aſſerit; *Quoad perſonas* non audet dicere, *diuini*; id tantùm dicit, *Iuris eſſe Diuino valdè conformis.* Quod, quid aliud eſt quàm hæſitare? *Diuini* non potuit, *humani* noluit; commentus eſt *tertium*, quod illi *neutrum* eſt, *conforme Diuino.* Verùm ne de perſonis quidem ſatisfacit ſibi: In loco Apoſtoli, *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit:* [g] *illud*, omnis anima (inquit) *includit Clericos*; [g] *Ibid.*
(id eſt) perſonas Clericorum: Illud, ideo tributa præſtatis, *dicitur*

etiam de Clericorum bonis. Bona Clericorum nisi eximantur
priuilegio Principum, tributa præstant. Animæ ergo Cleri-
corum nisi eximantur eodem Priuilegio, Potestati Seculari
subditę sunt ei, cui de bonis tributa pręstant. Fauent è Patrum
numero *Chrysostomus*; è Scholasticorum *Aquinas*. Tum,
quod *de bonis* adducit non eximendis Bellarminus, idem ip-
sum *pro personis* adduci potest, Clericorum scilicet. *Nullum
proferri potest Dei Verbum, quo ista exemptio confirmetur.*
In verbis enim Christi, *Mat. 17.* non habetur, vt *Augustinus*:
Ibid. saltem, *non iubetur*, vt *Bellarminus*: colligitur tantùm per con-
sequentiam; nec necessariam, sed probabilem; totáque rei
origo exemplo nititur, cui *Iuris Diuini* nomen indere, nec
Cardinali tutum videtur, vel consultum satis. *Humano* itaq;
iure data sunt, à Regibus data. Non enim immunitates has
dederunt vel *Pontifices* vel *Concilia*; receperunt enim eas Pon-
tifices atque ij, ex quibus Concilia constant: quas recepe-
runt, ipsi sibi dare, à se recipere non potuerunt. Agnouit
autem in Bona, potestatem Cæsaris Seruator: *reddi* ius-
sit *Cæsari*: *reddi*, non *dari*: debitum ergo, non gratuitum.
Tributum solui iussit; quod iussit solui tributum, ne scanda-
lo esset, & ipse soluit. Agnouit in seipsum potestatem Prę-
sidis: agnouerunt Apostoli exemplo illius. Vsus beneficio
ciuium *Paulus*, & *lora* euasit & *iniquum forum* declinauit.
Imperando *Petrus* ὑποτάγητε, legem ferendo *Paulus* ὑποτασσέσθω, sub-
iectionem vterque sanciuit. Tu verò, si habes quo *haurias*,
hauri nobis (quæso) ex *Nathan* Prophetâ prono in terram Re-
a 1.Reg.1.27. gem adorante, & dicente [a] *Nunquid à Domino meo Rege exiuit
verbum hoc, & mihi non indicâsti Seruo tuo? Hauri nobis* (inquam)
Reges *magis propriè* Seruos esse, quàm Dominos: Vel ex illis
Dauidis, *Sadocum* Pontificem, & *Nathan* Prophetam allo-
b 1 Reg 1.33. quentis, [b] *Tollite vobiscum Seruos Domini vestri.* Si Funem habes
c 1.Reg.2.27. & Situlam, *hauri* nobis ex Rege *Salomone*, [c] *Abiathar*, Pontifi-
cem deponente: *nunquam depositum à Rege Pontificem. Hauri*
ex loco *Apostoli*, Omnis anima subdita sit: *Non omnem animam*,
non enim Clerici vllius animam. *Hauri* de *Chrysostomo* qui vel
Prophetas vel *Apostolos* subditos ait, id, de *facto* fuisse, non *iure*;
neutros nec *Apostolos*, nec *Prophetas* subditos fuisse.

Magis

MAgis ad animum vobis, *Pontificis* nomen à Numâ *haurire*. Origine ergo vox illa Romana, & prophana est. In Scripturâ non legitur: quî potest, cùm Romana vox sit? Scripturæ autem natiuæ, Hebraicè vel Græcè tantùm; Latinè nisi per Interpretem non loquantur. Sed diu perscrutatus, tandem in *Libri Iudith* capite quodam reperit verba hæc, *Ioachim Summus Pontifex*. De Libro autem suo vbi reperit, non securus, præfari cogitur, *Sacrum* esse: *Etsi Caluiniani non recipiant, at receptum esse tamen in Nicenâ Synodo*. Itane, *receptum*? Quo Canone? Imò, *Hieronymus hoc asserit*. Quid tandem? *Synodus Nicena eum in numero Sanctarum Scripturarum legitur computâsse*. Legit ergo alicubi hoc *Hieronymus*. Sed cùm *legisset*, num credidit ipse, vt nos cum eo credamus? Non credidit. Lectione enim illâ non obstante *ter reijcit* ipse Librum *Iudith* de Canone; 1. Prologo *Galeato* in *Pentateuch*. 2. in *Libros Regum*. 3 in *Prouerbia*. Non ergo affirmat ita *receptum* fuisse; *legisse* se affirmat, sed apud incertum Authorem suspectâ fide, de quo & ipse dubitauit. Verba enim ipsa, *Legitur computâsse*, vel [a] *Lindano* vestro, *dubitantis suspicionem subindicare videntur*. Alioqui, quem *recepisset* Nicena Synodus, *reciperet* & ipse, nec ita ad *eos qui extra Canonem* sunt, toties ablegaret. Tum, qui *Concilio Niceno* interfuerunt [b] *Athanasius* & [c] *Eusebius*, neuter *recipit*; *facerent*, si pro Canonico à Concilio approbatus fuisset. Etiam, quæ *octoginta* pòst annis (*Lindano* supputante) *Nicenam* sequuta est [d] *Laodicena* Synodus, non accensuit. Dein, ætate illâ floruerunt [e] *Hilarius*, [f] *Nazianzenus*, [g] *Epiphanius* summi viri, *Nicenam* Synodum venerati omnes, quorum nemo tamen recipit; Et qui post illos non diu, *Hieronymus* & [h] *Ruffinus* in hoc concordes, etsi in multis non ita. Postremò omni ætate viri doctissimi, etiam qui post *Carthaginensem* Synodum vixerunt [i] *Isidorus*, [k] *Damascenus*, [l] *Hugo à Sancto Victore*, [m] *Lyranus*: Vestri quoque & de vestris non infimi: [n] *Antoninus*, [o] *Dionysius Carthusianus*, [p] *Tostatus*, [q] *Caietanus*.

Verùm age sanè; recipiatur libenter. Tu tamen sic semper es infœlix, vt, etiamsi dentur tibi quæ probare non potes, nihilo tamen minùs *aqua* tibi *hæreat*. Quid affers nobis de *Libro*

a *Panop. lib.3. cap.3.*
b *In Synopsi.*
c *Canon lib.2. cap.10.*
d *Canon.59.*
e *Prolog. in Psalm.*
f *De Ver. & Genuin. script. libris.*
g *Lib.1.Hær. 8. & de Mens. & Ponder. pag.418.*
h *In Expos. Symbol.*
i *Etym. l.1.c.6.*
k *Lib.4.p.122. Græc.Veron.*
l *Prænot. Elucidat. de script. cap 6.*
m *In Princip. Ezr. Tob.*
n *Part.3 tit.18. cap.6.*
o *Enarrat.in Genes Art.4.*
p *Præfat in Mt. Q.3*
q *In fin Com. in lib. Histor.*

Libro Iudith? Ioachim Pontifex Summus. Liber *Iudith* an Latinè scriptus? Non, sed *Græcè*; *Græcè* quomodo habetur? ἱερεὺς μέγας id est, *Sacerdos Magnus.* Sacerdos magnus Pontifex non est. Aut si demus tibi, vt analogiâ quâdam Pontifex sit; at Summus maximúsue non erit. Vnus enim in Veteri Testamento Pontifex siue Sacerdos Magnus: *Maximus* autem, vel *Summus* dici non potuit, nisi plures essent Pontifices, *Maximo* illo minores, *Summo* inferiores. Nisi ergo tibi condonetur *Liber* ipse; nisi & *vitiosa translatio*; iacet *Pontifex* tuus *Maximus.* Nec enim *Sacerdos* Pontifex, & *Magnus* toto gradu distat, & minor est *Maximo.* Quo verò Interpretis vitio legitur ibi in Vulgatâ *Pontificis* nomen; eodem ipso, vbicúnque per vetus Testamentum legitur, eodem, vbicúnque per Nouum. Non in Scripturis legitur *Pontifex*, nisi *translatis*, *interpolatis* per vos; nec Spiritus Sanctus, sed vester Interpres ibi posuit. Nec est enim vox vlla in Nouo, quæ *Pontificem* designet, nisi ἀρχιερεὺς, id est, Summus vel præcipuus Sacerdos. At tibi alius credo *Pontificum* gradus est; alius Sacerdotum; nec relatione ad *Sacerdotes* vestros (sic enim quiuis Sacerdos Magnus Pontifex, etiam Archipresbyter) sed ad *Pontifices* suos, Pontifex Maximus est.

Verùm esto; voculam de Scripturâ Ethnicâ nullam nobis fas attingere, ne *Parentandi* quidem: vobis liceat transumptâ de Numæ Sacris voce, vestrum *Pontificem* nuncupare. At, cui stomachum non faciat quod ibi sequitur, vt quia CHRISTVS *Magnus* Pontifex, Papa sit *Maximus*? vt ita meliore iure, maiore titulo sit Papa vester, quàm CHRISTVS. Quâ fronte hoc? nisi fortè, nihil interesse putes inter *Magnum* & *Maximum*, *Summum* scilicet gradum & *infimum*. Vt, *Magnus Christo* satis ampla vox sit, Pontifici non sit, cui, nisi *Maximi*, nulla satis idonea sit dicenda. Quasi possit Pontifex piè dici *Maximus*, cùm CHRISTVS dicatur non nisi *Magnus.* Potuit quidem Apostolus, qui CHRISTVM *Magnum* scripsit, scripsisse *Maximum*: Quodsi illum *Maximũ* scripsisset, subsistere potuit Papa vnico infra Christum gradu. Iam nec æquali contentus est; *Magni* titulus sordet illi; *Alexandri, Pompeij, Caroli: positiuum* nihil Papam decet. Christus si volet consistat in *ter-*

tijs,

tijs, Magnus sit: Vicarius eius plus vltra *duos gradus* conscendit, *Maximus* salutari vult. Nec alia Patris hîc sors quàm Filij. Nec minùs extolli vult Pontifex, & supra Patrem. Sat erat Christo, si Patri diceret, *Pater Sancte:* Pontifex, si *Eum Patrem Sanctum* modò dicas, obliquis te oculis aspiciet. *Pater Sanctus* salutari non sustinet; nec vel scribi vel dici, nisi *Pater Sanctissimus.* Et quid hoc aliud est, quàm non dicō [a] *similem esse velle Altissimo:* sed [b] *extolli super omne quod dicitur Deus?* a Esa 14. 14. b 2. Thes. 2. 4.

Ecce autem alterum. Parum ei visum, vt quantum *Maximus Magno*, tantum *Papa Christo* præstet, (sic enim *gradibus* distant tantùm) nisi ex *toto genere* distent: Papa *fidei Caput* sit, pro quo antè pugnauit strenuè; *Rex ne sit*, imò *Christus ne sit* quod iam agit. Optâsset enim magnopere, vt nomen hoc *Capitis fidei*, *Christo cum Papâ* commune esset, cupîsset admodum, vt *Papa Christo* illud communicare, *Christus* illud *de Papâ* participare possit; sed quæsiuit loca diligenter, nec vsquam vllum reperit, qui tribuat. *Caput fidei* Papa, legitur apud Gregorium: *Caput fidei* Christus non legitur. *Fidei Author*, sed non *Caput*, & *Caput Ecclesiæ*, sed non *Fidei*, legitur apud Apostolos; *Caput fidei* nusquam legitur. Dolens ergo votum emittit. *Optâssem* (inquit) *vt Aduersarius vel vnum locum notâsset in toto volumine Bibliorum, vbi Apostoli hoc nomen soli Christo tribuerint.* Quorsum autem *soli*? Quid opus? cùm nec omninò, nec cum alio quidem tributum ibi, sat scias ipse. Sed tamen obsecro te *Torte*, si vlla apud te *fides* pars sit, quæ *fidei* pars Christus, si *Caput fidei* non est? Quo in membro locas? Quid erit ad fidem? An humerus, ceruix, vertebra prima, sub Capite Papâ? Sine verò te exorem, vt vel Occiput sit saltem, & vel aliquâ in parte *Capitis* hæreat.

Imò verò *ait*; sit si volet *Caput Ecclesiæ*, *legitur* illud; *Caput fidei*, ne sit, non legitur. At hoc iam aliquid est: tantùm, si vt sæpe *mendax*, ita aliquando *memor* Tortus. Quid est enim *Caput fidei*, vel Torto? * *Caput fidelium; Caput Ecclesiæ, Caput per quod Ecclesia fidem & discit & docet: Caput Ecclesiæ?* Quare & *fidei Caput* iam; salua res est. Ter enim hoc de Christo legitur totidem verbis: at de Papâ credo vix vel *vno loco, in toto volumine Bibliorum.* Secundò; Qui *Caput Ecclesiæ*, idem & *fide-* * Pag. 110.

 lium

lium Caput; fideles enim Ecclesia; Quanquam & *Caput anguli* cùm dicitur, *fidelium* dicitur; *fidelium* de Iudæis, *fidelium* de Gentibus, qui quasi *paries geminus* consurgit, connexus in Christo *lapide angulari*. *Tertiò, Caput* autem *per quod Ecclesia fidem & discit & docet*, ita Christo conuenit, vt præter Christum nemini, qui *solus eruditam linguam* donat loquenti (etiam si vel Papa sit) vt *doceat*; solus *aurem intelligentem* Auditori vt *discat*. Ita, vel *Torto* etiam interprete *Caput fidei* Christus. Legitur verò hoc in Volumine Bibliorum; & *Inimici* sint *Iudices*.

At *non solus Christus Caput*. Quàm ridiculè? Quasi de illorum numero *Caput* non sit, quæ si sint, *sola* sint: nisi *sola*, esse non possint. *Vnicum* enim est *Caput*, *vni corpori*: Ecclesia *vnum corpus*: nisi *bicipitem Aquilam* fingas, aut *tricipitem Geryonem*, cui tot *capita* sint, quot in Mitrâ Pontificiâ Coronæ. Christus autem *solus* Ecclesiæ *Caput*, non *Papa*. Ecclesia enim *corpus Christi* solius, non Papæ; nec vos, qui audetis valdè, sic tamen audetis loqui, vt *Papæ corpus* dicatis Ecclesiam. *Solus* (inquam) *Christus Caput* (vt Apostolus *Capitis* vim explicat) *ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundùm operationem in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit*. *Iunctura subministrationis*; *operatio in mensuram membrorum*, *corpori incrementum*, âb *Illo solo*. Quodsi *iunctura*, quâ fidelis quisque Christo connectitur, *fides* sit: *Caput fidei* solus Christus; cuius *Capitis* minister (putà *Manus*, vel *Brachium*) *Paulus*, (quidni autem & *Petrus*?) non autem vel hic, vel ille, *Caput*. Nec tu vnquam effugies vim vocis quam attulisti, *Authoris fidei*. *Fidei* enim *Caput* est, qui *Author*; cùm *Caput author* sit & origo *sensus* omnis, & *motus*, qui inde in reliqua membra deriuantur; vt si *syllaba* non sint, *mens* sit; vsque adeo autem sit, vt qui neget esse, non longè absit ab *Hæresi*; *Hæresi* autem Blasphemâ, vt cui, *Fidei* præter Christum, *Caput* sit, vel *Author*.

Ephes. 4. 16.

Vtcunq; verò duæ illæ voculæ *Caput fidei*, apud *Gregorium* sint; excogitauit tamen sensum eis *Cardinalis*, quem *Gregorius* nunquã cogitauit. Maior autem eius audacia, qui sensum illũ excogitat, quàm eius, qui accusat ita *excogitantem*. Sed neq;

Gregorius

Gregorius is fuit, qui peccare non posset; nec si peccauit (& vel *Petrus* fuit) peccantē accusare, nefas. Qui secus *ausit dicere*, reperiet qui *ausit accusare*. Excusamus autem libenter *Gregorium*, nec id illi in mentem vnquam venisse dicimus. Scis verò ipse in ore esse omni Populo, *Gregorium è Romanis Episcopis bonis, vltimum; è malis primum fuisse*. Quâ *de bonis vltimus*, quis velit accusare? Quâ *de malis primus*, quis ausit defendere? Multa sunt illius sanè præclara Etiámne omnia? Vestrorum non nemo accusauit illum, quòd ad *fabellas* nimis credulus; Alius, quòd Imagines, vt, confringi noluit à *Sereno*, ita, vetuit adorari; Alius, quòd ita temerè excanduit in nomen *Vniuersalis*, nec adhibuit lepidam aliquam distinctiunculam, quod vos iam studiosè facitis. Vos hæc audetis accusare audaculi: non omnibus id datum est. Egit verò id *Author Apologiæ*, vt commodâ interpretatione leniret, siquid in Titulo illo durius, quem siquis formulâ loquendi propriâ vrgeat, error sanè sit in Theologiâ, si alius eum, quàm Pontifex vsurparet: qui tamen *homo* est & ipse *circundatus infirmitate*, non ita *confirmatus in actu gratiæ*, quin possit errare: vt, cui *cor* sit, causa non desit, illius interdum *accusandi*. *Canus de human. Hist. auct. l. b. 11.*

CLaudit verò iam Responsionem vt par est; quasi si dicat, *Iudicet Lector si ausit*. Nihil enim rogatum vult Lectorem; nihil deprecatur; imò iudicium ferre non sinit: tantùm (pro fastu suo) iubet *aperiat oculos*, admittat radios *Torti*, quibus quasi lumine amictus incedit; affulgebit ei statim iubar, quo omnia intuitiuè videat, vt discursu nihil opus. O supercilium! *Non rogo lectorem vt iudicium ferat quasi de re dubia*. *Feret* verò *non rogatus* iudicium de hoc tam superbo postulato, quasi de *Re* non dubiâ, quasi de *Re*, de *Homine non dubiæ arrogantiæ*. Ad extremum valedicere simul voluit, & maledicere; & quod pessimum genus *maledicendi*, ei, qui bene dixerat. Perstrinxi suprà. Lacinias verò quasdam hîc *Tortus* habuit, *è Paciano, Cyrillo, Augustino*, tam detritas, vt sine illis iam *Papistis non fiat Liber*. Quid illæ narrant? Nomen *Catholici* honorificum. Quis negat? Quis non omnia bona de eo dicat? Non potest non de eo *Magnificè sentire*, qui de Symbolo rectè sentiat. Sed *hoc nomen tribuit Rex Pontificijs in Apologiâ*. Quid tum

si

si *tribuit?* Bono animo es; Seriò non dixit; seriò dictū id nemo intellexit; seriò nec ipse tu: non potuisti, qui aliquammultis in locis *Pontificios* vos, & *Papistas*, & *Papicolas* dici itidem legisti, tam *multis* verò, *toties*, tam *sæpe*, etiam *sæpius*, quàm *Catholicos*. Noluit tamen semper sic, ne bilem totam moueret, abstinuit interdum: nec *Ironia* tamen fuit, *Charientismus* potiùs. Ita enim fieri amat, qui decoxit paternam rem, de stemmate tamen patrio blanditur sibi & titulo generis; *Generosus* audire vult; nisi audiat, non libenter auscultat. Dicam ergo *Generosum* hunc, etsi degenerem, vt aures arrigat: dicam & *Saracenum*, (vt ipse se diu iam nuncupauit) qui verè *Agarenus*, quo vtar æquiore: & cum B. Paulo, *Festum Optimum*, qui tamen *vix bonus*; & vos *Catholicos*, qui tamen nihil minùs. Etiam, si *Matthæus* cognomen suum illibenter audiat, *Tortum* se dici ægrè ferat, faciam illi hanc gratiam, vt *Matthæum*, non *Tortum* sed *Deflexum*, illum nominem. Ad hoc exemplum delinire vos eo verbo voluit, nec quomodo *appellandi estis*, sed quomodo *appellari gaudetis*, *Catholici* vocabulo, paululùm permulcere.

Quod si incidisset in alium quenquam *Matthæum* præterquam qui *Tortus* esset, aliam credo gratiam retulisset. Prima enim eius gratia, *mendacium prodigiosum*. Sedet enim hîc in *Telonio suo mendaciorum* Matthæus; verba numerat; *tertio quoque verbo* Catholicos se dici legit. *Admoue* verò *oculos* Lector, quod te paulò antè *Matthæus* voluit; *Ter mille* ibi verba, per *Sexaginta* penè paginas reperies, nec vel *semel* in illis *Catholici nomen*. Paginæ sunt in toto *centum octodecim*; de illis *centum* sunt, nec vsquam in eis vox illa *Catholici*. Multo verò sæpiùs *Tortum* hîc *mentientem* legas, nec tertio quoque verbo, mentientem tamen. Vide ergo quàm *Catholicè* mendax. Dignum verò hoc, quo claudat *extremum mendaciorum* agmen: *Extremum* enim est *vtróque* sensu, *vtráque* vocis vi. Secunda autem gratia, *maledictum plus quàm barbarum*. Nam neque Barbari hanc vicem referunt, vt qui comiter appellet, maledico dente mordeant. *Non est Catholicus, aduersùm quos scribit, à quorum communione se alienum profitetur.* Ille verò nec aduersùm vos scribit, quâ Catholicam vllam verita-

tem tenetis; nec alienum se à communione vestrâ, vel *profitetur*, vel *protestatur*, nisi tantisper dum ad *Catholicam* illam Primitiuam redeatis. Nobiscum verò, de *Orthodoxi* nomine, litem mouete si vultis; de *Catholici* non potestis; de cuius & *re* & *voce* credimus *vt vos*, etiam meliùs *quàm vos*. Vos enim cessistis ipsi de *Catholicæ* nomine, cùm nuper *Romanam* ei infœliciter adiecistis: & *Catholicam*, (id est, totius Orbis) ad *Romanam*, (id est, Vnius vrbis) redegistis: *Catholicam*, id est, Orbe toto diffusam, & *Romanam*, quæ tamen Orbis totius vna tantùm vrbs est. *Catholica Romana*, noua vox: tantundem autem valet, ac *Catholica non Catholica*, Romana κατὰ πόλιν, Catholica καθ' ὅλου est; vt vos iam (si ita loqui fas, & id vocis natura ferat) *Catapolici* potiùs quàm *Catholici* dicendi sitis.

Enimuerò quòd ita *Catholicæ Romanam* addidistis (dixi iam) perinde est, ac si *Catholicam* aliam agnosceretis, non *Romanam*. Distinctionis id gratiâ factum est, distinguitis eâ voce *vestram*, ab eâ quæ *Catholica* est, *Romana* non est. Alioqui quid opus, quid attinebat, si vna modò *Catholica* sit, commissuram hanc rudem & nouam, ei assuere? Vos ergo sitis de *Catholicâ Romanâ* vestrâ, quæ extra Symbolum est: Nos de illâ quam credimus, quæ *merè Catholica* est nec ad *Romam* restricta, qualis in Symbolo. Etiam quæ Orthodoxa quoque est; quæ *non adorat, vel colit omnem similitudinem*: quæ *non adorat quod nescit*: quę *ex Christi Calice bibere iubet omnes*: quæ *orat spiritu, orat & mente non minùs*: quæ, *in quos non credit non inuocat*: in quâ, *Caput fidei Christus, Vicarius eius Spiritus Sanctus*: De hâc nos & sumus, & esse profitemur. Vos verò, cùm multa apud vos reliqua sint adhuc de *Catholicæ fidei* dogmatibus, quanquam nonnihil *fermentata*, membra quidem *Catholicæ*, etsi *non sana membra*, dicere sustinemus. Quando verò regulam illam nondum didicistis [*Inter bonos benè agier:*] quando, dicat vobis bene quis, dicat malè, par gratia est; quando, quæ humanitate solâ, necessitate nullâ indulsit vobis Rex, aliorsùm accipitis, atq; in prauum sensum detorquetis: quid restat, nisi vt dehinc iam *Catholicos* vos nemo dicat, nisi *ipsi, vos?* Quod quidem sedulò facturum se deinceps, sanctissimè in se suscepit Rex Serenissimus. Liberam enim ex eo vocem emisit

Eee palàm

palàm & publicè, multis, méque ipso cum multis audiente, honorem se hunc nemini dehinc *Torto*, vel *Torti simili* habiturum, vt *Catholici* nomine dignetur; postquam morem hunc vestrum tam Barbarum cognouit, qui clementer vobis dicunt, in eos inclementer *conuitia* regerendi; nec perdet vlteriùs iam *vocem* tam *bonam* apud *homines* non *bonos*: malè eam locauit apud *malos*; cùm tam inurbani estis, pœnitet locâsse; parciùs pòst *adhibebit*, imò ne adhibebit quidem. *Eritis* per *Eum* quod *estis*, & quæ non vultis, (sed quæ debetis tamen) in posterum à Rege semper audietis.

* *
*

